94°

BIBLIOTECA DELLA R. CASA
IN NAPOLI

N.° d'inventario 3151
Sala Gesuiti
Scansia 178 Palchetto
N.° d'ord. 15



Google

Salat ~~III~~
LX1-5

590818

BIBLIOTECA

PER LI

PARROCHI

E CAPPELLANI

DI CAMPAGNA.

RISTRETTO

DELLA

TEOLOGIA MORALE.

SESTA EDIZIONE.

TOMO DECIMOTERZO.

IN VENEZIA

NELLA STAMPERIA EREDI BAGLIONI.

MDCCCVI.

BIBLIOTECA

PER LI PARROCHI,

E CAPPELLANI.

MORALIS THEOLOGIÆ

ENCHIRIDION.

TRACTATUS QUARTUS

De Virtutibus, & Vitiis.

VIrtutes, & vitia, tum in communi, tum in particulari in hoc Tractatu duplici Dissertatione, consueta brevitate perpendemus.

DISSERTATIO I.

De virtutibus, & vitiis in communi.

AB ipso Titulo hujus Dissertationis divisionem habemus; cujus primum Caput de Virtutibus in communi, secundum vero de vitiis, aut peccatis, item in communi disseret.

CAPUT I.

De Virtutibus in communi.

QUÆ ad virtututes in communi spectant, ad earum essentiam, divisionem, & proprietates reduci possunt: sit igitur

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Virtus?

Not. VIrtutis nomine communiter hic intelligitur *perfectio quædam, aut qualitas, qua rationalis creatura ad bene operandum prompta & expedita efficitur.* Hujus variæ a variis definitiones adducuntur; quibus omnibus brevitatis gratia prætermiſſis,

Dico: Juxta mentem Doctorum Auguſtini, & Thomæ, Virtus recte definitur: *Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, & nullus male utitur.* Explicatur definitio.

Dicitur 1. *Bona qualitas*, id eſt habitus permanens, & a ſubjecto difficulter mobilis. Siquidem omni virtuti omnino eſt eſſentiale 1. Quod actu ceſſante in ſubjecto, etiam dormiente, aut non cogitante, perſeveret. 2. Quod a ſtabili, atque immutabili affectu prodeat.

Dicitur 2. *Mentis*, creaturæ nimirum rationalis, cognitione atque electione præditæ; cum, juxta Philoſophum, nulla ſit virtus, niſi bonum ſcientis, & illud libere eligentis. Hinc quorumdam rejicitur ſententia Thomiſtarum docentium, appetitum ſenſitivum virtutis ſubjectum eſſe non poſſe; cum proprie dictæ cognitionis, & electionis, proindeque veræ virtutis omnino ſit incapax.

Dicitur 3. *Qua recte vivitur*; quatenus ſcilicet ad operandum juxta rectæ rationis regulas ſubjectum inclinat. Unde a Philoſopho virtus dicitur habitus, *qui bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit.*

Dicitur 4. *Qua nullus male utitur.* Licet enim homines virtutis exercitium in uſum vitii ſæpiſſime vertant, ea tamen non male utuntur, inquit D. Thom. 1. 2. q. 55. a. 4. ad 5. tamquam principio

ope-

operationis electivo, ita ut malus ſit actus virtutis; ſed dumtaxat tamquam objecto, dum nempe quis virtutem aliquam odio habet, aut de illa ſuperbit. Per quod virtus proprie dicta differt a fide humana, opinione & aliis habitibus, quibus quilibet per ipſius fidei, aut opinionis actum bene, vel male uti poteſt, credens nimirum, vel opinans verum, aut falſum.

Quæſt. 1. Quotuplex ſit virtus?

R. Tres ſunt virtutis ſpecies. Nam aliæ ſunt intellectuales, aliæ morales, aliæ Theologicæ.

Virtutes intellectuales eæ ſunt, quæ intellectum perficiunt in ordine ad cognitionem veri; & quinque numerantur, Videlicet *Intelligentia*, qua ſine diſcurſu, & ſola terminorum apprehenſione prima morum principia dignoſcuntur, ver. grat. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*. *Sapientia*, qua rerum cognitio ex altiſſimis & univerſalibus cauſis deducitur. *Scientia*, qua ex cauſis particularibus eadem cognitio colligitur. *Ars*, qua rerum per potentias externas factibilium regulæ traduntur. *Prudentia* tandem, qua judicatur quid in quolibet negotio hic & nunc independenter a potentiis externis, agendum ſit, vel omittendum. Circa quod obſervandum eſt, has qualitates proprie dictas virtutes non eſſe; quia, licet per cognitionem veri bene operandi facultatem præbeant, earum tamen uſus de ſe non eſt ſemper bonus; cum intelligentia, ſcientia & ars ad pravum finem adhiberi poſſint. Excipienda eſt tamen prudentia, quæ præter cognitionem veri uſum etiam boni nobis præſtat; quatenus in omnibus actionibus appetitum noſtrum moderatur atque dirigit. Ideo annumeratur inter.

Virtutes Morales, quæ voluntatem inclinant ad bonum cujuslibet generis honeſtumque proſequendum, ſuntque numero quatuor: Prudentia nimirum, Fortitudo, Temperantia, & Juſtitia, quæ

ideo Cardinales dicuntur, quia his veluti cardinibus ac principiis totius humanæ vitæ honesta ratio instituitur.

Virtutes Theologicæ eæ sunt, quæ circa Deum immediate versantur; vel quatenus est summa veritas; ut Fides; vel quatenus est summum bonum & finis ultimus, ut Spes; vel quatenus est summa bonitas infinite propter se diligibilis, ut Charitas. Hinc virtutes Theologicæ a Religione, quæ est justitiæ species, differunt, in hoc scilicet, quod licet ista Deum respicit, non tamen immediate eum respicit, sed cultum divinum.

Ceterum virtutes, aliæ sunt acquisitæ, quæ humano studio & labore per actus repetitos acquiruntur: aliæ infusæ, quas Deus in nobis sine nobis agentibus operatur. Deinde aliæ sunt virtutes infusæ per se, quæ nempe a solo Deo infundente haberi possunt ut sunt virtutes Theologicæ: aliæ sunt infusæ per accidens, quæ humano quidem labore acquiri possunt, sed speciali Dei gratia in animam infunduntur; ut non humano, & naturali, sed cœlesti ac supernaturali modo suavius, promptius, & efficacius operetur. Sic in justificatione tum puerorum, tum adultorum, præter gratiam sanctificantem, virtutum moralium habitus a Spiritu Sancto in animam infundi docent, Concil. Viennen. Clement. 1. de S. Trinitat. & Trident. Sess. 6. cap. 7. Circa quod,

Quær. 2. Quale discrimen intercedat inter virtutes infusas, tum per se, tum per accidens, & virtutes acquisitas?

℟. Inter se differre primo, quod virtutis infusæ motivum longe sit perfectius quam motivum virtutis acquisitæ. Siquidem virtus acquisita solum respicit moralem honestatem, prout rectæ rationi consentaneam: infusa vero respicit divinam honestatem, quatenus cultui divino, & pietati christianæ conformem. Ideo motus virtutis acquisitæ

pure

pure naturalis eſt, infuſæ vero ſupernaturalis. Secundo differunt inter ſe, quod virtutibus acquiſitis vitia directe ſint contraria, & invicem ex anima ſe ſe expellant; quia inter ſe pugnant in eodem genere habitus naturalis. Virtutibus vero infuſis vitia non opponuntur proprie ac directe; quia, cum vitia ſint naturalia, & virtutes infuſæ ſupernaturales, in eodem genere habitus inter ſe non pugnant, ideo mutuo non ſeſe expellunt. Licet enim peccator juſtificatus virtutes infuſas cum gratia ſanctificante accipiat, non tamen a vitiis quibus addictus erat, ſtatim eximitur, niſi ea per virtutum acquiſitarum ſtudium ipſemet expellere ſtudeat.

QUÆSTIO II.

Quid de Virtutum proprietatibus ſit dicendum.

Not. 1. DUas eſſe virtutum præcipuas proprietates, mediocritas nimirum & connexio. Certum eſt enim, hominis affectus ad juſtam mediocritatem eſſe reducendos; ne delinquat vel per defectum, non ſatis agendo; vel per exceſſum, nimis paſſionibus ſuis tribuendo. Medium autem illud ad quod reducendæ ſunt actiones noſtræ, vel reale eſt, vel rationis. Medium reale ſuam habet a parte rei quantitatem determinatam; ita ut ex una parte non magis quam ex altera excedat, ſitque eadem ſemper in omnibus. Medium autem rationis non habet ex ſe quanitatem determinatam, ſed a ratione, & prudentia determinatur pro rerum, perſonarum, & circumſtantiarum diverſitate. Circa virtutum connexionem,

Not. 2. Virtutes in duplici ſtatu, perfecto vel imperfecto eſſe poſſe. Dicuntur in ſtatu perfecto,

quando non ſolum inclinant ad bonum ſibi proprium; ſed etiam ad illud bene, prompte fortiterque in ſingulis circumſtantiis exequendum. Dicuntur vero in ſtatu imperfecto, quando nondum plenam rationem habitus difficile amovibilis, ſed ſimplicis tantummodo diſpoſitionis ſunt adeptæ; quæ diſpoſitio inclinat quidem ſubjectum ad bene operandum, ſed non adeo fortiter, ut omnem difficultatem vincere poſſit. His notatis

Dico I. Non omnes virtutes, ſed tantummodo aliquæ in medio tum reali, tum rationis conſiſtunt.

Prob. 1. pars. Illæ virtutes in ullo medio conſiſtunt, contra quas peccari non poteſt per exceſſum. Atqui nonnullæ ſunt virtutes, contra quas per exceſſum peccari non poteſt, virtutes nimirum Theologicæ, & Intellectuales; ſiquidem nullus poteſt nimis Deo credere, nimis eum amare, nimis in eum ſperare, nimis eſſe intelligens, ſapiens, doctus. Ergo, &c.

Obſervandum tamen eſt, quod licet ſupradictæ virtutes nullum habeant medium, ex parte termini aut objecti ſui, circa quod nullus excedere poteſt; medium tamen rationis aliquod habeant ex parte ſubjecti, ratione exercitii, quatenus exerceri debent cum moderamine, juxta cujuslibet naturam, genium & conditionem.

Prob. 2. pars. Multæ ſunt virtutes, contra quas peccari poteſt vel per defectum, vel per exceſſum. Ergo multæ ſunt virtutes, quæ in medio ſeu mediocritate conſiſtunt: tales ſunt omnes virtutes morales. Sic contra prudentiam peccari poteſt diffidentia aut nimia ſollicitudine, media ad finem intentum conducentia inquirendo; unde dicitur: *Prudentiæ tuæ pone modum*; & præcipitatione, omnia ſufficienti diligentia non perpendendo. Sic contra temperantiam peccatur, vel nimis manducando, & bibendo, vel non ſumendo, quæ neceſſaria

ſunt

ſunt ad vitæ conſervationem. Sic contra fortitudinem peccatur, vel per ignaviam, periculum nimis pertimeſcendo, ver per temeritatem ipſis ſine cauſa ſeſe committendo. Sic contra juſtitiam peccatur, vel nimium, vel non ſatis tribuendo. In quo tamen juſtitia a cetetis virtutibus difert, quod iſtæ in medio rationis conſiſtant, quatenus ſtricte ac rigide omnibus præſcribi non poteſt modus prudentiæ, & temperantiæ, & fortitudinis; ſed diverſus eſſe debeat pro diverſitate temporis, loci, perſonæ, &c. Juſtitia vero, quæ jus alienum reſpicit, non tantum habeat rationis medium determinantis quando, quo medio reddendum ſit debitum: ſed inſuper medium reale habeat, rei reſtituendæ qualitatem & quantitatem accurate ac rigide determinando. *Tene igitur medium*, iniquit D. Bernard. de Conſiderat. Lib. 3. c. 10. *ſi non vis perdere modum. De hoc medio dicitur, Medio tutiſſimus ibis.*

Dico II. Nec virtutes intellectuales, nec Theologicæ, nec etiam morales in ſtatu perfecto, neceſſariam habent inter ſe connexionem.

Prob. 1. pars. Quotidiana experientia, qua videmus ſcientiam in homine reperiri poſſe abſque arte, & artem abſque ſcientia.

Prob. 2. pars. Quia ex fide certum eſt, fidem & ſpem in multis gratia & charitate deſtitutis remanere, ut ſuo loco videbimus.

Prob. 3. pars. Illi habitus inter ſe non ſunt connexi, quorum unus poteſt haberi ſine alio. Videmus enim, inquit D. Thom. 1. 2. quæſt. 65. a. 1. quandoque hominem ex naturali complexione, vel ex aliqua conſuetudine eſſe promptum ad opera liberalitatis, qui tamen non eſt promptus ad opera caſtitatis. Ergo, &c.

Prob. 4. pars. Ex D. Hieronymo in cap. 16. Iſa. *Philoſophorum ſententia eſt*, inquit *hærere ſibi virtutes: & Apoſt. Jacob. cap. 2. dicit, cui*

una defuerit, huic omnes deesse. Idem teſtatur Aug. Epiſtol. 29. *Persuadent Philosophi*, inquit, *qui unam habuerit virtutem, habere omnes, & omnes deesse cui una defuerit; quod prudentia nec ignava, nec injusta, nec intemperans esse potest; nam si aliquod horum defuerit, prudentia non erit &c.*

Ratio Divi Thomæ ſupra citati eſt 1. Quia ut virtus prompte & fortiter in omnibus circumſtantis bonum ſibi proprium exequatur, neceſſario indiget aliarum virtutum ſubſidio, quo tollantur omnia obſtacula, quæ illius virtutis exercitium retardare vel impedire poſſunt. Sic verbi gratia, ut mulier in caſtitate firmiter perſeveret, neceſſe eſt ut nec ſit avara, nec meticuloſa; ne vel metu mortis, vel ingentis pecuniæ oblatione a caſtitatis ſervandæ propoſito permoveatur aut perturbetur. 2. Nulla eſt virtus in ſtatu perfecto, inquit S. Doctor, abſque perfecta prudentia, quæ omnes regulat ac dirigit virtutes. Perfecta autem prudentia, omnes omnino complectitur virtutes; cum Prudentiæ proprium ſit appetitum efficere rectum circa omnia, quæ quis poteſt agere. At ſi deſit vel una virtus, appetitus rectus non erit circa omnia. Ergo tunc non erit perfecta prudentia, nec proinde ulla virtus in ſtatu perfecto.

CAPUT II.

De vitiis, & peccatis in communi.

DUplici modo vitium & peccatum ſumuntur; late ſcilicet, pro quolibet ſive artis ſive naturæ defectu; & ſtricte, pro quavis naturæ rationalis deordinatione in his quæ mores ſpectant. Licet autem vitium, & peccatum mortale quandoque promiſcue accipiantur; proprie tamen inter ſe differunt. Vitium quippe eſt habitus, & diſpoſitio permanens; peccatum vero actus tranſiens.

Vi-

Vitium per pœnitentiam non tollitur, ſimulque cum gratia ſanctificante conſiſtere poteſt, ſecus autem mortale peccatum. Vitium opponitur virtuti, quatenus ad malum inclinat; ſed peccatum operi tantum virtuoſo opponitur, quatenus actione tranſitoria conſummatur. Conveniunt tamen vitium, & peccatum, tum ex eo quod utrumque naturæ rationali, ut rationalis eſt, adverſetur; tum ex eo, quod ſicut ex peccato repetito vitium generatur, ita ex vitio generetur peccatum. Hic peccati naturam ſeu eſſentiam, effectus, diſtinctiones varias ac diviſiones breviter diſcutere nobis incumbit ſequentibus quæſtionibus, quibus quintam adjiciemus de peccato Originali.

QUÆSTIO I.

De natura, & eſſentia peccati.

Not. 1. PEccati nomen eſſe æquivocum. Sumitur enim quandoque pro cauſa, & pro effectu peccati. Sic concupiſcentia dicitur peccatum: *Quamvis jam non eo modo appelletur peccatum, quo facit reum*, inquit Aug. l. 2. cont. Jul. c. 9. *Sed quod ſit reatus primi hominis factum, & quod rebellando nos trahere nititur ad peccatum*. Item peccatum ſumitur aliquando pro pœna peccati, vel pro hoſtia ejuſdem. Sic Chriſtus *noſtra peccata tuliſſe, & pro nobis factum fuiſſe peccatum* dicitur. Hic vero ſumitur peccatum pro eo quod nos facit reos, & ejus eſſentialis definitio inquiritur.

Not. 2. In peccato quod facit reum, duo ſpectari poſſe, materiale nimirum, & formale. Materiale peccati eſt quilibet actus humanus, ex quo peccatum phyſice conſtat. Formale vero eſt deordinatio ex hoc actu reſultans. De qua quæritur, an in aliquo poſitivo, vel in ſola rectitudinis privatione conſiſtat. His notatis.

Di-

Dico I. Peccatum recte definitur ab Aug. l. 22. cont. Faust. c. 27. *Factum, vel dictum, vel concupitum aliquod contra legem æternam.*

Prob. Quia hæc definitio omni & soli peccato, tum materialiter, tum formaliter sumpto, perfecte congruit. Nullum quippe peccatum excogitari potest, quod vel ore, vel corde non perpetretur, Ergo materialiter sumptum, vel factum, vel dictum, vel concupitum esse necesse est. Deinde hæc definitio peccato congruit secundum suum esse formale. In eo enim sita est peccati malitia, quod sit contra legem aliquam; cum teste Apostolo Rom. 4. *Ubi non est lex, nec prævaricatio. Neque peccatum erit*, inquit Aug. lib. 2. de pec. merit. & rem. c. 16. *si non divinitus jubeatur, ut non sit.* Posito igitur quod omne peccatum sit contra legem aliquam, legi æternæ adversari consequens est, saltem mediate; cum omnis lex ab æterna derivetur, sitque aliqualis ejus participatio.

Dico II. Peccatum non consistit formaliter in aliquo positivo, sed in sola privatione rectitudinis actui debitæ.

Prob. 1. Peccatum est malum morale. Atqui malum nihil est, nisi boni privatio. *Quæcumque enim sunt*, inquit Aug. lib. 7. Conf. cap. 2. *bona sunt, malumque illud, quod quærebam unde esset, non est substantia; quia si substantia esset, bonum esset.* Et Tract. in Joan. ait: *Peccatum nihil est; & nihil faciunt homines, cum peccant.* Ex D. Anſel. l. de Conc. præsc. & prædest. c. 1. *Non est injustitia qualitas, aut actio, aut aliqua essentia, sed tantum absentia debitæ justitiæ.*

Prob. 2. Omne ens positivum a Deo est creatum. Sed peccatum formaliter sumptum a Deo non est creatum; ipsum enim summo odio habet Deus, qui nihil odit eorum quæ fecit. Ergo. Unde Aug. l. 2. de Civit. c. 7. ait: *Peccatum est nihil, quia per Verbum factum non est*

Fru-

Frustra requiritur principium mali, cum malum nihil sit; nec quærenda est causa efficiens humanæ prævitatis; non enim est affectus, sed defectus, quia nec illa effectio est, sed defectio.

Prob. 3. Sicut omnis Artifex in eo dicitur contra legem suæ artis peccare, quia opus ejus regulis artis non concordat: sic homo peccare censetur, dum actio ejus æternæ legi non est conformis. Ergo hac non conformitate posita peccatum constituitur, independenter a quovis alio, quod excogitari potest. Hinc D. Th. ait: 1. p. q. 14. art. 10. *Peccatum nihil est aliud, quam actus humanus malus. Habet autem actus humanus, quod sit malus, ex eo quod caret debita commensuratione.*

QUÆSTIO II.

Quinam sint effectus peccati.

Not. 1. QUatuor vulgo concipi possunt effectus peccati personalis. (De Originali dicetur suo loco.) 1. Naturæ vulnus seu corruptio. 2. Macula in anima peccatrice post peccatum commissum remanens. 3. Reatus tum culpæ, tum pœnæ. 4. Aliud peccatum ex primo subsequens.

Not. 2. Per peccatum naturam humanam vulnerari, & corrumpi, quatenus scilicet, inquit D. Th. 1. 2. q. 85. art. 1. 2. 3. per ipsum *ratio hebetatur præcipue in agendis, voluntas induratur ad bonum, major difficultas bene agendi accrescit, & concupiscentia magis exardescit.* Quod utique maxime præstant bonorum habituum privatio, & malorum productio, quæ a peccato suboriuntur.

Not. 3. Macula peccati, quæ & dicitur peccatum habituale, est quædam deformitas, quam per pec-

peccatum anima contrahit, qua vere ac proprie peccatrix denominatur. Hanc in anima poſt peccatum remanere conſtat ex Scriptura, ubi peccatum ſordes, macula, & immunditia dicitur. Ut Joſuè: *Uſque in hodiernum diem macula hujus ſceleris in vobis manet.* Ezech. 24. 13. *Non es mundata a ſordibus tuis*, id eſt peccatis: *Immunditia tua execrabilis eſt*, &c. Sed in quo hæc macula conſiſtat, gravis eſt inter Theologos controverſia mox dirimenda.

Not. 4. Hominem per peccatum vere ac proprie reum fieri. Reus autem dicitur, quicumque propter actionem inordinatam odium atque vindictam Dei promeretur. Unde reatus culpæ nihil eſt aliud quam jus quod habet Deus ad odio habendum peccatorem: & reatus pœnæ jus quod habet ad ſumendam de ipſo vindictam. Licet autem reatus pœnæ reatum culpæ præſupponat, & ipſum conſequatur; ex fide tamen conſtat contra Sectarios, unum ab altero ſeparari poſſe; ut in Davide ceteriſque peccatoribus pœnitentibus, qui graviſſimas tulerunt pœnas pro peccatis jam ſibi remiſſis. Imo contra Bajum & Queſnellum definivit Eccleſia graviſſimis pœnis, non quidem ſtricte ſumptis & vindicativis, Deum innocentes affligere poſſe, tum ad eorum probandam patientiam, & augenda merita, tum in peccati antidotum ac remedium. Quæſtio eſt igitur tantum modo inter Theologos, an aliqui pro peccatis alienis puniri poſſint.

Not. 5. Nihil in doctrina Sanctorum Patrum maxime Auguſtini fundatius eſſe, quam quædam peccata, ſimul eſſe peccata, & peccatorum præcedentium pœnas. Nam S. Doctor illud Apoſtoli exponens Lib. 5. contr. Julian. c. 3. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum*, &c. ait: *Hic utique vides cauſam, propter quam traditi ſunt ſine ulla ambiguitate monſtratam .. proinde*

de

de præcedentis eſt hæc pœna peccati, & tamen etiam ipſa peccatum. Sed quo ſenſu peccatum ex parte Dei ſit pœna præcedentis peccati, exponendum incumbit.

Dico I. Macula peccati formaliter ac præciſe conſiſtit in voluntaria, & habituali converſione ad creaturam, & involuntaria, & habituali averſione a Deo, ſi actus fuerit mortaliter malus.

Prob. 1. Rejectione aliarum ſententiarum in variis rebus maculam peccati conſtituentium.

Primo: Non conſiſtit macula peccati in habitu vitioſo ex præcedenti actu culpabili relicto; tum quia unico actu macula producitur, habitus vero nonniſi actibus repetitis; tum quia habitus malus in homine juſtificato, in quo peccati mortalis macula non inhæret, ex parte ſaltem remanet.

Secundo: Non conſiſtit in quadam qualitate morbida; tum quia nec dici, nec concipi poteſt quid ſit hæc imaginaria morbida qualitas; tum quia abſtracta quacumque qualitate, peccator impœnitens ſemper manet peccator.

Tertio: Non conſiſtit in reatu ſeu obligatione ad pœnam; tum quia hæc obligatio peccati maculam præſupponit, nec quis ad pœnam obligatur, niſi quia hanc maculam contraxit; tum quia, licet Deus nullam peccatori pœnam infligere ſtatuiſſet, peccati macula in peccatore ſubſiſteret.

Quarto: Non conſiſtit in privatione gratiæ ſanctificantis: tum quia id non convenit peccato veniali, licet veram inducat maculam; tum quia privatio gratiæ eſt pœna a Deo juſtiſſime inflicta, non autem peccatum habituale; tum quia una & eadem eſt in omnibus peccatoribus gratiæ privatio, diverſæ vero maculæ pro peccatorum diverſitate; tum quia in ſtatu naturæ puræ fuiſſent profecto peccata habitualia, non fuiſſet tamen privatio gratiæ.

Quinto: Non conſiſtit in actu malo præterito non condonato, & moraliter adhuc perſeverante, quia in-

inde ſequeretur hominem conſtitui peccatorem extrinſeca denominatione, orta ab actu præterito, & ſolummodo ſecundum prudentem exiſtimationem; ſicque remiſſionem peccatorum fieri per extrinſecam Dei condonationem abſque renovatione interiori, quod eſt hæreticum.

Prob. 2. Qualis eſt Actus, talis eſt habitus ab illo productus. Atqui peccatum actuale eſt actualis averſio a Deo, & converſio ad creaturam. Ergo peccatum habituale eſt habitualis averſio a Deo, & converſio ad creaturam. Deinde omne peccatum eſt voluntatis inordinatio: ſi actuale, inordinatio actualis; ſi habituale, inordinatio habitualis, per quam habitualiter adhæret objecto illicite amato. Atqui voluntas non eſt deordinata, proindeque formaliter maculata, niſi per averſionem a Deo & converſionem ad creaturam. Ergo peccati macula ſeu peccatum habituale in hac habituali averſione, & converſione conſiſtit.

Dico II. Deus non poteſt pœnam proprie dictam, propter peccatum alienum alicui infligere.

Prob. Scriptura Ezech. 18. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur; & filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii.* Galat. 6. *Unusquisque onus ſuum portabit.* Et ipſemet Dominus prohibet Deut. 24. *Ne occidantur patres pro filiis, nec filii pro parentibus,* quia nempe id injuſtum eſt.

Confirm. ex D. Aug. lib. 1. Retr. cap. 9. *Omnis pœna,* intellige pœna vindicativa, & proprie dicta; *ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur*; ideſt non infligitur, niſi propter peccatum. Ergo juſtum eſt, ut qui peccatum perpetravit, pœnam ſubeat, non quivis alius.

Dico III. Peccatum formaliter ſumptum pro reatu culpæ, non eſt ex parte Dei pœna præcedentis peccati, ſed tantum per accidens & permiſſive.

Prob.

Prob. & exponitur concluſio. Quia, alioquin Deus eſſet auctor & causa efficiens formalis peccati, quod ſummæ ejus sanctitati adverſatur. Deinde pœna peccati juſtiſſima eſt, peccatum autem formale ſumme injuſtum. Ergo peccatum formale non poteſt eſſe pœna peccati. Denique culpa formalis eſt actio voluntaria, pœna vero eſt paſſio involuntaria. Ergo unum & idem ſimul eſſe non poſſunt. Reſtat igitur, quod unum peccatum ſit pœna præcedentis per accidens, & permiſſive dumtaxat, quatenus Deus peccatorem a quo deſertus deſerit, non quidem, inquit Aug. impertiendo malitiam, ſed ſubtrahendo gratiam efficacem, non autem ſufficientem, ad nova peccata vitanda.

QUÆSTIO III.

Quomodo peccata ab invicem diſtinguantur.

Not. DUplicem eſſe peccatorum diſtinctionem, numericam ſcilicet, & ſpecificam; numericam, in quantum peccata plura ſunt numero intra eamdem ſpeciem; ſic adulterium ab alio diſtinguitur adulterio: ſpecificam, in quantum peccata ſunt eſſentialiter diverſa; ſic adulterium differt ab homicidio. Inde oritur quæſtio, quam accutate diſcutere omnino neceſſarium eſt, ad rite Confeſſiones ſuſcipiendas: unde ſcilicet deſumenda ſit peccatorum diſtinctio tum numerica tum ſpecifica.

Dico I. Peccatorum ſpecifica diſtinctio deſumenda eſt ex ſpeciali & alterius rationis malitia; ideſt, ex diverſa & ſpeciali oppoſitione ad rationis dictamen.

Prob. & explicatur concluſio. Omne peccatum eſt privatio rectitudinis debitæ. Ergo tot ſunt peccata ſpecie diverſa, quot adſunt ſpeciales & alterius rationis ad debitam rectitudinem, quæ in con-

for-

formitate cum recta ratione ſita eſt, oppoſitiones. Inteliigitur autem ex quadruplici regula diverſas ac ſpeciales adeſſe ad rectam rationem oppoſitiones. 1. Dum actio peccaminoſa diverſis virtutibus eſt oppoſita. 2. Dum ejuſdem virtutis diverſis functionibus opponitur. 3. Dum eidem virtuti opponitur contrario modo. 4. Tandem dum eidem opponitur diverſo modo; licet non contrario. Hinc

Reſol. 1. Jejunium infringens ab Eccleſia & a Superiore ſimul præceptum, modo tamen Superior illud non præceperit virtute ſanctæ obedientiæ, unicum peccatum committit; quia licet præcepta materialiter ſint diversa ob legislatorum pluritatem, uterque tamen legislator idem præcipit sub unico virtutis temperantiæ intuitu. Item qui Sacrum audire prætermittit die Dominica, ubi incidit Feſtum alicujuſ Sancti, unius peccati reus efficitur; quia, licet duplex videatur obligatio, una & eadem eſt, ratione unius ejusdem motivi, Religionis ſcilicet, propter quam auditio Sacri præcipitur. E contra duplex eſt peccatum ſpecie diverſum non jejunare eo die, quo jejunium alicui a Confeſſario injunctum eſt & ab Eccleſia præceptum, propter diversa motiva & diverſas ſpecies virtutis, pœnitentiæ nimirum, & Religionis, propter quas jejunium præcipitur.

Reſol. 3. Hæreſis & omiſſio actus fidei, odium Dei & omiſſio charitatis, Idololatria & superſtitio &c. peccata ſunt ſpecie diverſa, quatenus diverſa infringunt ejuſdem virtutis tum Fidei, tum Charitatis, tum Religionis functiones. Fidei, inquam, quæ jubet ut nihil contrarium divinæ revelationi credamus, & eidem poſitivum aſſenſum præbeamus; Charitati, quæ præcipit ut Deum toto corde diligamus, & prohibet ne ipſum odio habeamus; Religioni, qua tenemur Deum cultu legitimo colere, & alteri numini hunc cultum non exhibere.

Re-

Reſol. 3. Prodigalitas & avaritia, deſperatio & præſumptio ſpecie inter ſe differunt, quamvis eidem virtuti repugnent, liberalitati nimirum, & ſpei; quia cum virtus conſiſtat in medio, duobus modis contrariis, proindeque ſpecie diverſis ab illa deflectere poſſumus, ſcilicet defectu & exceſſu.

Reſol. 4. Detractio, furtum, rapina, homicidium ſpecie ſunt diverſa; licet eidem virtuti juſtitiæ oppoſita; quia contra ipſam diverſimode pugnant.

Dico II. Peccatorum diſtinctio numerica deſumenda eſt ex multitudine eidem rationis dictamini oppoſitionum.

Prob. & explicatur concluſio. Si ex his oppoſitionibus ſpecie diverſis diſtinctio ſpecifica deſumenda eſt, conſequens eſt ut ex eiſdem numero multiplicatis, intra eamdem ſpeciem, diſtinctio numerica deſumatur. Et ut intelligatur quando numerice multiplicantur oppoſitiones, accurate diſtinguendum eſt: vel enim quæſitio eſt de unica actione circa plura objecta materialia, vel de pluribus actionibus circa idem objectum. Si agatur de unica actione circa plura objecta, tunc unicum eſt numero peccatum, dum circa ea verſatur per modum unius, quatenus inter ſe ſunt connexa: ſed plura numero ſunt peccata, dum circa ea verſatur, ut ſunt plura, ſeu diſtributive, aut diſparate ſumpta. Hinc

Reſol. 1. Qui domum multis conſtantem partibus comburit, omnes unius gregis oves ſubripit, omnes unius Bibliothecæ libros furatur, unicum tantum peccatum committit: quia omnes domus partes, gregis oves, Bibliothecæ libri ſumuntur hic per modum unius. Item qui de unica familia, pluribus conſtante perſonis, unica detractione detrahit, aut unica blaſphemia contra univerſum Apoſtolorum Collegium blaſphemat, aut unico actu jejunium totius Quadrageſimæ non obſervare proponit,

ponit, unum dumtaxat numero peccatum committit, quia actio hæc unica ad plura quidem tendit, sed quatenus ad invicem aliquam habent inter se connexionem. Ubi tamen observandum est obiter, hos & similes casus, circa quos controvertuntur auctores, parvi ad praxim interesse; cum certum sit blasphemiam adversum universum Apostolorum Collegium, idem dic de ceteris, longe graviorem esse, proindeque in Confessione aperiendam, quam blasphemia contra unum Apostolum.

Resol. 2. Unico actu occidens decem personas, etiam ejusdem familiæ, decem peccata committit; quia jus cujuslibet particularis violatur, & unum ab altero diversum est atque independens. Item unica administratione baptizans, & absolvens in malo statu sex personas, sex numero peccata committit: quia Absolutio, & Baptismus unius cum altero non est connexus. Item conjugatus copulam habens cum conjugata non sua, duplex numero adulterium perpetrat: quia jus duplex disperatum infringit, scilicet uxoris suæ, & mariti conjugatæ, quam cognovit.

Quod si vero agatur de pluribus actionibus circa idem objectum, tot sunt peccata quot sunt actiones moraliter diversæ. Dignoscitur autem actiones physice multiplices moraliter esse, vel non esse diversas, duplici regula.

Prima Regula: Si actiones physice multiplices ordinem & connexionem moralem inter se habeant, itaut ad unam principalem concurrant, unicum erit numero peccatum. Si autem nullam connexionem habeant, itaut quælibet actio opus sit integrum, & consummatum, tot erunt numero peccata, quot erunt actiones. Hinc

Resol. 1. Qui in uno & eodem congressu tria, aut quatuor oscula omnino successive mulieri præbet: qui in una & eadem rixa tres aut quatuor ictus alteri impingit, aut ipsum pluribus ejusdem spe-

ſpeciei injuriis afficit, unum dumtaxat numero peccatum committit: quia hæc omnia ad unam & eamdem actionem protendunt. Item unicum numero peccatum committit, qui ex intentione fornicandi puellam ſollicitat, impudice reſpicit, oſculatur, tangit; quique ex intentione furandi inſtrumenta parat, defert, applicat &c. Ob eamdem rationem

Reſol. 2. Multiplex peccatum committit, qui omnino ſucceſſive ſemel & iterum fornicatur; quia quælibet fornicatio opus eſt integrum atque conſummatum. Similiter Sacerdos ſucceſſive pluribus communionem adminiſtrans in malo ſtatu, plura perpetrat ſacrilegia; quia quælibet communio individualis eſt, & completa actio, nec ullum ad aliam communionem ordinem habet.

Secunda Regula: Tot ſunt numero peccata intra eamdem ſpeciem, quot ſunt actus voluntatis circa idem objectum moraliter diſcontinuati, aut interrupti. Hæc regula ex præcedenti ſubſequitur, quia ſcilicet per moralem interruptionem fit, ut actus nullam inter ſe connexionem moralem habeant; ſicut & per moralem continuationem fit ut actus, licet phyſice multiplices, unus ſint moraliter actus. Porro ex triplici capite deſumitur moralis interruptio: 1. Ab actus revocatione, ſive per pœnitentiam, ſive per aliud motivum humanum. 2. A voluntaria actus ceſſatione, dum nempe agens ad alia expreſſe divertitur. 3. A naturali inadvertentia ſatis longa, ut juxta prudens judicium actionem ceſſaſſe & alteram incepiſſe cenſeatur. Ex primo capite

Reſol. Duplex peccatum committeret, qui mane furari ſtatuiſſet, & poſtea peccati pœnitens, hanc voluntatem abjiciens, illam deinceps reſumeret; aut qui proximum nunc odio haberet, poſtea amare proſequeretur, ac deinceps odium reiteraret. Et ideo malam voluntatem modo abjicien-

do, modo reſumendo intra unius horæ ſpatium, centum numero peccata committere poſſet.

Reſol. ex ſecundo capite. Si quis viſa puella in aliqua delectatione voluntarie perſeveret, & poſtea ſe ad alia cogitanda, aut agenda voluntarie ſe divertat, & ſtatim viſa altera puella, aut eadem, ad priorem delectationem redeat, duplex peccatum committit.

Reſol. ex tertio capite: Si quis ex intentione fornicandi trium, aut quatuor dierum iter conficiat, unicum peccatum fornicationis committit, licet in itinere nunc de peccato committendo, nunc de aliis rebus cogitet, & ſæpius dormiat. Immo fieri poſſet ut per totam hebdomadam fornicationis appetitum proſequeretur, & tamen unicum numero peccatum comitteret: ſi nempe toties quoties de eo cogitat, ſemper fornicationem expeteret. Secus dicendum eſſet, ſi ad reflexionem advertens ſeſe negative haberet. Ratio primæ reſolutionis eſt, quia prima voluntas itinerantis licet phyſice interrupta, cenſetur perſeverare ſaltem virtualiter, in actione itinerandi ſuſcepta. Ratio ſecundæ eſt, quia dum quis negative ſe habet erga propoſitum peccandi ad id quod reflectit, tunc illud propoſitum moraliter ceſſare videtur.

Si quis vero per horam integram in pravo conſenſu perſeveret, aut de re turpi voluntarie cogitet, nonniſi unicum numero peccatum committit, etiam ſi breves contingant interruptiones. Sed duplex eſſet peccatum ſi interruptio longior eſſet, per quadrantem ſcilicet, aut ſi intra cogitandum ſomno correptus fuiſſet, & poſt ſemihoram, aut quadrantem priſtinum conſenſum renovaret, aut turpem cogitationem reſumeret. Similiter, ſi quis inimicum trucidare decreverit, ſed propoſiti ſui poſthac oblitus, ipſum occidere non tentet; & inde aliqua interjecta mora propoſitum renovet, duo numero peccata committit. Ratio utriuſque

reſo-

reſolutionis eſt, quia prior voluntas ob moram interpoſitam non cenſetur virtualiter perſeverare, proindeque tum phyſice, tum moraliter ceſſaſſe. Ubi

Obſerv. 1. Illud diſcriminis intereſſe inter peccata externa, & pure interna, quod priora non adeo facile multiplicentur, poſteriora longe facilius & frequentius; quia actus interni in actibus externis virtualiter perſeverant, niſi retractentur: actus vero mere interni, cum nihil habeant vi cujus virtualiter perſeverent, longe breviori tempore ceſſant.

Obſerv. 1. Quod licet quandoque unicum ſit numero peccatum eamdem peccandi voluntatem longo tempore continuare, circumſtantia tamen durationis, quæ ſæpius peccatum notabiliter aggravat, in Confeſſione eſt aperienda: maxime cum duratio actionis peccaminoſa ordinarium modum excedit. Ad perfecte cognoſcendam peccatorum diſtinctionem, hic breviter

Quær. Undenam deſumatur peccatorum inæqualitas?

Ante reſponſionem ſupponendum. 1. Tamquam ex fide certum contra Stoicos, & quoſdam Hæreticos, peccata alia aliis eſſe graviora, dicitur enim Thren. 4. *Major eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum*. Et ipſemet Chriſtus Pilato dicebat: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*. Ratio conſonat: nullus quippe mentis compos negare poteſt, beſtialitatem & Sodomiam graviora eſſe peccata quam fornicatio ſimplex, & vitam homini eripere quam unum aut alterum aſſem.

Supponendum 2. Duplicem eſſe peccatorum gravitatem, eſſentialem nimirum, quam habet peccatum ex ſpecie ſua, & accidentalem, quæ actui advenit in ſua ſpecie conſtituto, ex circumſtantiis ſcilicet aggrantibus, de quibus jam ſermonem habui-

buimus: unde gravitatem peccatorum essentialem, non accidentalem hic inquirimus. Igitur

2. Essentialem peccatorum gravitatem ab objecto quod actus est se extendit, desumendum asse. Si enim actus humanus moralitatis speciem ab objecto desumat, ut alibi dictum est, necessario sequitur, ut gravitas essentialis seu specifica actus peccaminosi ab eodem objecto desumatur. Igitur quo nobilius est objectum peccati, eo ceteris paribus, gravius est peccatum. Ideo gravioria sunt peccata, quæ Deum respiciunt, ut blasphemia, Idololatria, &c. quam quæ respiciunt proximum, ut furtum, homicidium, &c. Item graviora sunt quæ respiciunt personam ipsam proximi, ut ipsummet homicidium, quam quæ bona ipsius, ut furtum detractio &c.

Dixi *ceteris paribus*. Siquidem modus diversus, quo actus peccaminosus tendit ad objectum, gravitatem peccati auget, vel minuit. Sic homicidium gravius est quam omissio Sacri in die festo, licet illud proximum respiciat, & istud cultum divinum; quia peccatum commissionis de se gravius est, quam peccatum omissionis; quo fit etiam, ut odium Dei longe gravius sit, quam omissio actus charitatis, licet utrumque peccatum Deum respiciat. Similiter gravius peccatur contra aliquam virtutem per defectum, quam per excessum. Sic desperatio gravior est quam præsumptio, avaritia quam prodigalitas, superbia quam nimia abjectio, &c. quia nimirum gravius peccatur contra aliquam virtutem, dum peccatur contra id ad quod primario virtus inclinat. Primario autem spes inclinat ad sperandum in Deum; & secundario ad non nimirum in ipsum sperandum: & liberalitas primario inclinat ad dandum, & secundario ad non excedendum in donis suis. Idem die de ceteris virtutibus.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quænam ſint peccati diviſiones.

PEccatum dividitur ſtatim in Originale, quod aliena voluntate, Adami ſcilicet, commiſſum, per viam generationis derivatur; & perſonale, quod propria cujuslibet voluntate perpetratur. Perſonale autem ſubdividitur in actuale, quod eſt ipſemet actus malus commiſſus, & habituale, quod dicitur macula remanens in anima ex peccato actuali. De iſto præcipue hic agitur, & multipliciter ſubdividitur.

1. Ratione præcepti, aliud eſt peccatum commiſſionis, quo præceptum negativum aliquid prohibens infringitur, ut furtum: aliud omiſſionis, quo affirmativum aliquid præcipiens violatur, ut omiſſio Sacri die Feſto.

2. Ratione ſubjecti, aliud eſt carnale quod in carne ſeu carnali delectatione perficitur, ut gula, luxuria: aliud ſpirituale, quod abſque carnali delectatione in anima conſummatur, ut ſuperbia, invidia, &c.

3. Ratione cauſæ, aliud eſt peccatum infirmitatis, quod ex ignorantia aut paſſione, aut ſubreptione committitur: aliud malitiæ, quod ſola perverſitate voluntatis ex plena cognitione, & deliberatione, ſine ulla urgente neceſſitate, perpetratur.

4. Ratione objecti, aliud eſt contra Deum, quod amori vel reverentiæ Deo debitæ ſpeciali ratione opponitur, ut hæreſis, deſperatio, &c. Aliud contra proximum, quo proximo nocumentum infert, ut homicidium, calumnia, &c. Aliud ſpecialiter contra ſeipſum, per quod homo violat rationis ordinem, quem ſervare tenetur erga ſe ipſum pro recta ſui gubernatione, ut Ebrietas, Fornicatio, &c.

5. Ratione modi, aliud eſt peccatum cord quod ex natura ſua in corde conſumatur, ut l reſis, odium, &c. Aliud oris, quod ſolo ore p petratur, ut perjurium, blaſphemia, &c. Al operis, quod opere externo perficitur, ut furtu fornicatio, &c.

6. Ratione qualitatis offenſæ Dei, aliud mortale, quod graviter Deum offendit, & m tem animæ infert; aliud veniale, quod lev Deum lædit, quodque cum animæ vita, & tia ſanctificante conſiſtere poteſt.

De his omnibus peccatorum ſpeciebus hic bis breviter agendum incumbit ſequentibus ticulis.

ARTICULUS I.

De peccato commiſſionis, & omiſſionis

Not. 1. Licet conveniant omnes Theologi p catum commiſſionis & omiſſic inter ſe differre, in eo quod illud per actum ſitivum efficiatur, iſtud vero per ejuſdem ac carentiam, cum nullus præerequiratur actus ut p ceptum non impleatur, ſed ſufficiat ejus negat gravis tamen eſt controverſia inter eos, utr omiſſio poſſit eſſe voluntaria, & libera, pro deque peccaminoſa, citra ullum voluntatis actu Circa quod

Not. 2. Omiſſionem actus præcepti triplici r do voluntaria eſſe poſſe, 1. Expreſſe, dum q expreſſe dicit interius, *Nolo ſacro intereſſe*. indirecte, dum quis vult expreſſe aliquid face quo impediatur quominus Sacro intereſſe poſſ ludere v. g. aut venari tempore Sacri. 3. Ne tive, dum quis propoſito ſibi ab intellectu Ecc ſiæ præcepto omnem actum voluntatis ſuſpend ita ut nec ſe velle, nec ſe nolle illud adimpl

di-

dicat. De qua omiſſione ſic expoſita, quæritur utrum voluntaria ſit, libera & peccaminoſa.

Dico: Omiſſio voluntaria, & libera, & peccaminoſa eſſe poteſt, abſque omni voluntatis actu.

Prob. Multiplici auctoritate & ratione, 1. D. Thom. ait 1. 2. q. 71. ar. 5. *Si in peccato omiſſionis conſideretur id quod per ſe pertinet ad rationem peccati; ſic aliquando eſt omiſſio, abſque omni actu tum exteriori tum interiori.* 2. Juxta eumdem D. Th. 1. 2. q. 6. ar. 3. *Illud cujus domini ſumus, dicitur voluntarium. Sed nos domini ſumus ejus quod eſt agere & non agere, velle & non velle. Ergo ſicut agere & velle eſt voluntarium, ita & non agere, & non velle.* Non agere autem nihil aliud eſt, quam actum non ponere, ſeu omnem actum ſuſpendere, quod eſt pura omiſſio. 3. Non advertere voluntarium eſt, & peccaminoſum ſecundum omnes Theologos, modo homo facile advertere poſſit ac debeat. Ergo a fortiori *non velle & non agere*, inquit D. Th. 2. 2. q. 79. a. 3. *cum tempus fuerit, eſt voluntarium.*

Confirm. Exemplis. Contingere utique poteſt, quod quis advertens Sacri auditionem omittat, licet non velit poſitive eam omittere. Atqui in tali caſu hæc omiſſio erit culpabilis, proindeque voluntaria; cum omne peccatum voluntarium eſſe neceſſe ſit. Deinde, qui advertens periculum aliquem occidendi, dum catapultam v. gr. cogitat explodere, eam probe dirigere, vel a loco, ubi adeſt quiſpiam, divertere omitteret, haud dubie inde ſecuta hominis occiſio illi imputaretur, licet poſitive non voluiſſet catapultam non dirigere. Certum eſt autem hanc occiſionem illi non imputari poſſe, quin ſit voluntaria. Ergo. Multa nunc quæruntur circa omiſſionem & illius cauſas, quæ breviter ſolvere hic nobis incumbit.

Quær. 1. Utrum actus, qui cum omiſſione cul-

pabili conjunctus est, sit peccaminosus? Utrun
v. g. qui tempore Sacri ludo indulget, ludus eju
sit peccatum?

R. Cum distinctione, vel ludus iste causalite
se habet ad omissionem Sacri, ut dum quis, n
ludum interrumpat, Sacrum prætermittit: ve
concomitanter tantum, ut dum quis, postquar
statuit omittere Sacrum, in legendo, studend
tempus terit. Si primum, ludus ille peccatur
erit; siquidem quod est peccati causa volunta
ria, id a peccato immune esse nequit. Si se
cundum, non erit peccatum, cum nullo modo i
omissionem influat, sed per accidens ad illam
habeat. Excipe tamen si post omittendi propos
tum, quod facile retractari potuerit, aliquid ope
ratur quod in posterum præcepti adimpletionen
impossibilem reddat. Hinc

Resolv. Si quis navem conscendens, longæ na
vigationis gratia, statuisset numquam Officiun
recitare, & in tali proposito Breviarium in mar
projecisset, peccasset utique illud projiciendo
quia in longa navigatione retractare facile potui
set, aut verisimiliter retractasset primum suum ma
lum propositum, sed per affectatam Breviarii pro
jectionem medium Officium recitandi malitio
sibi abstulit. Similiter graviter peccat, qui vo
castitatis emisso uxorem ducit, licet ante supra
dictum votum numquam servare statuerit; qui
per contractum Matrimonium adimpletionem vo
præcedentis impossibile reddidit.

Resolv. 2. Si propositum ab aliquo emissu
Missam non audiendi, tam longe distet ab ip
omissione, ut facile posthac propositum muta
possit, & se mutaturum probabile sit, novum pr
culdubio peccatum committit, ludo aut venatio
dando operam; cum per hanc operam revocati
nem probabiliter subsecuturam inutilem volunt
rie

rie efficiat; ex quo ſequitur eos qui cum ipſo ludunt aut venantur in tali caſu, peccati ejus participes fieri.

Quær. 2. Utrum actus, qui omiſſionis eſt cauſa, peccatum ſit diſtinctum ab ipſa omiſſione peccaminoſa.

℟. Diſtinguendo; vel actus eſt de ſe jam alioquin malus, vel eſt indifferens. Si de ſe jam eſt malus, evidens eſt, peccatum eſſe diſtinctum. Si indifferens, ab ipſo omiſſionis peccato minime diſtinguitur; quia totam malitiam ſuam traxit, nec ullam aliam habet niſi ab omiſſionis malitia. Hinc

Reſolv. 1. Ponens voluntarie actum, ex quo prævidet probabiliter præceptum non adimplendum, ſomno v. g. indulgens, dum Sacrum eſt audiendum, graviter peccat, licet rebus mutatis Sacrum deinceps audiat.

Reſol. 2. Peccatum omiſſionis incipit, cum incipit actus qui eſt cauſa vel occaſio, cur præceptum deinceps non adimpleatur; completur autem eo tempore, quo præceptum quod omittitur, eſt adimplendum. Quod ſi vero tunc temporis omittens ſui non ſit compos, vel quia dormit, vel quia ebrius eſt; conſummatur omiſſio ipſo inſtanti, quo voluntarie poſita eſt cauſa ſubſecutæ omiſſionis; nec enim quis peccare poteſt, dum ſui compos non eſt.

Quær. 3. Utrum omnes omiſſiones ſequentes ex infirmitate & impoſſibilitate contracta, imputari debeant ei, qui has voluntarie contraxit?

℟. Si has omiſſiones prævidit aut prævidere debuerit, ipſi ſunt imputandæ; quia tunc ſunt vel formaliter vel interpretative ab ipſo in cauſa volitæ. Certum eſt autem, voluntarium in cauſa ad peccandum ſufficere. Quod ſi vero nec eas prævidit nec prævidere debuerit, ipſi non ſunt imputandæ; cum nihil volitum quin præcognitum. Hinc

Re-

Resolv. Qui Baccho & Veneri nimium indulgens ita sit infirmus, ut posthac jejunare non possit, peccat non jejunando, nisi tamen facti sincere coram Deo pœniteat.

ARTICULUS II.

De peccatis carnalibus, & spiritualibus, infirmitatis, ignorantiæ, & malitiæ.

Not. CIrca peccata carnalia, quod licet peccata omnia dicantur ab Apostolo *opera carnis*, quatenus scilicet secundum naturam totius hominis corruptam considerantur; peccatum tamen carnale proprie dicitur, quod spirituali opponitur. Istud ceteris paribus carnali gravius est, quia nempe vehementius hominem ad peccatum sollicitat & allicit: illud vero spirituali periculosius est, quia rationis judicium obtundit & mentem habetat.

Porro inter peccata tum carnalia tum spiritualia, septem capitalia numerantur; sic dicta, quia radices sunt & capita, ex quibus alia omnia peccata prodeunt. *Luxuria & Gula* inter carnalia deputantur, reliqua vero inter spiritualia, videlicet *Superbia*, *Avaritia*, *Invidia*, *Ira*, *Acedia*, de quibus suo loco sermonem faciemus.

Not. 2. Circa peccata infirmitatis, ignorantiæ & malitiæ; quod, licet nullum sit peccatum, quod toti SS. Trinitati non adversetur, peccatum tamen infirmitatis contra Patrem dicitur, cui tribuitur specialiter Potentia; peccatum ignorantiæ contra Filium, cui Sapientia; & peccatum malitiæ contra Spiritum Sanctum, cui Bonitas assignatur. Ad peccata malitiæ reducentur quatuor peccata præcipua in cœlum clamantia: nimirum *Homicidium* voluntarium, Peccatum *Sodomiticum*, *Oppressio* pauperum, & *Merces* operariorum defrau-

fraudata; quia videlicet malitiam adeo manifeſtam pre ſe ferunt, ut divinam vindictam vehementius quam cetera peccata provocare cenſeantur. Item ad peccata malitiæ maxime reducuntur ſex peccata, quæ contra Spiritum Sanctum ſpecialius eſſe dicuntur. 1. *Præſumptio* de miſericordia Dei, qua inaniter freti peccatores ad peccandum fiunt audaciores. 2. Deſperatio divinæ miſericordiæ, qua ſpes omnis tum impetrandæ veniæ, tum ſalutis conſequendæ abjicitur. 3. Agnitæ veritatis *Impugnatio*, qua Fidei catholicæ veritas non ex ignorantia, ſed ex malitia oppugnatur. 4. Fraternæ charitatis *Invidia*, qua dolemus de donis ſpiritualibus, quibus proximus eſt exornatus. 5. *Obſtinatio* eorum qui pertinaciter in peccatis perſeverantes a quibuſvis gratiis tum internis, tum externis ſe moveri non ſinunt. 6. *Impœnitentia* eorum, qui numquam pœnitentiam agere propoſuerunt. De quo peccato proprie dicitur non haberi remiſſionem neque in hoc ſæculo, neque in futuro; *quia* nimirum, inquit Aug. *pœnitentia impetrat remiſſionem in hoc ſæculo, quæ valeat in futuro.*

ARTICULUS III.

De peccatis contra Deum, proximum, & noſmetipſos, ubi de peccato Philoſophico.

Not. 1. NOS ſuperius adnotaſſe, peccata adverſus Deum perpetrata ea eſſe, quæ amori vel reverentiæ Deo debitæ *ſpeciali ratione* adverſantur. Certum quippe nobis videtur, nullum eſſe omnino aut eſſe poſſe peccatum, tum adverſus proximum, tum adverſus noſmetipſos, quod ſuo modo in Deum non pugnet, ipſumque non offendat, contra nonnullos Theologos argute diſtinguentes peccatum Theologicum a Philoſophico, quorum ut ſyſtema intelligatur,

Not. 2. In Actu peccaminoso malitiam duplicem considerari posse: primam, quatenus præcise rectæ rationi adversatur: alteram, quatenus cum lege divina pugnat. Dum igitur, inquiunt, peccatum perpetratur ab homine advertente solummodo ad rectam rationem, cujus consideratio Philosophorum est, peccatum est Philosophicum, quod quantumlibet sit grave ac turpe, Dei amicitiam non dissolvit, nec pœnam incurrit æternam. Quod si perpetretur ab advertente ad Legem & offensam Dei, quarum consideratio Theologos spectat, erit Theologicum, amicitiam Dei dissolvens, & peccatorem, dum gravis est materia, pœnis æternis addicens. Contra hanc sententiam

Dico: Culpa moralis a Theologica minime distinguitur, nec ullum esse potest peccatum rectæ rationi contrarium, quod simul contra Legem æternam, & ipsum Deum non pugnet.

Prob. 1. Sententia contraria damnata est ab Alex. VIII. Die 24. Aug. an. 1690. & a Clero Gallicano an. 1700. tamquam scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva, & erronea.

Prob. 2. Ex variis Scripturæ textibus, quibus convincitur inadvertentiam ad Legem & offensam Dei nullatenus excusare a vero formali atque Theologico peccato. 1. Psal. 13. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus*; id est noluit sincere credere Deum esse, aut saltem ab eo mentis oculos avertit. Attamen pergit Psalmista: *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt*, certe coram Deo per peccata formalia facti sunt corrupti & abominabiles. Unde Ps. 9. sic ait; *Exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret. Non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur judicia tua a facie ejus.* Ubi aperte declaratur peccatorem Deum exacerbare atque offendere, licet de ipso non cogitet.

Prob.

Prob. 3. Ratione, quia qui advertit ſe actionem perpetrare dictamini rationis contrariam, eo ipſo advertit ſaltem implicite eam Legi æternæ adverſari; cum rationis dictamen, ut alibi dictum eſt, radius ſit atque effluvium ipſiuſmet Legis æternæ. Deinde licet qui in peccatum rationi contrarium cœco modo impingit, ad offenſam Dei non advertat, plane ſufficit ad formaliter & Theologice peccandum, quod advertere potuerit ac debuerit. Unde D. Th. 1. 2. q. 74. a. 7. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quod ex hoc ipſo quod ratio ſuperior non dirigit actus humanos ſecundum legem divinam, impediens actum peccati, dicitur ipſa conſentire ſive cogitet de lege æterna, ſive non. Cum enim cogitat de lege Dei, actu eam contemnit: cum vero non cogitat, eam negligit per modum omiſſionis cujuſdam.*

Prob. 4. Ex abſurdis, quæ ex doctrina contraria manifeſte ſequuntur.

1. Sequitur, horrenda quæque flagitia in viris perditiſſimis, qui in peccando de Deo minime cogitant, & in Atheis & idololatris, qui Deum non noverunt, non eſſe vere peccata morte æterna digna. Immo ſequitur peccatores eo magis excuſabiles eſſe, quo flagitioſiores ſunt & minus de offenſa Dei cogitant; quo nihil abſurdius atque horribilius excogitari poteſt.

2. Sequitur, pejorem eſſe conditionem eorum qui Dei notitiam habent, quam Gentium quæ, ut ait Apoſtolus, *ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ in illis eſt propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes tradiderunt ſe impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis*: cum rariſſime peccare poſſent Theologice.

3. Sequitur quod qui vita diſcederet poſt peccatum turpiſſimum atque graviſſimum, ſed ut ajunt, dumtaxat Philoſophicum, nec fore damnan-

dum nec ſalvandum: non damnandum quidem juxta mentem adverſariorum: nec utique ſalvandum, cum ſcriptum ſit, quod *qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*. Numquid ad lymbum talis peccator deſtinaretur? Sed hæc fictio manifeſte eſt erronea, cum de fide ſit ſolos pueros, qui non propria, ſed aliena voluntate peccaverunt, ad hunc lymbum deſtinari poſſe.

ARTICULUS IV.

De peccatis cordis, oris, & operis, ubi de delectatione moroſa.

Not. 1. TRibus *modis*, inquit D. Greg. Pap. *tentatio agitur, ſuggeſtione delectatione, & conſenſu*. Propoſito ab intellectu objecto jucundo vel injucundo, naturaliter exurgit in corde erga illud objectum complacentia vel diſplicentia; ſubſequitur denique conſenſus, quo rem excogitatam, de qua delectamur, aut triſtamur, aſſequi vel refugere exoptamus.

Not. 2. Duplicem eſſe delectationem, involuntariam ſcilicet, & indeliberatam, quæ in appetitu ſenſitivo independenter a voluntate ex mala cogitatione ſuboritur; voluntariam ac deliberatam, quæ ab intellectu percepta a voluntate approbatur. Et hæc moroſa delectatio nuncupatur; non quidem ex temporis diuturnitate, cum unico inſtanti poſſit quilibet huic delectationi voluntarie adhærere, ſed ex mora voluntatis, quæ poſt hujuſce cogitationis ac delectationis advertentiam, eam non repellit, ſed in ea immoratur, ac quaſi quieſcit, abſque deſiderio ulterius ad opus malum procedendi.

Not. 3. Triplici modo voluntas huic malæ delectationi adhærere poteſt, atque in ea immorari & ipſam approbare. 1. Expreſſe & poſitive, dum vo-

voluntas delectationem perceptam per actum poſitivum vult atque intendit. 2. Interpretative & negative; dum ipſa non quidem delectationem poſitive approbat, ſed eam advertens non repellit aut coercet. 3. Virtualiter dum cauſa influens in delectationem, & talis cognita, libere a voluntate ponitur, ſive intendatur talis delectatio, ſive non.

Not. 4. Circa triplex objectum delectationem verſari poſſe; vel circa ipſammet cogitationem rei malæ, quatenus eſt utilis ad aliquid, vel circa modum mirabilem, ingenioſum aut ridiculum, quo res eſt peracta, vel denique circa rem ipſam cogitatam. Si delectatio verſetur tantum circa cogitationem rei malæ, vel circa modum quo peracta eſt, conſenſus in hanc delectationem non eſt de ſe mortalis. Siquidem talis eſt delectatio, quale eſt objectum ex quo oritur. Cogitatio autem alicujus rei & modus mirabilis aut ridiculus, quo res peragitur, de ſe utique non ſunt mala. Ergo nec eorum delectatio. Immo delectatio orta ex cogitatione rei malæ meritoria eſſe poteſt; ut ſi quis de peccatis cogitaret, concionandi aut diſputandi gratia. Dixi *per ſe*, nam per accidens, ratione periculi conſenſus in ipſam rem, delectatio de cogitatione, ſicut & de modo, mala ſæpius evadit.

Quæſtio eſt igitur tantummodo de delectatione quæ verſatur circa ipſam rem malam cogitatam. De qua quæritur. 1. Utrum de ſe peccatum ſit mortale. 2. Utrum ad delectationem moroſam & mortalem ſufficiat conſenſus interpretativus, aut negativus. Circa quod

Dico I. Moroſa delectatio de objecto repreſentato mortaliter malo peccatum eſt mortale, licet nulla adſit voluntas rem malam aſſequendi.

Prob. 1. Ex Scriptura Proverb. 15. v. 16. *Abominatio Domini cogitationes malæ*; & Sap. 1. 3.

Perverſæ cogitationes ſeparant a Deo. Et D. Aug. Lib. 12. de Trin. c. 12. dicit, *quod tunc homo damnabitur, niſi hæc quæ ſine voluntate operandi, ſed cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentiantur eſſe peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.* Ideo Doctrina eorum qui cenſent hanc pravam delectationem peccatum eſſe tantummodo veniale, damnata eſt a Clero Gallicano an. 1700. tanquam falſa, temeraria, ſcandaloſa, in praxi periculoſa, concupiſcentiam fovens, in tentationem & in gravius peccatum inducens, contraria & injurioſa S. Auguſtino.

Prob. 2. Ratione: quia dum aliquis de re mala cogitata delectatur & ei voluntarie immoratur, proculdubio convincitur aliquo affectu teneri erga talem rem. Atqui affectus erga rem mortaliter malam peccatum eſt mortale. Ergo & de ipſa voluntaria delectatio. Porro quod dicitur de delectatione in re mala, non abſimili ratione dicendum eſt de diſplicentia in re bona; ut dum quis triſtatur de bono Dei vel proximi, vel de bono aliquo virtutis opere, Religionis, miſericordiæ, temperantiæ, obedientiæ, &c. cum hæc triſtitia aut diſplicentia affectum malum & peccaminoſum, ex quo oritur, evidenter arguat.

Dico II. Moroſa delectatio de re mortaliter mala peccatum eſt mortale; dum advertens ratione voluntas circa illam ſe habet negative, licet eam poſitive non approbet.

Prob. Ratione multiplici. 1. Quia ſi quis poſſet abſque culpa gravi in hac delectatione immorari & eam non repellere, dum advertit, poſſet etiam ſine gravi culpa eamdem poſitive appetere, quod falſum eſt. Certum quippe eſt nos poſitive appetere poſſe, quod de ſe eſt indifferens: illud autem de ſe eſt indifferens, quod abſque ulla neceſſitate dicite in nobis pati poſſumus, dum illud facili negotio repellere valemus.

2. Il-

2. Illa morosa delectatio, quam non repellimus dum eam advertimus, voluntaria est: ergo peccaminosa. Illud namque voluntarium est saltem interpretative, quod non repellimus cum possumus ac debemus. Debemus autem delectationem de re mala repellere, quia ad malum nos impellit, & peccandi periculo proximo nos committit. Moraliter enim impossibile est, ut qui sic delectari se sinit, absque ulla utili aut honesta ratione delectationem positive non approbet, ipsique formaliter non assentiatur.

3. Per præceptum *Non concupisces* tenemur utique nedum concupiscentiis nostris non consentire, sed & eas cohibere; cum præceptum istud simul negativum sit atque affirmativum. Ubi tamen observandum est, præceptum istud, quatenus positivum semper quidem obligare, sed non pro semper. Ideo casus evenire potest, ubi delectationis hujus occasionem (idem dicito de motibus sensualitatis in corpore suscitatis) vitare non tenemur, dum nempe propter eam aliqua actio necessaria, utilis & honesta foret omittenda; modo tamen ulterioris consensus nullum plane adsit periculum. Ex dictis,

Resol. 1. Qui morose delectatur de quocumque malo, hic & nunc sibi illicito, sive a se, sive ab alio commisso, aut committendo, quodque committi potest, vel non potest, tale peccatum perpetrat, quale est malum de quo delectatur.

Resol. 2. Nefas est delectari de actu intrinsece malo, etiam per accidens extra culpam commisso, v. g. de pollutione nocturna, aut de homicidio casu perpetrato.

Resol. 3. Omnino viduis illicitum est delectari de copula præterita, & Sponsis de futura, immo & ipsismet Conjugatis de copula vel præterita, vel futura cum sua comparte absente. Nec audiendi sunt Casuistæ, qui carni & sanguini nimium

nium indulgentes, Conjugatos de talibus voluntarie se delectantes a mortali excusant. Ratio est 1. Quia similes delectationes vehementem corporis commotionem habent sibi annexam, & ex natura sua ad pollutionem inclinant. 2. Quia licet harum delectationum objectum licitum fuerit, aut futurum sit, tunc tamen temporis & in tali circumstantia non est licitum, quatenus actualiter cogitatum. 3. Quia hæ delectationes sunt initium quoddam carnalis copulæ, & quasi quædam copula imaginaria & in animo facta extra Matrimonium, proindeque sub peccato mortali prohibita.

Quær. 1. Qua ratione dignosci possit, utrum habeatur delectatio potius de cogitatione rei malæ, & de modo quo peracta est, quam de re ipsa mala?

R. Id duobus potissimum signis posse dignosci. 1. Præsumendum est delectationem esse potius de re mala, quam de cogitatione & modo; si quis de pravo objecto cogitet non ex bono fine studendi, docendi, concionandi, confessiones audiendi, &c. sed ex lectione curiosa, colloquio vano, aspectu inhonesto, &c. Sic morosa delectatione damnantur, qui frequenter & libenter absque necessitate colloquia miscent de occultis corporum partibus, de usu ac debito Matrimonii, qui libros fabulosis & amatoriis narrationibus refertos legunt, qui Comœdiis amoris profani artes occultas, & dolos exhibentibus, interfunt, &c.

2. Dum quis magis in re turpi quam in honesta delectatur, præsumendum est potius ob ipsa re delectationem suscipere, quam a cogitatione & modo. Unde si quis de musica aut poesia circa res turpes aut amatorias magis afficiatur, quam si versaretur circa pias aut honestas; convincitur non de artificioso carmine aut suavitate musicæ, sed ipsa re delectari. Item si Theologiæ Candidatus, casuum conscientiæ studio dans operam, casus ad

luxu-

luxuriam ſpectantes potius atque curioſius, quam ceteros perquirat: ſi Confeſſarius, qui in aliis materiis non multum ſollicitus, in materia carnis minutiſſima quæque diligenter perſcrutatur, quique libentius feminarum quam virorum, puellarum quam vetularum confeſſiones excipit, hi omnes magis de re turpi quam de cogitatione aut modo delectari convincuntur, cum hæc prælectio pravum affectum evidenter denotet.

Quær. 2. Utrum delectatio ab objecto ejuſque circumſtantiis ſpecificetur? Et utrum hæ circumſtantiæ in Confeſſione ſint aperiendæ?

R. Affirmative cum D. Anton. 2. part. Tit. 5. c. 1. §. 6. quia, ut jam dictum eſt, tale eſt proculdubio delectationis peccatum, quale eſt objectum a parte rei ab intellectu, ut præſens, repræſentatum. Ergo ſi objectum malis, ac diverſæ rationis circumſtantiis veſtitum repræſentetur harum circumſtantiarum malitiam neceſſario induet.

Nec refert, quod ſæpius eveniat pravam circumſtantiam delectationis non eſſe motivum; ut dum quis delectatur de occiſione inimici ſui Sacerdotis, aut de copula cum Moniali. Nam plane ſufficit, ut hæc circumſtantia objecto ſit annexa, & ab intellectu ſit repræſentata. Alioquin nec ipſummet deſiderium, Sacerdotem v. gr. inimicum occidendi, & cum Moniali copulam habendi, rationem ſacrilegii induceret (quod ſane nemo dicet) licet Sacerdotis aut Monialis character non ſit etiam motivum illius deſiderii.

Quær. 3. An delectari liceat de re mala ſub ea conditione, ſi non eſſet mala, aut non prohibita?

R. 1. Moroſa delectatio in qualibet materia intrinſece mala & jure naturæ prohibita peccatum eſt mortale, quacumque facta præciſione & ſuppoſitione. Unde peccaret mortaliter, qui actum delectaretur de perjurio, furto, vindicta, fornica-

tio-

tione, &c. etiam cum hac ſuppoſitione, ſi hoc non eſſet malum, offenſa Dei, aut ſi Deus hanc facultatem mihi concederet; tum quia hæc ſuppoſitio aut præciſio malitiæ ab objecto intrinſece malo eſt impoſſibilis & omnino repugnat; tum quia id quod eſſentialiter malum eſt, bonum eſſe nequit; tum quia hæc delectatio oritur ex pravo rei malæ affectu, quem proculdubio non tollit quæcumque facta ſuppoſitio, aut prohibitio.

℟. 2. In rebus malis, quia ſunt prohibitæ, ſuppoſitio aut præciſio malitiam moroſæ delectationis, immo deſiderii, tollere poteſt, *v. g.* Vellem carnes comedere, ſi non eſſet Quadrageſima; cum in hac ſuppoſitione carnium comeſtio mala non ſit, & hæc ſuppoſitio omnino ſit poſſibilis; modo tamen nulla ſit complacentia de ea re, quatenus tunc illicita & prohibita, nec ullum ulterioris conſenſus ſubſit periculum, deſiderii ſcilicet præceptum non implendi.

Quær. 4. Utrum liceat gaudere de peccato propter effectum bonum ab eo ſecutum?

℟. Cum ex Apoſtolo non ſint facienda mala ut eveniant bona, nefas eſt proculdubio de peccato gaudere, propter quodlibet bonum ex ipſo ortum: ſed omnino gaudere licet, quod peccatum alicujus boni cauſa fuerit aut occaſio; tunc enim voluntas in peccatum non fertur, ſed in bonum ab ipſo ortum; unde canit Eccleſia: *Felix culpa, quæ tantum & talem meruit habere Redemptorem.* Non peccat igitur, qui gaudet quod poſt mortem inimici ab ejus perſecutione ſit expeditus, vel quod poſt nocturnam pollutionem tranquillitatem animi, aut corporis ſanitatem comparaverit. Sed diligenter cavendum eſt, ne in hoc gaudio periculum ſubſit de ipſamet morte inimici, aut pollutione gaudendi.

A R-

ARTICULUS V.

De Peccato mortali & veniali.

MUlta de peccato mortali & veniali occurrunt exponenda. 1. Utrum inter peccata, alia ſint de facto venialia, alia mortalia. 2. Quæ requirantur ad peccatum tum mortale, tum veniale. 3. Qua ratione hæc inter ſe differant. 4. Quæ ſint pœnæ peccati tum mortalis, tum venialis. Hæc omnia diſcutiemus ſequentibus Paragraphis.

§. 1. *De peccati mortalis & venialis exiſtentia.*

Not. LUtheranorum & Calviniſtarum, immo & inter Catholicos, Gerſonis & Almaini error fuit, omnia peccata ex natura ſua mortalia eſſe; cum hoc diſcrimine, quod Lutherani & Calviniſtæ cenſeant omnia peccata in Infidelibus ac Reprobis mortalia eſſe, in Fidelibus vero & Prædeſtinatis venialia: Gerſon autem & Almainus docuerint peccata venialia fieri, non quidem reſpectu ad certas perſonas, ſed ex quadam lege Dei, & pura ejus miſericordia, pro ſua bonitate nolentis, quod æquiſſime poſſet peccata quælibet privatione gratiæ ac pœna æterna punire. Contra quos

Dico: Dantur peccata venialia a mortalibus diſtincta, non ex perſonarum qualitate, nec ex ſola divina miſericordia, ſed ex ſe & natura ſua.

Prob. 1. pars. Qui magis Deum cognoſcunt, potioraque ab eo beneficia ſuſcipiunt, juxta communem exiſtimationem, gravius in Deum peccant. Atqui Fideles & Prædeſtinati ordinarie magis Deum cognoſcunt, potioraque ab eo beneficia ſuſcipiunt. Ergo tantum abeſt ut eorum peccata

levia

levia reputentur, quinimmo longe graviora esse concludendum est. Deinde, nonne Adamus, Eva, David, &c. Fideles erant atque Prædestinati? Quis tamen audeat dicere, ipsos mortaliter non peccasse?

Prob. 1. pars 1. Ex Conciliis & Patribus, quia in explicandis peccatis venialibus nusquam ad divinam misericordiam recurrerunt; sed ad solam materiæ levitatem, aut ad inconsiderantiam & subreptionem. 2. Ex Christo Domino, qui mortalia vocat trabes & camelos de se graves; & venialia festucas & culices ex natura sua leves. 3. Ex censura Pii V. & Greg. XIV. qui hanc Bajanam propositionem damnarunt: *Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Conf. Ratione; quia si ex sola Dei voluntate peccata essent venialia, nihil in his discernendis certi habere possemus, cum nulla adsit revelatio, qua constet unum peccatum potius quam alterum veniale a Deo reputari. Deinde nonne ipsa ratio & æquitas naturalis nobis ab ipsomet Deo indita dictat, ne arctam cum amico dissolvamus amicitiam, nec eum ad mortem usque persequamur ob minimam quamlibet culpam? Quod si vero id ratio dictet & æquitas naturalis, idipsum profecto ex natura rei, non ex sola misericordia, proficisci necesse est.

Quær. Utrum malitia peccati sit infinita, quatenus est offensa Dei?

R. Esse tantummodo secundum quid, non simpliciter & absolute, infinitam; id est, objective dumtaxat & denominative per respectum ad Deum ad quem tendit, & cujus infinitatem extrinsece participat; non autem formaliter & extrinsece, per respectum ad ipsummet actum peccaminosum. Si enim malitia peccati esset simpliciter & absolute infinita, nullatenus intelligi posset qua ratione

unum

unum peccatum altero gravius eſt; cum nihil infinito majus eſſe poſſit. Deinde gravitas malitiæ, non ſolum ex dignitate Perſonæ offenſæ deſumitur, ſed ex ipſiuſmet offendentis cognitione, quæ cum ſit finita, malitia actioni ejus non niſi finita eſſe poteſt. Perinde igitur dicendum eſt de malitia peccati, ac de merito boni operis; quod licet ſecundum quid infinitum ſit, quatenus verſatur circa objectum infinitum, ſimpliciter tamen & abſolute finitum eſt, quatenus eſt actio hominis finita.

§. 2. *De requiſitis ad peccatum tum mortale, tum veniale.*

Not. 1. AD quodlibet peccatum actuale, ſeu ad culpabilem Legis tranſgreſſionem, tria neceſſario requiri, advertentiam ſcilicet, conſenſum, & libertatem, ultro omnes concedunt Catholici. De libertate jam ſatis ſuperque dictum eſt in Tractatu *de Actibus humanis*. De advertentia & conſenſu nonnulla gravis momenti hic nobis exponenda occurrunt. Circa quod

Not. 2. Multiplicem eſſe advertentiam. 1. Ratione objecti, alia eſt advertentia ad ſolum actum, dum quis v. g. advertit quidem ſe carnem comedere, ſed non advertit id tunc eſſe prohibitum: alia eſt advertentia ad actum ſimul & ad malitiam ejus; dum quis reflectit ſe carnem comedere die prohibita. 2. Ratione modi; alia eſt expreſſa & formalis, dum quis actionem, quam hic & nunc advertit prohibitam: alia virtualis & implicita ſeu interpretativa; dum nempe adeſt dubium aliquod, vel ſuſpicio peccati, aut periculi ejus. Item dum adeſt prævisio, ſaltem confuſa, actus mali in ſua cauſa, aut negligentia culpabilis illud cognoſcendi & advertendi. 3. Ratione perfectionis, alia eſt plena, dum agens omnino ſibi præſens eſt ac

ſui

sui compos: alia semiplena, dum omnino sibi præsens non est, nec penitus sui compos, sive propter somnum, aut aliud quodvis impedimentum.

Not. 3. Quoad consensum, alium esse expressum, alterum interpretativum: alium positivum, alterum negativum, alium formalem, alterum virtualem: alium directum, alterum indirectum, & cetera, quæ jam alibi exposuimus. Item consensus alius est plenus & perfectus, quo voluntas cum plena deliberatione objectum ab intellectu propositum firmiter amplectitur: alius semiplenus & imperfectus, quo non cum omni deliberatione, nec cum omni affectus propensione ei adhæret, qualis est in semisopitis, aut esse potest etiam in vigilantibus ratione inadvertentiæ, subreptionis, præcipitationis, turbationis, &c. His notatis

Dico I. Nullum quidem adesse potest peccatum absque advertentia tum ad actum, tum ad malitiam ejus; non tamen necessario requiritur formalis & expressa, sed sufficit virtualis, implicita, seu interpretativa. Idem de consensu dicendum est.

Prob. 1. pars, ex hoc trito axiomate, *Nihil est volitum, quin præcognitum.* Ergo si malitia actus omnino est incognita, erit involuntaria, proindeque non peccaminosa. Unde Aug. Lib. 3. de lib. arb. c. 19. ait: *Peccatum, quod proprie vocatur peccatum, libera voluntate & ab sciente committitur.* Id est, ab eo qui novit malitiam ejus; cum peccatum non sit, nisi quia malum & prohibitum est.

Prob. 2. pars. Quia eo ipso, quo quis dubitat vel suspicatur de malitia actus, vel de malitiæ periculo, vel qui cum facile de ipsa advertere posset ac deberet, ex passione culpabili non advertit, censetur interpretative & ipsam malitiam velle. Hinc

Re-

Reſol. 1. Carnes comedens die jejunii, quia obligationem non advertit, non peccat, quamvis ad hujuſce comeſtionis delectationem attendat. Aliud eſſet, ſi voluntarie neglexiſſet Parochiam adire, aut aliunde obligationes ſuas inquirere omiſiſſet.

Reſol. 2. Impii in plurimis ſceleribus habitualiter ſeſe volutantes, numquam a mortali exeuſantur defectu advertentiæ, dum mentis compotes operantur; quia debent & facile poſſunt advertere ad ſuorum operum malitiam.

Reſol. 3. Tale eſt peccatum, qualis eſt malitia, quæ advertitur, aut adverti poſſet ac deberet: unde ſi advertatur levis malitia, leve peccatum; ſi gravis advertatur, erit utique grave. Nec eſt neceſſe ad grave & lethale peccatum ut diſtincte conſideretur eſſe mortale aut veniale; ſed plane ſufficit, ut gravitas offenſæ divinæ confuſe apprehendatur, aut apprehendi poſſit ac debeat; quia advertentia ad peccatum requiſita, non verſatur circa pœnam peccato debitam, ſed circa gravem vel levem malitiam ejus, per quam in ratione peccati formaliter conſtituitur.

Dico II. Ad peccatum mortale requiritur perfecta advertentia, & plenus conſenſus.

Prob. Tum quia cum peccatum mortale ſit graviſſimum, requiritur in peccante talis rationis præſentia, qualis in negotio magni momenti requiritur; tum quia divina bonitate minus dignum videtur, quod aliquem æternis addicat ſuppliciis ob peccatum, cujus malitiam non plene advertit, aut eidem non perfecte conſentit. Hinc

Reſol. 1. Semiſopitos, infantes, plenum rationis uſum non habentes, turbatos vehementi paſſione, ſubito agitatos, defectu plenæ advertentiæ perfectique conſenſus, non niſi venialiter, in re etiam gravi, perſæpe peccare. Verumtamen cum in praxi difficillimum ſit cognoſcere utrum ſufficiens

ficiens advertentia atque conſenſus adfuerit ad peccatum mortale conſtituendum, graviter ſunt objurgandi pœnitentes, qui in gravia peccata, blaſphemias, verba obſcœna, &c. proruperunt, licet non ſatis advertiſſe proteſtentur.

Reſol. 2. Qui ob habitum pravum contractum, in hæc, & ſimilia peccata, abſque actuali advertentia, ſubito prolabuntur; non peccant, ſi per pœnitentiam habitum retractaverint, & ſufficientem diligentiam adhibuerint ad hunc pravum habitum deſtruendum; quia tunc nec in cauſa ſua, nec in ſe hæc peccata ſunt voluntaria. Quod ſi vero nec retractaverint habitum, nec ad ipſum auferendum ſufficientem diligentiam naraverint, haud dubie indirecte ſunt voluntaria. Ut ut ſit, hæc & ſimilia confiteri omnino neceſſarium eſt; cum vix contingere poſſit ut quædam non adfuerit advertentia, vel ſaltem advertendi negligentia; nec ullus pro certo habere poſſit, ſe ſufficientem ad hunc habitum deſtruendum diligentiam adhibuiſſe.

§. 3. *Qua ratione mortale & veniale inter ſe differant.*

Not. 1. CErtum eſt, peccatum mortale & veniale eſſentialiter differre, quod mortale, non autem veniale, importet averſionem tollatque ordinem ab ultimo fine; quatenus homo per illud ſic a Deo avertitur, ut ſaltem virtualiter interpretative finem ſuum ultimum conſtituat in creatura; cum appretiative magis eam diligat, quam Deum ipſum, cujus pro ipſa amicitiam negligit & contemnit: ſed qua ratione id fiat, hic nobis eſt breviter exponendum. Pro quo

Not. 2. Peccatum tum mortale, tum veniale, aliud eſt tale ex genere ſuo, aliud per accidens. Ex genere ſuo dicitur, quod intra ſpeciem ſuam

ma-

manendo, & ſpectato præciſe objecto independenter a circumſtantiis ſuis, grave eſt, vel leve: ut furtum peccatum eſt mortale ex genere ſuo, & mendacium jocoſum veniale. Per accidens autem dicitur, quod ex aliqua accidentali circumſtantia, non autem ab objecto, mortale ſit aut veniale: ſic furtum & perjurium, quæ ſunt mortalia ex genere ſuo, venialia fiunt ob materiæ levitatem & imperfectam deliberationem: ſic mendacium jocoſum, quod veniale eſt ex genere ſuo, fieri poteſt mortale ob grave ſcandalum v. gr. ex ipſo ortum. Hinc

Dico: Duplici ratione peccatum mortale & veniale inter ſe potiſſimum differunt; primario ex objecto in ſe præciſe ſpectato; ſecundario ex circumſtantiis quibuſdam actum vel objectum comitantibus.

Explicatur concluſio. Peccatum mortale & veniale inter ſe primario & eſſentialiter ex objecto differre dicuntur, in eo ſcilicet quod, ſi talis ſit præcepti obligatio ut ejus inobſervantia gravem importet deformitatem, peccatum erit mortale: veniale e contra, ſi levis ſit tantummodo obligatio, levemque deordinationem inducat. Item peccatum mortale & veniale ſecundario & accidentaliter inter ſe differunt ex circumſtantiis; quatenus nimirum nonnullæ adeſſe poſſunt circumſtantiæ, quibus fit ut peccatum ex natura ſua, ſeu ex objecto ſuo mortale evadat veniale, & veniale in mortale tranſeat.

Porro tres aſſignantur circumſtantiæ peccatum mortale in veniale mutantes. 1. Imperfecta advertentia. 2. Conſenſus non omnino liber ac plenus. 3. Parvitas materiæ; cum certum ſit tria oppoſita ad mortale neceſſario requiri, plena ſcilicet advertentia, perfectus conſenſus, & materia gravis. Sex autem aſſignantur circumſtantiæ peccatum ex natura ſua veniale in mortale transferentes 1. Actualis agentis prava diſpoſitio. 2. Fi-

nis

nis ab eo intentus. 3. Periculum gravioris peccati. 4. Contemptus legislatoris. 5. Adjunctum grave scandalum. 6. Materiæ multiplicatio & unio. Hæc omnia nunc enucleatius sequentibus quæstiunculis sunt exponenda.

Quær. 1. Ex quibus capitibus colligendum sit peccatum ex genere suo mortale esse aut veniale?

R. Id colligendum esse ex quatuor potissimum capitibus. 1. Ex Scriptura, dum nempe de aliquo dicit: *Væ*, *Abominabile*, *Execrandum*, *Morte dignum*, *Excludens a Regno Dei*, *Gehennæ ignis reum efficere*, signum est peccatum illud ex genere suo esse mortale. 2. Ex Ecclesiæ auctoritate, ad quam reducuntur Decreta Conciliorum aut Summorum Pontificum, SS. Patrum, & communis Fidelium timoratorum sensus. 3. Ex communi Theologorum sententia, a qua recedere, maxime in morum Regulis, omnino periculosum ac temerarium est, & cui in praxi postponenda est quælibet argutia & ratiocinatio quorumdam particularium. 4. Ex rectæ rationis dictamine; dum scilicet per ipsum dignoscitur peccatum gravem Deo injuriam, aut grave proximo damnum inferre, aut naturæ rationali gravem vel levem inordinationem inducere. Sed cum, teste Aug. lib. 21. de Civ. cap. 27. *Quæ sint peccata quæ impediunt perventionem ad Regnum Dei, invenire difficillimum sit ac periculosissimum definire . . . . Quæ sint levia, & quæ gravia peccata, divino potius quam humano*, ait idem Sanctus Doctor Enchir. cap. 78. *pensanda sunt judicio*.

Quær. 2. Undenam materiæ gravitas desumatur?

R. Censeri materiam esse gravem aut levem, dum ipsa gravis aut levis est momenti; quia tunc gravem vel levem importat deformitatem atque inordinationem. Quod ut probe dignoscatur, non

solum

ſolum attendenda eſt quantitas materiæ, ſed & maxime natura peccati, & finis præcepti, ceteræque circumſtantiæ.

Dixi 1. Obſervandam eſſe peccati naturam: plurima namque ſunt peccata, quæ nullam materiæ parvitatem admittunt, quæque in re quamtumvis leviſſima magni ſunt momenti, & gravem important deformitatem, ut Infidelitas, Deſperatio, Odium Dei, Perjurium, Blaſphemia, Simonia, Magia, & Superſtitio, adjuncto pacto cum Dæmone, Sacramentorum irritatio, Sigilli Confeſſionis fractio, Violatio jejunii naturalis pro ſumenda Euchariſtia, formalis Superioris contemptus, tandem Luxuria, quia omnis actus libidinoſus, vel leviſſimus, inchoata eſt & vera fornicatio, gravemque jam in luxuriante importat deformitatem & corruptionem. Unde damnata eſt hæc prop. 40. ab Alex. VII. *Probabilis eſt opinio, eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris & pollutionis.*

Dixi 2. Obſervandum eſſe finem præcepti, qui ſi gravis ſit, & materia peccati ad illum multum conducat, peccatum proculdubio erit mortale; ſin vero, veniale. Sic, ſuppoſito fine gravis momenti a Superiore intento, graviter peccaret Religioſus, qui in alienam cellam, in hanc vel illam domum intraret, hanc mulierem alloqueretur, in Civitate biberet aut comederet. Sic Clericus ob ſupradictum finem gravis peccati reus eſt, qui tabernas ingreditur, arma defert, aleis ludit, negotiationem exercet, &c.

Dixi 3. Ceteras obſervandas eſſe circumſtantias, quæ materiam aggravare vel minuere poſſunt; ſiquidem materia gravis eſſe poteſt reſpectu unius, quæ levis eſt reſpectu alterius. Plebejum hominem mendacio accuſare, aut aſſem unum diviti

ſubripere, leve peccatum eſt; ſed grave, Religioſum aut Sacerdotem eadem injuria afficere, & eamdem pecuniæ quantitatem pauperi defraudare, & ſic de ceteris.

Quær. 3. Quæ ſint indicia imperfectæ advertentiæ & ſemipleni conſenſus, a mortali excuſantium?

℟. Dubitans utrum perfecte adverterit & plene peccato conſenſerit, rationabiliter præſumere poteſt ſe non ſatis advertiſſe aut conſenſiſſe, 1. Si experientia noverit, ſe reprimere ſolere pravos motus in appetitu ſuo inſurgentes, dum ſibi præſens eſt ac ſui compos. 2. Si ordinarie ita ſit diſpoſitus, ut potius mortem quam peccatum mortale eligeret. 3. Si oblata commoda occaſione peccatum exterius exequendi, non ſolum illam non fuerit amplexus, ſed fortiter eam abjecerit. Quæ ſi contraria contigerint, & ſufficienter advertiſſe, & vere conſenſiſſe abſque dubio cenſendum eſt.

Quær. 4. Quomodo veniale fiat mortale ex prava diſpoſitione, ex fine intento, ex periculo gravioris peccati, ceteriſque ſupradictis circumſtantiis?

℟. 1. Ratione pravæ diſpoſitionis agentis, veniale tranſit in mortale, vel quando agens ita eſt actualiter diſpoſitus venialiter peccando, ut illud committere non prætermitteret, etiamſi ipſum eſſe mortale probe ſciret: vel quando ex conſcientia erronea exiſtimat peccatum eſſe mortale, quod reipſa dumtaxat eſt veniale. Ratio eſt, quia Deus affectum potius quam actum penſat; & ipſemet actus ab objecto ſpecificatur, non prout eſt realiter, ſed ut objective ab intellectu exhibetur.

2. Ratione finis intenti mortaliter mali: ut ſi quis verba proferat otioſa ut mulierem ad fornicandum inducat, quia medium a fine ſpecificatur, induitque malitiam ejus.

3. Ratione periculi gravioris peccati, non omnis quidem periculi, ſed ſaltem proximi. Qui enim vult cauſam, & effectum interpretative velle

cen-

cenſetur. Proximum autem periculum, peccati mortalis eſt cauſa. Ergo qui vult periculum proximum mortalis peccati, ipſum mortale interpretative velle dicitur, modo tamen illud prævideat, aut prævidere poſſit ac debeat. Sic graviter peccant Adoleſcentes cum alio ſexu colludentes, ob incontinentiæ periculum. Sic quilibet Fidelis, maxime Religioſus aut Sacerdos, peccaret mortaliter, qui omnia peccata venialia paſſim occurrentia ſemper perpetrandi voluntatem haberet; non quidem propter venialia ſecundum ſe ſpectata, cum infinita peccata venialia in unum peccatum mortale coaleſcere nequeant; ſed ratione periculi proximi, in quo evidenter verſaretur ob pravam hanc diſpoſitionem, prima data occaſione peccandi mortaliter.

4. Ratione adjuncti gravis ſcandali. Si quis nempe prævideat, aut prævidere poſſit ac debeat, ex actione ſua alios ad grave peccatum pertrahendos eſſe; quia, ut ſupra dictum eſt, cauſa prævisa effectus ſui rationem induit. Sic Sacerdos aut Religioſus verba otioſa proferens, ex quibus ſeculares ad verba inhoneſta proferenda inducuntur, mortaliter peccat.

5. Ratione contemptus legislatoris, formalis, ſcilicet, & expreſſi, ut jam alibi expoſuimus.

6. Ratione multiplicationis atque unionis materiæ, quia licet peccata venialia ſeorſum ſumpta unum peccatum mortale conſtituere nequeant, propter ſolam actus multiplicationem, per accidens tamen in mortale tranſeunt, dum materiæ leves inter ſe moraliter adunantur, vel per intentionis affectum, vel per ordinem quem habent materiæ ad unam numero obligationem, vel ſic tandem per effectum totalem, quem producunt, ſeu per ſummam integram quam conſtituunt.

Dixi 1. Leves materias inter ſe adunari per intentionis affectum; prout ſi quis per minuta fur-

ta ab initio diteſcere, aut per parvas come
nes jejunium defraudare intenderet, proculd
tories mortaliter peccaret, quoties parvum
aut furaretur, aut comederet, cum hæc omn
per intentionem agentis adunata, in gravem
teriam coaleſcant.

Dixi 2. Leves materias adunari per ordin
quem habent ad unam numero obligationem
per effectum totalem, quem producunt. Sic
in materia furti multoties modicum quid fura
aut eodem die jejunii modicum quid come
aut eodem die Feſto per modicum tempus l
rat, aut in Officio unius diei modicum quid c
tit, peccat mortaliter; dum advertit aut ac
tere potuit ac debuit, in ultimo furto, in
ma comeſtione, &c. ſe ad notabile quantit
perveniſſe. Aliud foret dicendum, ſi quis ſin
jejunii diebus modicum quid comederet, ſin
diebus feſtivis per modicum tempus laboraret,
quia præcepta jejunandi, non laborandi, &c
ſpiciunt præciſe ſingulos dies in particulari
unoquoque expirante expirat præceptum, quo
ut materia peccati diei unius non conjun
cum materia alterius.

Petes, Quid circa hoc de votorum materi
dicendum?

R. Semper obſervandum eſt, utrum vote
leves materiæ moralem inter ſe connexionem
beant. Hinc qui obligatus ex voto quotidie
menſem B. V. Roſarium recitare, vel quo
jejunare, ſingulis diebus unum *Pater* omitte
vel modicum quid deguſtaret, numquam mo
liter peccaret, quia votorum materiæ ſe ha
ut materiæ præceptorum, quæ non cenſentur
leves materias unire. Secus eſſet, ſi quis ob
tus ex voto quotidie Orationem Dominicam
citare, aut aſſem unum pauperibus erogare,
ribus diebus illa omitteret; iſte proculdubio
talit

taliter peccaret, ſtatim ac ad quantitatem notabilem perveniſſet; quia hæ omnes leves materiæ, licet ſingulis diebus affixæ, per intentionem voventis inter ſe coadunantur, & velut objectum totale unum quid morale efficiunt.

§. 4. *Quænam ſint pœnæ peccati mortalis & venialis.*

Not. 1. QUinque vulgo inter Catholicos aſſignanter peccati mortalis pœnæ. 1. Habitualis juſtitiæ, omniumque virtutum donorum & habituum ipſi annexorum totalis privatio, exceptis tamen fide, & ſpe, quæ per ſolum infidelitatis ac deſperationis peccatum amittuntur. 2. Omnium meritorum antehac comparatorum amiſſio. 3. Specialis protectionis, quam Deus erga filios & amicos ſuos exercet, privatio. 4. Ad cæleſtem hereditatem juris privatio. 5. Damnationis æternæ, omniumque malorum ipſi annexorum reatus. Circa quod quæritur, qua ratione peccatum mortale pœnam mereatur æternam; cuin ex ſupradictis conſtet, malitiam ejus non eſſe ſimpliciter & abſolute infinitam.

Not. 2. Quatuor peccati venialis pœnas communiter aſſignari. 1. Omnia hujus vitæ adverſa, dolores, morbi, & mors temporalis. 2. Gratiæ copioſioris, qua infallibiliter mortalia devitamus, ſubtractio. 3. Diminutio, non quidem ipſiuſmet Charitatis, quæ tandem per peccatorum venialium multiplicationem omnino peritet, ſed ejus fervoris ac cum Deo familiaritatis. 4. Graviſſimi ignis Purgatorii dolores, temporales ſaltem, in his qui in Domino moriuntur. Dixi *ſaltem in his, qui in Domino moriuntur*. Siquidem controverſia eſt inter Theologos, an peccatum veniale in damnatis æterna pœna puniatur. His notatis

Dico I. Omne mortale peccatum pœna in ferno punitur æterna, & quidem juſte, licet r litia ejus ſimpliciter non ſit infinita.

Prob. 1. pars. Ex perpetuo atque indubit conſenſu Eccleſiæ, quæ teſte Aug. lib. 1. de H c. 45. Origenem reprobavit docentem, ignem fernalem fore quidem æternum, ſed Reproba in æternum non cruciaturum, contra Chriſti D miui expreſſum Oraculum, Matth. 25. *Ibunt hi ſupplicium æternum, & Vermis eorum non morietu*

Prob. 2. pars, & exponitur. Non ideo pr eiſe peccatum mortale pœna æterna juſte punitu quod Perſonam offendat infinitam: ſic enim ipſur met veniale peccatum pœnam mereretur æternar eum Perſonam item infinitam, non ſecus ac m tale, offendat. Non ſecundo, quod nulla ſit cr tura rationalis, quæ propriis viribus a pecca mortali ſeſe expedire, & pro eo ſatisfacere vale eadem quippe valeret ratio pro veniali peccat Sed ideo juſte pœna punitur ſecundum duratione infinita, quia in Inferno peccatum mortale æternum; tum ex parte Dei, qui illud condor re nec vult, nec tenetur; tum ex parte ipſiuſm Reprobati, qui defectu gratiæ, quam voluntar amiſit, ab eo numquam reſipiſcere vult nec p teſt. Quo fit, ut culpa in perpetuum perſevera te, remaneat temper & pœna ipſi debita.

Dico II. Peccatum veniale damnatorum n remiſſum in hoc ſæculo, quoad culpam, in al ſæculo pœna æterna punitur; ſecus vero, ſi quo culpam fuerit remiſſum.

Prob. 1. pars. Tandiu remanere debet pœ peccati, quandiu ejus culpa. Atqui culpa pecc venialis remanebit in æternum. Ergo & ejuſde pœna. Ant. patet: tum quia nulla prorſus culj dimiſſio eſſe poteſt, abſque aliqua meritorum Ch ſti applicatione; quæ haud dubie nullum ih I ferno locum habere poteſt; tum quia culpa n

di-

dimittitur absque ejusdem detestatione, cujus damnati, defectu gratiæ ipsis indebitæ, omnino sunt incapaces.

Prob. 2. pars. Quia nulla est alia ratio, cur pœna peccati venialis non remissi in æternum sit duratura, nisi quia ejus culpa in æternum sit permansura. Ergo si in hoc sæculo culpa fuerit dimissa, ejus pœna in æternum non perseverabit. Idem propter eamdem rationem dicendum est de peccatis mortalibus remissis quoad culpam, sed non dimissis quoad pœnam, & quibus nonnisi temporalis pœna debetur.

QUÆSTIO V.

De Peccato Originali.

CIrca hanc difficillimam, & magni momenti quæstionem, quatuor juxta morem nostrum breviter sunt exponenda, peccati scilicet Originalis existentia, essentia, transfusio, & pœnæ tum in præsent, tum in futura vita.

ARTICULUS I.

Utrum existat Originale peccatum.

Not. CIrca peccati Originalis existentiam, non unus Pelagianorum, sed multiplex error fuit. Primo docuerunt, Adæ peccatum ipsi soli nocuisse, tum in anima, tum in corpore: ideoque ejus posteros, non solum in anima nullum contrahere peccatum, sed nec ullos in corpore defectus, quos ipsis connaturales esse asserebant. Ex quo principio deducebant Baptismum necessarium quidem esse pueris, quos ab omni labe puros arbitrabantur, ad Regnum Cœlorum obtinendum in Sanctorum societate, non autem ad consequendam vitam æternam, qua ipsos frui a Regno Cœlorum exclusos, & æterna damnatione liberatos

fingebant. Hanc hæresim jam multis sæculis sepitam, denuo suscitaverunt Armeni, Albigenses Anabaptistæ, & Calvinistæ, qui ipsismet Pelagianis pejores docuerunt Fidelium liberos, antequam Baptismo initientur, jam esse sanctos, ideoque Baptismum ad vitam consequendam ipsis absolute non esse necessarium; quod diversimode diversi Calviniſtarum Principes pro suo cujusque beneplacito exponunt, ut videre est apud Controversistas.

Dico: Datur peccatum Originale; hoc est verum ac proprie dictum peccatum, quod in conceptione contrahimus, & in quo nascimur.

Prob. 1. Ex Script. Job 34. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Immunditia autem illa aliud non est quam peccatum; nihil enim eorum, quæ Deus fecit, coram ipso sordidum est aut immundum Ps. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum & in peccatis me mater mea.* Verbum autem illud, *in iniquitatibus*, in Hebræo dicitur in singulari, quæ iniquitas, cum actualis in nascentibus esse nequeat, Originalem esse necesse est. Rom 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Nec explicari potest Apostolus, dicendo peccatum Adami in mundum intrasse imitatione, non propagine. Si enim hic fuisset Apostoli sensus, potius dixisset per Angelum, quam per unum hominem peccatum in mundum intrasse. Ergo hic agitur de peccato nobis per generationem transmisso.

Prob. 2. ex SS. Patribus. Ex innumeris, quæ citare non vacat, Augustini locis, maxime l. 3. de peccat. mer. & remiss. c. 6. asserentis hanc esse antiquam, & universalem Ecclesiæ Traditionem, peccatum, & mortem ab Adamo in ejus posteros propagine transmitti. 2.

Ex

Ex Cyprian. Epiſt. 59. *Qui recens natus nihil peccavit, niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus contaginm mortis antiquæ prima nativitate contraxit*. 3. Ex Irenæo l. 4. adv. Hær. c. 5. docente homines *non ſalvari ab antiqua ſerpentis plaga*, niſi per Fidem in Chriſtum, nec niſi per eamdem fidem *reſolvi eos vinculis, per quæ Protoplaſti peccato alligati eramus*. Ita Tertull. lib. de teſtim. anim. c. 3. Baſil. ſetm. de jejnnio Chriſt. Epiſt. ad Olympiam. Ambroſ. lib. 1. in Lucam, & ceteri, qui apud Controverſiſtas videri poſſunt, non ſecus ac plurimorum Conciliorum citationes permultæ, Paleſtin. Mileviten. Arauſic. Florent. Trident. &c.

Prob. 3. Tum ex neceſſitate Baptiſmi, qui a Chriſto Domino fuit inſtitutus non præciſe, uti volebant Pelagiani, ut heredas fiamus Regni Cœlorum, ſed præcipue in remiſſionem peccatorum, ut dicitur Act. 2. tum ex officio Salvatoris ac Redemptoris; quod Chriſtus non minus erga pueros quam erga adultos exercet: *Quis enim*, inquit Auguſt. lib. de pecc. mer. & remiſſ. c. 24. *audeat dicere non eſſe Chriſtum infantium Salvatorem nec Redemptorem? Unde autem ſalvos facit, ſi nulla in eis eſt originalis peccati ægritudo: Unde redemit, ſi non ſunt per originem primi hominis venundati peccato?*

Prob. 4. Ex miſeriis, quibus homo a vitæ ſuæ introitu uſque ad exitum premitur; maxime ignorantia, & ad bonum difficultate, quæ in aliam cauſam, quam in peccatum Originale, juſte refundi nequeunt; cum Scriptura teſte Dominus hominem juſtum, ac rectum fecerit; ex qua rectitudine niſi in pœnam cujuſdam peccati deficere non potuit, ut fuſe probat Aug. multis in locis, maxime lib. 4. contr. Jul. cap. ult.

ARTICULUS II.

Quid ſit Originale peccatum, & in quo formaliter conſiſtat.

Not. A Deo abſtruſa eſt peccati Originalis ſentia, ut mirum non ſit, quod in tamque varias abierint ſententias Auctores, t Hæretici, tum Catholici circa formalem ejus tionem. Septem præcipuæ numerantur ſententi. quas breviter exponemus, minus probabiles e plodendo, & eam quæ probabilior videtur nobi quæque communior eſt, ſtatuendo. Igitur

Dico: Peccatum Originale nihil aliud form liter eſſe videtur quam habitualis averſio a De propter prævaricationem, quæ in Adamo præceſſ

Prob. 1. Aliarum ſententiarum rejectione.

1. Peccatum Originale non eſt, uti ſomniav Origenes, peccatum jam a ſingulis animalibus cor miſſum ante corporis generationem. Hunc cra ſum errorem jam diu damnavit Eccleſia in Co cil. Bracar. Adde quod in Trid. ſeſſ. 5. can. definitum eſt, peccatum Originale eſſe *unum or gine*. Non eſſet autem unum origine, ſed mult plex in hac ſententia.

2. Non eſt ſubſtantia mala, quam effinxit Mat Illyricus Lutheranus, a Diabolo producta, q homo ita ſubſtantialiter mutatus eſt, ut ex im gine Dei in imaginem Diaboli fuerit tranſmuta tus. 1. Quia hæc ſubſtantia, qualiſcumque foret effet ab eo per quem omnia facta ſunt; peccatur autem a Deo eſſe nequit. 2. Hæc ſententia coir cidit cum ſententia Manichæi, qui docebat ma lam aliquam eſſe ſubſtantiam naturæ noſtræ ad mixtam. 3. Quia inde ſequeretur peccatum Origi nale per Baptiſmum non auferri, cum per illun nihil a nobis ſubſtantiale auferatur.

3. Di-

3. Dici non poteſt cum Lutheranis & Calviniſtis, peccatum Originale eſſe formaliter ipſammet concupiſcentiam, ſeu fomitem quæ nos ad malum inclinat; cum ex Trid. ſeſſ. 5. c. 5. de fide certum ſit, *nihil damnationis eſſe iis, qui per Baptiſmum conſepulti ſunt in Chriſto Jeſu, & ſanguinem ejus*, in hoc Sacramento nobis applicatum, *mundare nos ab omni peccato*. Certum eſt autem ex eodem Trid. cit. *manere in Baptizatis concupiſcentiam vel fomitem*; ergo hæc peccatum Originale non eſt. *Quod ſi vero*, ſubdit Concilium, *hanc concupiſcentiam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, numquam intellexit peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis ſit; ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.*

4. Irridenda potius eſt quam ſerio expugnanda ſententia Gregorii Ariminenſis, fingentis peccatum originale qualitatem eſſe morbidam, qua ſerpens halitu ſuo, veluti quodam contagio, Adamum infecit. Serpens ſiquidem cum Adamo non egit, ſed cum Eva. Deinde quæ illius qualitatis morbidæ cauſa eſſe poſſet? Non Deus, cum ipſe peccati cauſa eſſe nequeat; non pomum vetitum, quod natura ſua bonum erat; non tandem ipſemet Diabolus, qui cum ſit ſpiritualis, nihil materiale, qualem Ariminenſis hanc qualitatem ſupponit, producere valet.

5. Peccatum Originale non eſt ipſummet Adæ peccatum in nobis moraliter perſeverans, quamdiu non eſt remiſſum aut condonatum. Probatur evidenter ex Conc. Trid. definiente ſeſſ. 5. can. 3. peccatum Originale *propagatione transfuſum fuiſſe, omnibus ineſſe, & unicuique proprium eſſe*, quæ in hac ſententia ſalvari non poſſunt. Nam 1. Implicat actum immanens atque individualem aliis transfundi. Atqui ipſummet Adæ peccatum eſt actus immanentem atque individualis; formalis ſcilicet & ſingularis ejus inobedientia. Ergo. Dein-

de quod in aliquo moraliter tantummodo perſeverat, ipſi proculdubio extrinſecum eſt, non intrinſecum, nec ipſi vere ac realiter ineſt. Demum quod uni & ſoli proprium eſt, ceteris proprium eſſe nequit. Ipſum autem Adami peccatum uni & ſoli Adamo proprium eſt. Ergo ceteris proprium eſſe nequit. Nec dici poteſt ipſum Adæ peccatum poſteris ejus moraliter transfundi, ipſis moraliter ineſſe, aut moraliter unicuique proprium eſſe, cum de fide certum ſit peccatum Originale verum ac reale peccatum eſſe; proindeque vere ac realiter transfundi, ineſſe, ac proprium eſſe.

Conſi. Ex Apoſtolo, qui Epiſt. ad Rom. 5. confert peccatum, quod ab Adamo trahimus, cum juſtitia, quam a Chriſto haurimus. Atqui hæc juſtitia non eſt utique ipſamet Chriſti juſtitia moraliter in hominibus juſtis perſeverans; ſed juſtitia ipſis intrinſece ac realiter inhærens, & ſingulis phyſice propria, uti fides docet. Ergo a pari Originale peccatum non eſt ipſummet Adæ peccatum moraliter perſeverans in parvulis, ſed aliud individualiter ac realiter diſtinctum, juxta iſtud D. Anſelmi oraculum I. de Conceptu Virg. c. 4. *Aliud fuit peccatum Adæ, aliud peccatum parvulorum.*

6. Peccatum Originale non eſt formaliter juſtitiæ originalis privatio, ſi hæc juſtitia ſumatur pro gratia Adamo infuſa, & poſteris ejus, ſi non peccaſſet, infundenda; tum quia, uti de peccato perſonali habituali dictum eſt, peccatum Originale eſt proprie peccatum; privatio autem juſtitiæ originalis non eſt proprie peccatum, ſed pœna juſtiſſime a Deo inflicta, tum quia quis poteſt juſtitia originali privatus eſſe, quin peccatum habeat; tum quia hanc juſtitiam Deus Adamo auferre potuiſſet citra peccatum, cum omnino fuerit gratuita.

Dixi *ſi juſtitia originalis ſumatur pro gratia Ada-*

Adamo infuſa; ſumitur quippe adhuc pro debita voluntatis ad Deum ſubjectione, & conſequenter pro integra virium inferiorum ad rationem ſubordinatione, quo ſenſu nihil vetat quominus dicamus peccatum Originale privationem eſſe originalis juſtitiæ; cum habitualis averſio a Deo ipſa ſit hujuſce ad Deum ſubjectionis privatio. In hac autem a Deo averſione peccatum Originale formaliter conſiſtere.

Prob. 2. Auctorit. & ratione D. Thom. 2. 2. q. 82. art. 3. *Oppoſitorum oppoſitæ ſunt cauſæ. Eſt igitur attendenda cauſa Originalis peccati ex cauſa originalis juſtitiæ, quæ ei opponitur. Tota autem ordinatio originalis juſtitiæ ex hoc eſt, quod voluntas hominis erat Deo ſubjecta; quæ quidem ſubjectio primo & principaliter erat per voluntatem, cujus eſt movere omnes alias partes in finem. Unde ex averſione voluntatis a Deo conſecuta eſt inordinatio in omnibus aliis animæ viribus. Sic ergo privatio originalis juſtitiæ per quam voluntas Deo ſubdebatur, eſt formale in peccato originali.*

Confir. ex D. Anſelm. l. de Concep. Virg. c. 26. dicente: *Hoc peccatum, quod Originale dico, aliud intelligere nequeo in ipſis infantibus, niſi ipſam, quam ſupra poſui, factam per inobedientiam Adæ juſtitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes filii ſunt iræ.* Juſtitiæ nimirum, qua voluntas hominis ad Deum converſa ipſi perfecte ſubdebatur.

Prob. 3. Illud eſt in pueris Originale peccatum, quod in Adamo habitualiter manſit poſt ejus actuale peccatum. Atqui habitualis averſio a Deo manſit in Adamo poſt ejus actuale peccatum. Ergo hæc habitualis averſio eſt peccatum Originale in pueris. Minor patet ex dictis de peccato habituali perſonali; quia nimirum qualis eſt actus, talis eſt habitus ab eo productus; peccatum autem actuale Adami, actualis fuit averſio a Deo, proindeque habitualis eadem averſio in eo

man-

manſit poſt ejus actuale peccatum. Major item evidens eſt: quia cum Adamus totius naturæ humanæ perſonam gereret, ratio formalis ejus peccati in tota natura per modum habitus remanere neceſſe fuit.

Prob. 4. In eo formaliter conſiſtit peccatum Originale, ex quo omnia, quæ ad peccatum Originale pertinent, tamquam a radice promanant. Atqui ex habituali deordinatione voluntatis, quæ a Deo eſt averſa, omnia quæ ad peccatum Originale pertinent, profluunt. Ergo. Profluit ſiquidem privatio gratiæ infuſæ, qua indignus eſt qui Deo non eſt ſubditus, aut ab ipſo eſt averſus: profluit inferiorum facultatum inordinatio, & earum adverſus rationem rebellio; cum juſtum ſit, inquit Auguſt. ut quæ deſeruit ſuperiorem, pœnam patiatur per inferiorem: profluunt tandem infirmitas, malitia, ignorantia, concupiſcentia, labores, morbi, mors prima & ſecunda, utpote hujus nequiſſimæ averſionis juſtiſſimæ pœnæ.

ARTICULUS III.

Quomodo tranſmittatur Originale peccatum.

Not. TRanſfuſionis peccati Originalis duplicem eſſe cauſam, remotam nimirum, & proximam. Patet ex dictis ipſum Adami peccatum hujus eſſe cauſam remotam; cum juxta Apoſtolum in ipſo, utpote totius generis humani capite a Deo conſtituto, omnes homines peccaverunt. Sed in aſſignanda hujuſce transfuſionis cauſa proxima laborant plurimum Doctores Catholici. Circa quod duæ ſunt præcipuæ ſententiæ; quarum primam rejicimus, & ſecundam velut communiorem & probabiliorem adoptamus. Igitur,

Dico I. Cauſa proxima Originalis peccati in parvulis non eſt libido ſeu concupiſcentia, cum qua a Parentibus generantur.

Prob.

Prob. Quia homo in ſtatu naturæ puræ conditus proculdubio generaret cum libidine ac concupiſcentia; attamen peccatum non tranſmitteret. Econtra filius Adam, qui ex ſpeciali gratiæ privilegio, abſque motu concupiſcentiæ generaret filios, nihilominus peccatum Originale eis tranſmitteret. Ergo hæc libido ſeu concupiſcentia non eſt cauſa proxima hujus transfuſionis. Deinde, ſi per ſolam hanc in generando libidinem, independenter a quolibet Dei decreto, peccatum Originale in parvulos tranſmitteretur, nulla afferri poſſet cauſa, cur potius Adæ peccatum quam aliorum avorum noſtrorum in nos transfunditur.

Dico II. Peccatum Originale traducitur per ſeminalem generationem, & naturalem Maris, & Fœminæ conjunctionem, ſuppoſito tamen Dei decreto, ſeu pacto, quo ſtatuit ut voluntas Adami pro voluntate poſterorum ejus haberetur, quoad obſervationem aut tranſgreſſionem præcepti de non comedendo de ligno ſcientiæ boni, & mali, ex quo pendebat juſtitiæ Originalis conſervatio, vel amiſſio.

Prob. 1. Ex Trid. ſeſſ. 6. c. 3. *Sicut revera homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur injuſti; cum ea propagatione per ipſum dum concipiuntur, propriam injuſtitiam contrahunt.*

Prob. 2. Auctor. SS. Patrum. Ex Anſelmo mox citato aſſerente veram cauſam cur Chriſtus peccatum Originale non contraxerit, eſſe, quia non fuerat ex ipſo via generationis ordinaria procreatus. Ex D. Auguſt. lib. 2. de nupt. & concupiſc. c. 5. ubi ait: *Ideo illos homines eſſe ſub Diabolo, quia ſexus utriuſque commixtione naſcuntur.* Ex D. Th. 1. 2. q. 81. art. 4. *Peccatum Originale a primo Parente traducitur in poſteros, in quantum moventur ab ipſo per generationem; ſicut membra moventur ab anima ad peccatum actuale. . . Unde*

illi

illi soli peccatum Originale contrahunt, qui ab Adam descendunt per virtutem activam in generationem, originaliter ab Adam derivatam, quod est secundum seminalem rationem ab eo descendere.

Prob. 3. Et explicatur conclusio. Supposito decreto seu pacto divino, non ob aliam rationem per Adamum peccantem peccatores constituti sumus, & per ipsum obedientem justi constituti fuissemus, nisi quia filii ejus naturales sumus. Sed ideo ejus filii naturales sumus, quia ab ipso via naturali generationis descendimus. Ergo per hanc generationem peccatum ejus nobis transmittitur. Deinde ideo peccatum Originale ab Adamo contrahimus, quia ab Adamo communicamus naturam humanam in ipso, tamquam in capite contentam, & simul justitia Originali orbatam; sicut ex Dei ordinatione ab Adamo justitiam suscepissemus, si ab ipso naturam humanam justitia ornatam communicassemus. Atqui per generationem naturalem naturam humanam ab Adamo communicamus: siquidem eo ipso quo anima unitur corpori, sic generatio incipit ad genus humanum pertinere, & una cum corpore illo Adami filium naturalem constituere. Ergo per hanc naturalem generationem peccato Originali inficitur.

Dixi in conclusione, *Supposito tamen Decreto seu pacto*, per hæc verba Geneſis 2. expresso: *In quacumque die comederis, morte morieris*. Hinc D. Basil. Hom. de jejunio ait: *Quoniam non jejunavimus*, id est in Adamo pomum vetitum manducavimus, *exulamus a Paradiso*. Hinc D. Aug. lib. 16. de Civit. c. 19. & lib. 2. de nupt. cap. 11. illud Gen. exponens: *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima ejus de populo Dei, quia testamentum meum dissipavit*, ait: *Tunc dissipavit testamentum Dei, non hoc de imperata circumcisione, sed illud de ligni prohibitione*. Item de hoc pacto D. Hier. exponit istud Osee 6.

Ipsi,

Ipſi, ſicut Adam, tranſgreſſi ſunt pactum meum, ubi prævaricati ſunt in me. Item D. Chryſ. & Theophyl. de eodem intelligunt iſtud Apoſt. ad Coloſſ. 2. *Delens quod adverſus nos erat chyrographum decreti.* Ex quibus patet quam inſcite decipiantur, & decipiant Janſeniſtæ dicentes, nullum ejuſmodi pacti veſtigium extare in Scripturis, & Traditione, & D. Aug. illud penitus ignoraſſe.

ARTICULUS IV.

Quænam ſint peccati Originalis pœnæ.

Not. CIrca peccati Originalis pœnas duo errores inſurrexerunt e diametro oppoſiti. Primus eſt Pelagianorum, qui ſtatim negaverunt Adami poſteros ullum prorſus ab ejus peccato malum ſuſcepiſſe. Secundus eſt Lutheranorum, Calviniſtarum, ac ſimilium Hæreticorum docentium, totum penitus naturæ bonum ab hoc peccato ablatum fuiſſe. Mediam ſectantes viam Catholici docent, Adamum, & in ipſo poſteros ejus omnibus donis gratuitis per peccatum Originale fuiſſe ſpoliatos, & vulneratos tantummodo in naturalibus, quibus, Adamo non peccante, abunde fuiſſent donati.

Spoliatus igitur fuit Adamus, & in ipſo ejus poſteri, Originali juſtitia, quæ, præter gratiam ſanctificantem, habitus Fidei, Spei & Charitatis, ceteraque Spiritus Sancti dona, importabat ſecum virium inferiorum ad rationem perfectam ſubordinationem, & corporis ad animam omnimodam obedientiam, per quam corpus corruptibile nec animam gravabat, nec ullis moleſtiis premebat.

Porro ex privatione Originalis juſtitiæ ſubſecuta ſunt vulnera, tum in corpore, tum in anima. Prodiit in corpore moriendi neceſſitas, morbus, dolor, aliæque erumnæ, quibus toto vitæ decurſu

ſu jactamur ac premimur. In potentiis vero animæ quadruplex vulnus inflictum habemus. 1. Ignorantia in intellectu, quæ non ſolum importat privationem ſcientiæ rerum ſupernaturalium & multarum naturalium, ſed ad ſectandos errores propenſitatem, & ad veritatem aſſequendam difficultatem. 2. Malitia in voluntate, ratione cujus tanta nobis ineſt difficultas ad bonum, & facilitas ad malum, ut iſtud naturale, & illud a natura noſtra alienum eſſe quaſi videatur. 3. Concupiſcentia in appetitu concupiſcibili, ex qua oriuntur quandoque motus contra rationem, & voluntatem ipſam vehementer ad carnalia & ſenſibilia alliçientes. 4. Infirmitas in appetitu irascibili, qua fit ut maxime debiles ſimus, tum ad ardua conſequenda, tum in adverſis ſuſtinendis, &c. Hæ ſunt in hac vita pœnæ Originalis peccati. Nunc reſtat agendum de pœnis, quibus punitur in altera. Circa quod

Not. 2. Quatuor recenſeri pœnas peccato Originali in altera vita debitas. 1. Excluſio a Regno Cœlorum. 2. Privatio vitæ æternæ. 3. Dolor internus, qui tum ex excluſione a Regno Cœlorum, tum ex privatione vitæ æternæ naſcitur. 4. Denique pœna ſenſus ſeu gehennæ ignis. Sententia quæ docet, parvulos abſque Baptiſmo mortuos vitam æternam alicubi, vel in Regno Cœlorum, vel extra illud percipere, jam dum in Conciliis tum Romæ, tum in Africa, tum in Palæſtina contra Pelagium habitis, damnata eſt. Cum autem circa ceteras pœnas Eccleſia nihil definierit, Auctores Catholici in varias abiere ſententias, quarum probabiliores ac communiores hic breviter attingemus.

Dico I. Parvuli ex hac vita ſine Baptiſmo decedentes, pœnam ſenſus ſeu gehennam ignis minime patiuntur.

Prob. 1. Ex cap. *Majores*: ubi Innoc. III. de-

fini-

ſinivit *pœnam peccati Originalis eſſe carentiam viſionis Dei, actualis vero peccati pœnam eſſe gehennæ perpetuæ cruciatum.* Ex D. Ambroſ. comment. in Epiſt. ad Rom. 3. *Eſt etiam alia mors*, inquit, *quæ ſecunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adæ, ſed ejus occaſione propriis peccatis acquiritur.* Huc accedit auctoritas Gregor. Nyſſen. Orat. 40. in Sanct. Bapt. & Greg. Naz. Orat. 1. de infantibus, quorum textus in ſequenti concluſione afferemus.

Prob. 2. Auctoritate & rationibus D. Thom. & D. Bonav. *in peccato Originali*, inquit D. Th. qu. 5. de Malo art. 2. *non eſt converſio* ad creaturam, *ſed ſola averſio* a Deo, *vel aliquid averſioni correſpondens, ſcilicet deſtitutio animæ a juſtitia originali; & ideo peccato Originali non debetur pœna ſenſus, ſed ſolum pœna damni, ſcilicet carentia viſionis divinæ.* Et D. Bonav. ait II. Sent. Diſt. 33. art. 3. q. 1. *Pœna ſenſus correſpondet culpæ pro delectatione, quam cauſat, juxta illud* Apoc. 18. *Quantum glorificavit ſe & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum.* Atqui in peccato Originali nulla datur delectatio. Ergo, &c.

Dico II. Parvuli in peccato Originali mortui, nulla, vel modica afficiuntur triſtitia propter viſionis beatificæ carentiam.

Prob. 1. Variis SS. Patrum textibus. Gregor. Naz. jam citati: *Exiſtimo futurum ut nec cœleſti gloria, nec ſuppliciis a juſto judice afficiantur, utpote qui licet Baptiſmo conſignati non fuerint, improbitate tamen careant; atque hanc jacturam paſſi potius fuerint, quam fecerint.* Et D. Gregor. Nyſſen. item ſup. citatus: *Immatura mors infantium, neque in doloribus ac mœſtitia eſſe eum, qui ſic vivere deſiit, intelligendum eſſe nobis ſuggerit.*

Prob. 2. Auctoritate & rationibus DD. Th. & Bonav.

Bonav. ſupra cit. 1. Quia nullus prudens dol poteſt de abſentia boni, ad quod omnino eſt i proportionatus: pueri autem ad beneficam vi nem proportionati non ſunt. 2. Quia voluntas rum, utpote nullo actuali peccato depravata, vinæ voluntati erit conformis: non eſſet aut conformis, ſi aliqua ob hoc triſtitia afficerentu 3. Quia dolor ille ſicut pœna ſenſus, pœnæ de ctationis debitæ correſpondere debet. Cum i tur nulla fuerit in pueris peccati delectatio; l go, &c. 4. Quia dolor de amiſſione tanti b abſque ulla ſpe recuperationis non modicus poteſt, ſed longe vehementior omni dolore ſe bili ab igne inferni cauſato. Cum igitur ex SS. tribus ſit probatum, pueros ſine Baptiſmate de dentes, vel minimum ignis dolorem non pati; fortiori concludendum eſt, nullam ex amiſſione ſionis beatificæ triſtitiam experiri.

Quær. Quid erit igitur poſt extremum jud diem de pueris abſque Baptiſmatis lavacro m tuis?

R. Cum de Domino in bonitate ſentire deb mus, dicendum eſt cum D. Thom. in 2. diſt. quæſt. 2. art. 2. *quod participabunt multum de vina bonitate & perfectionibus naturalibus*. auctoritate freti multi Theologi probabiliter ſent, 1. Hos parvulos perfectum temperamen ac magnitudinem viri perfecti habituros. 2. F immortales ac impaſſibiles, tum Dei conſer tione, tum defectu exterioris agentis ſibi cont rii. 3. Fore impeccabiles ex Dei Optimi Ma mi providentia, concurſum ad peccatum deneg tis. 4. Naturali quadam beatitudine fruituro 5. Deum ut auctorem naturæ dilecturos, am ſcilicet naturali & imperfecto; non autem per fecto, qui cum peccato Originali, utpote q averſionem Dei importat, ſtare non poteſt. 6. bonis naturalibus fruituros vel in ſuperficie ter

vel,

vel, ut alii dicunt probabilius, in loco quodam ſubterraneo, luce quadam illuſtrato.

DISSERTATIO II.

De Virtutibus, & vitiis oppoſitis in particulari.

GEnus omne virtutum in tribus Theologicis, & quatuor Cardinalibus comprehenditur. De his omnibus ſingulis capitibus hic nobis agendum incumbit.

CAPUT PRIMUM.

De Fide, & vitiis oppoſitis.

ÆQuivocum eſt Fidei nomen, & multiplex ejus acceptio. 1. Sumitur pro fidelitate, unde juſtus dicitur *ſervus fidelis*. 2. Pro veracitate in dictis & promiſſis ſic Deus *fidelis in omnibus verbis ſuis*. 3. Pro fiducia poſtulata aſſequendi, unde D. Jac. dicit: *Poſtulet in fide nihil hæſitans*. 4. Pro conſcientia, ut *quod non eſt ex fide, peccatum eſt*. 5. Pro doctrina Catholica, quo ſenſu laudat Chriſtus Epiſcopum Pergami, pro credulitate, qua aſſentimur dictis alicujus propter ejus auctoritatem; quæ ſi ſit hominis, fides erit humana; ſi Dei, erit divina.

Hujus fidei naturam, diviſiones, objectum, ſubjectum, proprietates, vitia oppoſita breviter perpendemus.

QUÆ-

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex ſit Fides.

Not. FIdem ab Apoſtolo definiri Heb. 11. *Sperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*, Verbum *ſubſtantia* hic non ſumitur prout accidenti opponitur, cum fides verum ſit accidens, ad genus qualitatis pertinens; ſed ſumitur juxta textum Græcum, *Hypoſtaſis*, pro fundamento ſeu baſi ſpei noſtræ, ita ut Apoſtoli ſenſus ſit, quod fides ita ſuſtentet ſpem noſtram, illa deficiente iſtam cadere neceſſe ſit. Item verbum *Argumentum*, non ſumitur pro argumentatione & diſcurſu, cum fides omnem excedat ratiocinationem; ſed ſumitur ex eodem textu Græco, pro convictione ſeu forti perſuaſione, qua intellectus adeo firmiter revelatis adhæret, ac ſi evidentiſſime ſibi apparerent. Dicitur deinde *ſperandarum rerum*, non quod ſola ſperanda credamus cum plurima credere teneamur, quæ ſpei noſtræ objectum eſſe nequeunt; ſed quia Deus, quem ſperamus, præcipuum eſt fidei objectum, ad quod cætera omnia reducuntur. Dicitur denique *non apparentium*; quia proprium fidei juxta Aug. Tract. in Joann. *eſt credere quod non videt*, ſive illud per ſeſe ſit inevidens, ſive ex principiis ex quibus ſenſus deducitur. Verum cum hæc Apoſtoli definitio deſcriptiva potius ſit, quam eſſentialis, utpote quæ fidei effectus exponat, firmitatem nempe & obſcuritatem; aliam juxta ſcholaſticam methodum proferunt Theologi, cum quibus

Dico: Fides eſt *virtus Theologica divinitus infuſa, qua firmiter aſſentimur iis, quæ a Deo revelata ſunt propter auctoritatem ipſius revelantis.*

Prob. Et explicatur concluſio. Hæc definitio genere conſtat & differentia, ergo bona eſt & a cu-

curata. Priores illæ voces, *virtus Theologica divinitus infuſa*, continent id quod fides habet commune cum virtutibus omnibus Theologicis, quæ nobis divinitus infunduntur: poſteriores vero voces continent quod fides habet ſibi peculiare, utpote quæ Deum tamquam veritatis fontem reſpiciat: cum e contra reliqua eum tamquam ſummum bonum intueantur.

Quær. Quænam ſint præcipuæ fidei diviſiones?

Rſp. Fides dividitur 1. in actualem, & habitualem. Prior eſt actus, quo intellectus ex imperio voluntatis aſſentitur alicui veritati propter auctoritatem Dei revelantis: poſterior eſt habitus ſeu qualitas nobis permanenter inhærens, qui nos in actualem fidei aſſenſum inclinat, quippe in juſtificatione cum ceteris donis infunditur. Porro ſicut fides habitualis eſſe poteſt ſine actuali, ut in Infante baptizato, & in Fidelibus dormientibus; ita actualis poteſt eſſe ſine habituali, ut ſæpe contingit in Cathecumeno ante Baptiſmi ſuſceptionem.

2. Dividitur in explicitam, qua alicui ſpeciali & determinato fidei articulo credimus; & implicitam, qua omnibus a Deo revelatis & ab Eccleſia propoſitis aſſentimur, nulla determinatione facta ad aliquem particularem articulum.

3. Dividitur in vivam ſeu formatam, quæ in homine adjunctam habet charitatem & gratiam ſanctificantem; & in mortuam ſeu informem, quæ has non ſibi habet adjunctas. Diciturque mortua & informis, non quod careat forma fidei, ſecundum quod eſt virtus; ſed ſolum ſecundum quod eſt virtus gratuita ſeu meritoria, ut ſuo loco videbitur.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quid sit Fidei objectum.

REcolendum est ex Logica duplex esse objectum, materiale scilicet, & formale. Objectum materiale fidei est omne revelatum, quod creditur; formale vero est motivum, propter quod id à nobis creditur: de utroque objecto singulatim agere necesse est.

ARTICULUS I.

De Objecto materiali Fidei.

Not. OBjectum materiale, aliud est præcipuum & primarium seu attributionis, ad quod cetera omnia reducuntur: aliud secundarium seu minus præcipuum, quod ad primarium reducitur. Circa hoc duplex objectum

Dico: Objectum fidei præcipuum est Deus; minus autem præcipuum seu secundarium est quilibet articulus revelatus.

Prob. Ex Aug. lib. 4. de Civ. c. 20. *Primum*, inquit, *& maximum Fidei officium est, ut unus credatur Deus.* Et D. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 1. ait: *Ea quæ pertinent ad humanitatem Christi, ad Sacramenta Ecclesiæ, vel ad quascumque creaturas, cadunt sub fide, in quantum per hæc ordinamur ad Deum.* Unde sic argumentari licet: Illud est objectum fidei primarium alicujus habitus, ad quod omnia, quæ hic habitus respicit, referuntur. Sed id omne quod fides respicit, ad Deum, vel Creatorem, vel Redemptorem, vel Sanctificatorem, &c. refertur. Ergo. Deinde objectum secundarium alicujus virtutis est illud, circa quod præter primarium virtus aliqua versatur. Atqui præter

Deum

Deum ipsum fides versatur circa plures articulos, qui ad Deum referuntur. Ergo

Quær. 1. Quinam sint articuli, ex quibus constat objectum materiale fidei?

R. Quidquid de fide est, id proprie loquendo fidei Articulus non dicitur; per articulum quippe fidei proprie intelligitur veritas quædam Catholica, quæ primario ad fidem spectans specialem præ aliis ad credendum difficultatem continet. Sic Articulus de Verbi incarnatione est distinctus ab articulo de Passione Christi; & Articulus de ejus Passione ab Articulo de ejusdem Resurrectione; quia hi Articuli in credendo difficultatem includunt. Hi autem Articuli, seu præcipuæ veritates Catholicæ in Symbolis continentur, sicut præcipua morum principia in Decalogo.

Quær. 2. Quid & quotuplex est fidei Symbolum?

R. Symboli nomine intelligitur *summa quædam præcipuos fidei articulos explicite continens*. Hæc summa Symbolum dicitur; tum quia est nota, qua veri Fideles ab Heterodoxis dignoscuntur; tum quia est collatio quædam quam plures Patres de præcipuis fidei Articulis inter se habuerunt. Quatuor fidei Symbola numerantur.

1. Apostolorum, quod a cunctis Fidelibus in oratione quotidiana recitatur, quodque ab ipsismet Apostolis conditum fuisse de fide certum est. Discessuri namque ab invicem normam prius veræ fidei in commune constituerunt, ne scilicet prædicatores alii diversi diversam doctrinam Gentes docerent, & hac professione Fideles ab Hæreticis discerni possent.

2. Nicænum, hoc est editum in primo Nicæno Concilio habito an. 325. occasione impietatis Arii, qui blasphemarat Dei Verbum non esse Deum, sed creaturam, factam quidem ante omnes alias, sed tamen, ut aliæ creaturæ, ex nihilo eductam.

3. Constantinopolitanum, ubi Constantinopolitani Patres fidem prolixius exposuerunt, ad coergras as varias, quæ in Ecclesia grassabantur & statæ fuerant, Hæreses. Hoc est Symbolum, quod inter Missarum solemnia publice decantari solet.

4. Athanasianum, quod his verbis incipit: *Quicumque vult salvus esse, ante omnia, &c.* sic dictum ab ejus Auctore, ut communiter creditur, D. Athanasio Alexandrino Episcopo, qui tanta constantia adversus Arianos Verbi consubstantialitatem propugnavit.

Quær. 3. An fidei Articuli successu creverint, ita ut nunc sint plures veritates credendæ, quam olim?

R. In nullo Ecclesiæ statu sive naturæ, sive Legis scriptæ, sive gratiæ, nullum substantialiter incrementum factum est in Articulis fidei ad salutem necessariis. Quidquid enim ad salutem est necessarium, ad existentiam Dei, & Incarnationem Verbi reducitur, juxta illud Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Atqui in quolibet statu Ecclesiæ fides adfuit Dei existentis & Verbi in carne venturi, ut esset Mediator inter Deum, & homines. Ergo. Unde Aug. in Ps. 50. dicit *Tempora variata fuisse, non fidem;* & Serm. 7. de Sanctis: *Unam esse fidem novi & veteris Testamenti;* & lib. 1. Retractat. c. 13. *Eamdem Religionem, quæ nunc est, fuisse apud Antiquos, nec defuisse ab initio generis humani, quousque ipse Christus veniret in carnem.* Deinde extra dubium est Apostolos per revelationem, vel ab ipso Domino immediate, vel a Spiritu Sancto in die Pentecostes, de omnibus ad salutem necessariis perfectæ instructos fuisse, secundum illud Jo. 16. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ergo, &c.

Di-

Dixi, *substantiale incrementum*. Nam, multa nunc explicite habemus credenda, quæ tantum implicite credenda erant in Lege naturæ & in Lege scripta, ut suo loco videbitur. Adde quod dici possit cum Div. Bonav. in 3. dist. 25. art. 2. q. 2. fidem *crevisse quoad luminis plenitudinem, secundum statum communem, propter veritatis exhibitionem, propter majorem gratiæ diffusionem, atque plenioremm instructionem*.

ARTICULUS II.

De objecto formali Fidei.

Not. COnsentiunt omnes Theologi summam Dei veritatem esse objectum formale fidei; sed cum in Deo triplex agnoscatur veritas, in essendo scilicet, qua Deus verus est; in cognoscendo, qua omnia absque errore cognoscit, & in dicendo, qua neminem fallere potest; ideo controvertuntur, qualis veritas sit objectum formale fidei. Circa quod

Dico: Prima Dei in dicendo veritas est fidei objectum formale.

Prob. Ex Scriptura, quæ ut nos ad credendum inducat, semper nobis veracitatem Dei proponit. Jo. 3. *Qui accepit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est, &c.* I. Epist. Can. ejusdem c. 5. *Qui non credit Filio, mendacem facit eum; quia non credit in testimonium quod testificatus est de filio suo*. Ad rationem siquidem fidei in communi spectat, ut alicui fidem adhibeamus, quia verax est. Ergo de Deo idem dicendum est. Unde D. Th. ait in 3. dist. 20. qu. 1. art. 2. ad 1. *Objectum fidei*, scilicet formale, *non est veritas prima, secundum quod est in re existens tantum, sed secundum quod est nobis divinitus annuntiata*.

Quær. 1. In quo ultimo fides resolvatur, seu quæ sit causa ultima cur Fidelis credat?

R. Cum sint diversæ fidei causæ, diversa est ultima fidei resolutio; vel enim agitur de causa formali, vel de efficiente, vel de inductiva, vel de directiva seu instrumentali. Si primum, fides resolvitur ultimo; in revelationem Dei summe veracis, ut dictum est; si secundum, in piam voluntatis motionem, & gratiam Spiritus Sancti; actus enim fidei liber est & supernaturalis, proindeque a voluntate libera & Spiritus Sancti illustratione procedere necesse est: si tertium, in credibilitatis motiva, quibus prudens habetur certitudo Articulos fidei a Deo esse revelatos: si quartum, in Ecclesiæ auctoritatem, quæ omnium credendorum ultima est regula infallibilis. Ex quo patet nullum adesse circulum vitiosum, quem nobis improperant Heterodoxi; dum auctoritatem Ecclesiæ ex revelatione divina, & revelationem divinam ex auctoritate Ecclesiæ probamus, quia ex diverso genere causæ utrumque probamus; auctoritatem scilicet Ecclesiæ ex revelatione divina, tamquam ex causa formali assensus; & revelationem divinam ex auctoritate Ecclesiæ, tamquam ex causa directiva seu instrumentali, applicante nobis divinam revelationem.

Quær. 2. Quid, & quotuplex sit revelatio?

R. Revelatio nihil aliud est in genere, quam rei absconditæ manifestatio a Deo facta. Alia est publica, quæ Prophetis vel Apostolis facta est pro universa Ecclesia: alia privata, quæ alicui privatæ Personæ facta est pro se ipsa, vel pro aliquo particulari. Item alia est formalis & immediata revelatio, dum aliqua veritas seu propositio in se ipsa explicite revelatur; alia virtualis & mediata, dum aliqua veritas ex alia formaliter revelata per ratiocinium evidenter deducitur. Ut

Chri-

Christus est homo, hæc veritas est immediate & formaliter revelata; sed *Christus est visibilis*, est veritas tantummodo virtualiter & mediate revelata; quia per bonam consequentiam deducitur ex duabus præmissis, quarum una est de fide, non altera, licet de se evidens: nempe *Omnis homo est visibilis*; *Christus est homo*: *ergo Christus est visibilis*. Circa quod

Quæst. 3. Utrum virtualis revelatio sufficiat, ut aliquid de fide sit?

R. Certum est 1. Propositiones quæ sunt de primario conceptu propositionis immediate revelatæ esse de fide, ut *Christus est animal*, *Christus est rationalis*; quia impossibile est concipi hominem, quin concipiatur animalitas simul & rationalitas. Certum est, 2. Omnes propositiones particulares sub aliqua universali immediate revelata contentas esse de fide, v. g. Petrum morituram, aut Joannem resurrecturum; quia immediate revelatum est omnes homines morituros ac resurrecturos. Si enim hæ particulares de fide non essent, nulla generalis esset de fide; cum generalis ex particularibus constet. Certum est, 3. Propositionem in Scripturis mediate solummodo revelatam esse de fide, dum accedit Ecclesiæ definitio: sic Filii consubstantialitas, ejus personæ unitas, &c. licet in Scripturis tantum implicite revelatæ, sunt de fide credendæ. Certum est, 4. Propositionem deductam ex duabus præmissis de fide immediate revelatis, esse de fide; quia tunc discursus applicat tantummodo revelationem, nec est ratio assensus, v. g. Deus est bonus. Atqui Christus est Deus. Ergo Christus est bonus. Quod si vero propositio deducatur ex præmissis, quorum una est revelata, altera naturaliter tantummodo cognita, erit quidem Theologica propositio, sed non formaliter de fide; quia conclusio sequitur debiliorem partem. Unde cum una ex præmissis

de fide non sit, conclusio vi ratiocinationis humanæ ex ipsa partialiter deducta, de fide esse non potest.

Quær. 4. Quibus indiciis revelationum privatarum veritas cognosci possit?

℟. Considerandæ est primo ipsa revelatio; utrum nempe aliquid vanitatis, inutilitatis, aut publicæ revelationi, idest fidei Catholicæ contrarium admixtum habeat, tunc enim falsa omnino censenda est. Secundo considerandæ est Personæ, cui facta est revelatio, fidei puritas, morum integritas, in dictis veracitas, innocentiæ simplicitas, humilitatis sinceritas; quæ si desint, rejicienda est revelatio. Ut ut sit, sicut revelationes privatæ temere non sunt admittendæ, ita nec temere sunt rejiciendæ. Qui enim omni revelationi cito credit, levis est corde, & deceptionis periculo se committit; & qui omnem revelationem respuit, simplicitatem Christianam deserit, & ipsummet Dei verbum omni reverentia dignum, quovis modo manifestetur, injuria efficit.

Quær. 5. Quid intercedat discriminis inter credere Deum, credere Deo, & credere in Deum?

℟. Credere Deum, est credere quod ipse sit Deus; sic Deus est objectum primum quod creditur. Credere Deo, est credere vera, quæ loquitur; & sic Deus est objectum formale, propter quod creditur. Credere in Deum, est credendo Deum amare; & sic est credere in ipsum tamquam in finem ultimum, ad quem fidei assensus dirigitur.

QUÆSTIO III.

Quid sit Fidei subjectum.

Not. DUplex est fidei subjectum, mediatum scilicet, & immediatum. Istud est potentia actum fidei immediate eliciens, & cui habitus ejus inhæret. Illud vero est Persona, in qua fides

fides reperitur, & quæ Fidelis nuncupatur. Hic de subjecto immediate non agitur; cum omnes ultro concedant intellectum subjectum esse fidei immediatum. Sed quæstio est de subjecto mediato, in quibus nimirum personis fides fuerit, adsit, permaneat, aut pereat: de quibus.

Dico I. In Angelis viatoribus, primisque Parentibus vera fuit fides Theologica.

Prob. 1. Quia in statu viæ, in quo fuerunt, Deo placuerunt. *Sine* autem *Fide*, inquit Apost. Heb. 11. *impossibile est placere Deo*. Ergo. 2. Angeli viatores beatitudinem promeruerunt, & primi Parentes promerere potuerunt. Sed nullum unquam in creatura fuit meritum, nisi a fide, totius meriti radice, procedat. Ergo. 3. Quamvis Angeli & primi Patentes naturali lumine existentiam Dei multasque illius perfectiones cognoverint; non potuerunt tamen solo hoc lumine Personarum Trinitate cognoscere, sed per solam revelationem, ac proinde per solam fidem.

Dico II. Nec in Dæmonibus, nec in hominibus damnatis, nec in Beatis fides remanet; bene tamen in animabus, quæ igne torquentur purgatorio.

Prob. 1. pars. Actus fidei in Dæmonibus & Damnatis aut impossibilis, cum a gratia & pio affectu, quibus carent, procedere necesse sit, Ergo. Quod si Dæmones dicantur Jac. 2. *credere & contremiscere*, hoc non de vera fide, sed de naturali & terribili experientia intelligendum est.

Prob. 2. pars. Obscurum est fidei objectum: in patria autem nihil obscurum erit, sed omnia patientia & aperta, juxta illud Cor. 13. *Cum venerit quod perfectum est*, nempe beatitudo, *evacuabitur quod ex parte est*, scilicet fides. Nec obstat, quod Deus plura futura beatis revelare possit. Respondetur enim, quod ea clare, non obscure, eis revelabit, ipsa vel in Verbo, vel per proprias species eis manifestando.

Prob. 3. pars. Spes remanet in animabus in Purgatorio languentibus. Ergo & fides, ejus fundamentum. Deinde hæ animæ adhuc sunt in via, & a Domino peregrinantur: nec ad statum pervenerunt, in quo per visionem Dei intuitivam evacuatur fides.

Dico III. Tota perit fides per infidelitatem contra unum, vel minimum, fidei Articulum.

Prob. 1. Ex Trident. sess. 5. c. 15. Ubi definitur peccato mortali amitti quidem gratiam, sed non amitti fidem, nisi per speciale infidelitatis peccatum. Atqui infidelitas circa unum, vel minimum fidei articulum, est vera infidelitas. Ergo.

Prob. 2. Quod est indivisibile, totum simul perire necesse est. Atqui fides est indivisibilis: cum licet plures veritates credat, eas tamen credit sub uno atque indivisibili motivo, scilicet Dei veracitate in revelando. Ergo. Unde D. Th. 2. 2. q. 2. 3. ait: *Manifestum est, quod talis hæreticus circa unum Articulum, fidem non habet de aliis Articulis.*

Dico IV. Fides non amittitur per aliud peccatum ab infidelitate distinctum.

Prob. Ex Apost. 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam... charitatem autem non habuero, &c.* Accedit Tridentini auctoritas sess. 6. can. 28. *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul & fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, anathema sit.* Ratio est evidens. Ideo quippe habitus fidei destruitur, quia ratio ejus formalis & motivum voluntarie respuitur. Sed hoc motivum per quodlibet peccatum minime respuitur: nec enim Adulter, per hoc quod mœchatur, veracitatem Dei in revelando respuit. Igitur si nonnulli Sancti Patres asserant, fidem peccatoris veram fidem non esse; sensus est, ut jam notavimus, non quod hæc

fides

fides forma fidei careat, sed quod non sit virtus perfecta fidelem hominem gratum faciens.

QUÆSTIO IV.

Quænam sint Fidei proprietates.

TRes vulgo numerantur fidei proprietates; veritas scilicet, obscuritas, necessitas: de quibus sequentibus Articulis.

ARTICULUS I.

De Fidei veritate.

Not. CIrca fidei veritatem duo potissimum quæri solent, 1. An objectum fidei ita sit verum, ut nulla possit ei subesse falsitas. 2. Utrum Fidelis fide divina credere possit ut verum, quod a parte rei falsum est.

Dico I. Omnes fidei Articuli ita sunt veri, ut nulla in ipsis possit subesse falsitas.

Prob. Ex Scrip. Num. 23. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur*: & Hebr. 6. *Impossibile est mentiri Deum*; & D. Athan. lib. de Incarn. *Absurdum est dicere Deum posse mentiri*. Nam si mentiretur, id vel ex ignorantia, vel ex malitia. Non primum, cum sit omniscius: non secundum, cum sit infinite bonus.

Dico II. Nihil fide divina credi potest, quod a parte rei falsum est.

Prob. Ex præcedenti conclusione, qua constat Deum auctoritate sua nos inducere non posse ad falso assentiendum. Sed si fide divina falsum crederemus, Deus auctoritate sua nos induceret ad falso as-

assentiendum, cum Dei auctoritas sit motivum formale fidei divinæ. Ergo. Deinde lumen fidei est quædam divini luminis participatio; lumen autem divinum, utpote summe verax, ad falso assentiendum nos inducere non potest.

ARTICULUS II.

Dei Fidei obscuritate.

Not. Fides sub duplici ratione obscura dici potest; vel ratione Articuli revelati, qui non evidenter cognoscitur, vel ratione ipsiusmet revelationis, quam esse veram evidenter non constat. Circa quod quæritur 1. Utrum Articuli fidei ita necessario sint obscuri, ut quod evidenter vel scitur, vel videtur, objectum fidei esse non possit. 2. Utrum fides esse possit circa Articulum, quem evidenter cognosceremus esse revelatum.

Not. 2. Latum esse discrimen inter propositionem evidenter veram, & evidenter credibilem. Prior ea est, quæ clare dicitur aut videtur; ita ut de ea evidentiam habeamus physicam a posteriori ea est, de qua ita manifeste constat ipsam credi posse, ut oppositum ejus prudenter credi non possit, diciturque moraliter evidens. Circa quod quæritur, utrum fidei objectum debeat esse evidenter credibile.

Dico 1. Quod evidenter scitur aut videtur, objectum fidei esse potest.

Prob. 1. Non solum ex D. Bonav. huic sententiæ aperte subscribente in 3. dist. 24. a. 2. q. 1. 2. & 3. sed ex D. Th. docente 1. 2. q. 2. a. 4. *Necesse esse homini accipere per modum fidei, non solum ea quæ sunt supra rationem, sed etiam ea quæ per rationem cognosci possunt. Et hoc propter tria.* 1. Qui-

Quidem, ut citius homo ad veritatis divinæ cognitionem perveniat. 2. Ut cognitio Dei sit communior. 3. Propter certitudinem. Ratio enim humana in rebus divinis est multum deficiens.

Prob. 2. Fide divina tenetur quilibet credere Dei existentiam, unitatem, omnipotentiam, &c. juxta illud Apost. Heb. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est*; & quotidie profitemur in Symbolo, *nos credere unum Deum omnipotentem*, quæ tamen evidenti demonstratione cognoscimus. Nec valet dicere, nos fide divina Deum credere, ut auctorem gratiæ, non quatenus auctorem naturæ; quia certum est Deum in Symbolo nobis proponi tamquam creatorem visibilium, proindeque ut auctorem naturæ. Adde quod ejus unitas, existentia & omnipotentia, quæ utique in Symbolo nobis proponuntur divina fide credendæ, ad naturalem spectent cognitionem: ita ut qui eas negaret, non minus infidelis quam insipiens esset; utpote qui non minus contra fidem, quam contra rationem peccaret.

Prob. 3. Ratione multiplici: 1. Catholicus, qui postea fit Philosophus, & per Philosophiam evidenter cognoscit Deum esse unum, quod antea credebat, non ideo habitum fidei amittit; non enim minus est inclinatus ad credendum Deum esse unum propter auctoritatem Dei revelantis. 2. Ex sententia opposita sequeretur pejorem hominis docti, quam indocti, esse conditionem; utpote qui non tantam de objecto revelato certitudinem habere posset, quantam indoctus; cum certitudo fidei certitudini scientiæ longe prævaleat. Adde quod vir doctus meritum dumtaxat habere posset bonæ dispositionis; quia nimirum paratus est, ut supponitur, ad credendum Articulos fidei, quos aliunde non cognosceret; sed non habere posset, ut indoctus, meritum ipsam fidem actualiter exercendi, quod de se præstantius est.

Dico II. Fide divina credere possumus, quod evidenter scimus a Deo esse revelatum.

Prob. Ex eo quod revelationis evidentia formale motivum fidei minime tollat, nec impedit quominus quis credat propter revelantis auctoritatem. Alias nec Apostoli, nec Prophetæ, nec Angeli, priusquam in gratia essent confirmati, fidem Theologicam habuissent, cum mysteria a Deo immediate edocti, de divina ipsis evidenter constaret revelatione.

Dico III. Motiva credibilitatis necessario debent esse, prout vere sunt, evidentia.

Prob. 1. Pars. Assensus fidei debet esse prudens, juxta illud Eccli. 19. *Qui cito credit, levis est corde*; & istud Apostoli I. Jo: 4. *Nolite omni spiritui credere*. Atqui non esset prudens, si motiva credendi essent tantummodo probabilia, non evidentia; cum iste assensus immobilis ac firmissimus esse debeat; nec prudenter talis esse possit, si aliqua supersit ratio probabilis dubitandi de revelatione, cui firmitas assensus innititur. Ergo

Confir. Ex Christo Domino dicente de Judæis Joan. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. De peccato scilicet infidelitatis; quia cum evidentia signa seu motiva credendi habuerint, non tamen crediderunt. Unde D. Thom. ait 2. 2. q. 1. art. 4. *Non crederet quis, nisi videret*, hoc est evidenter cognosceret, *ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi*. Hinc jure merito damnata est ab Innoc. XI. hæc propositio: *Assensus supernaturalis fidei, & utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis, & cum formidine, qua quis formidet ne non sit locutus Deus*.

Prob. 2. Pars. Ex Psal. 92. *Testimonia tua credibilia*

bilia facta sunt nimis; id est, ut exponit glossa, *magis quam prima scientiarum principia*, ob signa & prodigia, quibus fuere confirmata. His enarratis ab Aug. motivis credibilitatis Manichæos alloquente lib. 12. contra Faustum c. 43. ait: *Quid ad hæc respondetis insani? Nempe ista manifesta sunt; nempe omnes, non dico calumnias contradictionis, sed etiam nebulas dubitationis expellunt*; & c. 12. ait: *Quis tam demens, ut non videat? Quis tam impudens, ut videre se dissimulet?* Unde hæc propositio: *Evidens non est evidentia morali proprie dicta & physica, Religionem Catholicam esse veram*, damnata est a Clero Gallicano an. 1700. tamquam temeraria & in errorem inducens.

ARTICULUS III.

De Fidei necessitate.

DUplex est actus fidei, internus scilicet, qui est assensus alicui veritati revelatæ in sola mente elicitus; & externus, qui est externa fidei professio, ore, vel opere, vel aliquo signo prolata. Utriusque necessitatem sequentibus paragraphis examinabimus.

§. 1. *De necessitate interioris actus Fidei.*

Not. NEcessitas fidei duplex est, alia medii, altera præcepti. Prior ea est, sine qua salus obtineri nequit, sive inculpabiliter, sive scienter, sive ignoranter omittatur. Posterior est illa, quæ rationis capaces obligat; sed non ita rigide, ut si inculpabiliter, & ignoranter omittatur, salus obtineri non possit. Hoc posito

Dico I. Quovis tempore actus fidei internus omnibus Adultis necessarius fuit necessitate medii

Prob.

Prob. 1. Ex Apost. Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Ex Trident. sess. 6. cap. 7. *Sine fide nulli unquam contigit justificatio.* 3. Ex Aug. serm. 38. de Temp. *Sine Fide ad Filiorum Dei consortium nullus potest pervenire.* Ratio est, quia finis obtineri non potest absque medio sibi proportionato: cum igitur finis noster sit supernaturalis, ad eum obtinendum indigemus fide, & charitate supernaturali, suppositâ tamen absoluta voluntate Dei, qui non vult ipsum a nobis possideri, nisi prius eum cognoscamus, & diligamus.

Dico II. Actus fidei internus Adultis est necessarius necessitate præcepti.

Prob. Ex Script. Joan. 3. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus.* Et: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Hæc autem condemnatio aperte præceptum arguit, cum nulla sit condemnatio absque transgressione, nec transgressio absque præcepto. Deinde quæ ex Dei ordinatione necessaria sunt necessitate medii ad salutem, sunt etiam necessaria necessitate præcepti. Qui enim finem imperat, imperat & media, sine quibus finis obtineri nequit. Imperat autem Deus omnibus, ut enitantur ad salutem acquirendam. Ergo.

Quær. 1. Quænam mysteria necessario credenda sunt necessitate medii, tum ante, tum post Evangelii promulgationem?

R. 1. Ante Evangelii promulgationem semper necessarium fuit necessitate medii, explicite credere Deum esse, eumque esse unicum; cum deorum pluralitas divinitatem tollat, & remuneratorem esse, proindeque malorum vindicem. Sicut enim justitia exigit ut remuneret bonos, pariter exigit ut puniat impios. Id expresse docet Apost. citatus Heb. 11. Unde hæc prop. *Non nisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non explicita remuneratoris*, damnata est ab Innoc. XI.

Item

Item omni tempore necessaria fuit necessitate medii fides, non quidem explicita, sed saltem implicita, in Christum. Ait enim D. Petrus Act. 4. *Non est in aliquo alio salus, neque est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri*. Igitur Christi nomen invocare semper necessarium fuit. At *quomodo*, ait Apost. *invocabunt, in quem non crediderunt?* Quomodo, inquam, antiqui justi Christum invocassent, nisi in illum saltem implicite credidissent? Hæc veritas ex præcedenti concluditur. Si enim omni tempore necessitate medii fuerit necessarium credere Deum esse remuneratorem, & quidem supernaturalem; eadem necessitate necessarium fuit credere venturum aliquem Mediatorem, cujus meritis homines possent a peccatis liberari, gratiam, & salutem æternam consequi.

Ex quo iterum evidenter sequitur, Fidem saltem implicitam, & confusam Trinitatis eadem necessitate semper fuisse necessariam. Futurus siquidem Mediator alius non excogitabatur, nisi Persona quædam divina, ab ipsomet Deo ad salutem hominum missa, quod sane, saltem subobscure, Trinitatem innuebat.

Dixi in responsione, fidem explicitam Incarnationis, & Trinitatis non fuisse omni tempore necessariam. Testatur enim Apost. Col. 1. *Mysterium* Incarnationis ac Trinitatis *absconditum fuisse a sæculis, & generationibus; nunc autem manifestum esse sanctis ejus*. Absconditum, inquam, non penitus, sed non clare, & explicite cognitum, & post hac nobis clare, & explicite revelatum. Quod si igitur Mysterium istud explicite non fuit revelatum, evidenter sequitur non fuisse necessarium illud explicite credere, cum Deus Optimus in mediis ad salutem necessariis minime desit.

R. 2. Post Evangelii promulgationem necessaria est necessitate medii fides explicita, non solum

Dei

Dei existentis ac remuneratoris, sed & Incarnationis, & Trinitatis, id est secundam personam divinam pro nobis fuisse incarnatam & mortuam, & tres esse personas divinas realiter distinctas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum in unica natura, & essentia. Primum probatur ex ipso Domino Jesu Christo dicente Joan. 7. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Ubi Christus eamdem Fidem in se ipsum ad salutem requirit, ac in Deum. Atqui fides explicita in Deum necessaria est necessitate medii. Ergo. Secundum patet, tum quia sine fide Trinitatis haberi nequit fides Incarnationis explicita; Incarnatio siquidem sine Verbo intelligi nequit; tum quia Baptismus omnibus confertur cum expressa, & distincta trium personarum SS. Trinitatis invocatione.

Quær. 2. Quænam sciri ac credi debeant, necessitate præcepti?

R. 1. Sciri & credi debere explicite ea omnia, quæ necessaria sunt necessitate medii, ut patet ex ratione jam allata. 2. Symbolum Apostolorum, saltem quoad substantiam, cum ad hujus Symboli Articulos præcipua fidei capita reducantur; nec sufficit illud idiomate ignoto memoriter recitare; sed necessaria est Articulorum explicita notitia. 3. Præcepta Decalogi, in quibus continentur communia juris naturalis principia; cum eorum observantia ad salutem sit necessaria, nec si ignorentur, observari possunt. Idem dicendum est de præcipuis, & ordinariis, quæ ad omnes spectant, Ecclesiæ præceptis ob eamdem rationem. 4. Et Sacramenta, quæ ad salutem necessitate medii sunt necessaria, necnon illa quæ quilibet recipit: ad illorum namque receptionem parare se ipsum non potest, nisi noverit quæ sint, & quid contineant. 3. Orationem Dominicam, in qua omnia a Deo petenda continentur; quia oratio omnibus ne-

necessaria est necessitate tum medii, tum præcepti. His omnibus accedunt, juxta communiorem ac probabiliorem Doctorum sententiam, forma Crucis, qua in Baptismo signati sumus, & Salutatio Angelica, ubi expresse ac distincte Incarnationis Mysterium profitemur; & hoc tum ex Ecclesiæ praxi immemorabili, tum ex communi sensu Fidelium, qui gravem deformitatem in negligentia hæc addiscendi agnoscunt.

Porro obligatio addiscendi supradicta, pro cujuslibet capacitate majori vel minori, viget in primo instanti morali usus rationis. Dixi *morali*, non metaphysico; id est, dum juxta viri prudentis ac timorati existimationem Adultus quilibet sacram doctrinam intelligere & opportune comparare potest.

Quær. 3. Quandonam obliget fidei præceptum?

Rs. 1. Duplex est Fidei præceptum, negativum, scilicet, & affirmativum. Primum obligat semper & pro semper, cum nullus Fidei Mysteriis dissentiri, vel de illorum veritate positive ac deliberate dubitare possit, quin gravi injuria Deum afficiat. Quatenus autem affirmativum dicitur, certum est omnes teneri aliquoties in vita actum fidei elicere, nec sufficit Mysteria fidei semel credidisse, prout definierunt Alex. VII. Prop. 1. Innoc. XI. Prop. 16. & 17. Et hoc quidem non solum per accidens, dum scilicet aliud urget præceptum, quod sine actu fidei observari nequit; sed etiam per se, quatenus est præceptum speciale & ab aliis distinctum, sæpius in sacris Scripturis commendatum & inculcatum. *Justus* siquidem *ex fide vivit*, seu vita justi fidei actibus nutritur & conservatur. Ideo sicut præcepto naturali de vita conservanda tenemur sæpius alimenta sumere, ita præcepto divino tenemur aliquoties, immo & sæpius, actus fidei elicere.

Rs. 2. Præceptum fidei obligat per se, 1. Infi-

de-

deles & Hæreticos, dum fides eis sufficienter est proposita. 2. Pueros Catholicorum in primo usu rationis moraliter sumpto, si sufficienter fuerint instructi; quia, ut mox dictum est, tenetur quilibet fidem ac Legem Christi suscipere, dum ipsi sufficienter est promulgata, nec potest in aliud tempus absque infidelitatis peccato differre. 3. Omnes fideles in mortis articulo non solum ratione Spei, & Charitatis tunc obligantis, sed ratione sui; quia tunc quisque tenetur omnem, quam potest, adhibere curam ut suæ saluti consulat, quod fit maxime fidei exercitio.

R. 3. Præceptum Fidei obligat per accidens, 1. Dum nos ad justificationem præparamus, quæ sine fide explicita & actuali non obtinetur. 2. Dum ad aliquod Sacramentum, maxime Eucharistiæ, quæ est Mysterium fidei, accedimus. 3. Dum gravis urget contra fidem tentatio, quæ absque actu fidei, ut plurimum, expelli non potest. 4. Dum occurrit occasio Fidem externe profitendi, quod utique sine actu interiori fieri nequit. 5. Dum præcipua anni Festa, & dies Dominica celebrantur; quia hæc ad Dei cultum specialiter sunt instituta, & Deus secundum Aug. non solum Spe & Charitate, sed & Fide colitur.

§. 2. *De necessitate actus exterioris Fidei.*

Not. DUplex est actus exterioris Fidei necessitas, juxta duplicem Fidei confessionis obligationem: alia negativa, qua prohibemur negare fidem verbis, signis, factis, silentio, tergiversatione, aut quibusvis aliis modis, sive explicite aut formaliter, sive implicite aut virtualiter: altera positiva, qua tenemur aliquando eam exterius profiteri. His breviter notatis

Dico I. Nullo unquam casu fidem quocumque modo exterius negare licet, etsi corde retineatur.

Prob.

Prob. Conclusio, quæ est de fide contra Gnosticos & Priscillianistas, oraculo Christi Domini: Matth. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Ratio est, quia fidem negare perinde est ac affirmare falsos esse fidei Articulos; proindeque mendacem esse Deum qui eos revelavit.

Quær. Quibus in casibus fides negari censeatur, aut non censeatur?

R. Fidem negare censetur, & infidelitatis reus est, quicumque aliquid agit quod vel de se natum est, vel ab hominibus est institutum ad falsæ Religionis professionem significandam; aut qui aliquid agit, vel omittit in iis circumstantiis, ubi communiter ac rationabiliter creditur veram fidem negare, & falsam profiteri, vel quodammodo approbare. Hinc

Resolv. 1. Peccat graviter qui Idolo thus adolet, aut Cœnam Calvinisticam celebrat; licet Idolum interius despiciat, aut Cœnam Calvinisticam detestetur. Immo licet omnes sciant nec Idololatriam, nec Calvinismum per hoc profiteri intendere; quia hæ & similes actiones cultum superstitiosum intrinsece continent, nec alium habent usum moralem: omnis autem cultus superstitiosus intrinsece malus est.

Resolv. 2. Gravissimo infidelitatis peccato reus est, qui adorationem externam Idolis exhibet, licet eam dirigat interius ad verum Deum in imagine depictum, vel sub vestibus, vel prope Idoli Altare latitantem, in his circumstantiis, ubi communiter & rationabiliter Idolum adorare censetur.

Resolv. 3. Grave peccatum est Idolothytis uti, seu cibis Idolo immolatis, formaliter sumptis; id est quatenus idolo sunt immolati, & in cultum Idoli, aut in his circumstantiis, in quibus prudenter judicatur usum hunc in cultum Idoli re-

fer-

ferri. Aliud est si id fiat materialiter tantum, ad famam sedandam absque scandalo, & ulla specie Ethnicæ cooperationis.

Resolv. 4. Catholicus per loca Hæreticorum transiens potest carnibus vesci die Veneris ad vitandam mortem, vel grave aliud periculum. Non posset autem absque gravi infidelitatis peccato, si comestio illa habeatur communiter, tamquam Hæresis protestatio, vel si cederet in contemptum ac derisionem Catholicæ Religionis.

Resolv. 5. Idem dicendum est de Catholicis deferentibus vestem, vel utentibus signis aut factis, quæ ex usu communi falsam Religionem denotant. Aliud esset, si hæc solam nationem designarent; tunc enim non abnegatur, sed occultatur, quod ex justa causa licitum est.

Resolv. 6. Hæreticorum precibus aut Cæremoniis quibuscumque religiosis formaliter participare, grave infidelitatis peccatum est, & implicita fidei negatio; tum quia hæc participatio signum est naturale conformitatis Religionis cum Hæreticis, tum quia hæc cedit in majorem Hæreticorum auctoritatem & fidei Catholicæ injuriam: ita omnes Theologi, nullo excepto. Dixi, *formaliter*. Hinc

Resolv. 7. Peccatum non est infidelitatis interesse materialiter Hæreticorum Cæremoniis, eorum Templum adire, Concionibus interesse, unde id ex justa causa fieri potest; modo absit omne scandali aut subversionis periculum, nec ullæ adsint circumstantiæ, quibus appareat eos, qui his interfunt Cæremoniis, fidem negare, & falsam profiteri; sic famuli & famulæ, qui ex fine politico honoris, & obsequii gratia comitantur Dominos & Dominas suas ad Hæreticorum templa euntes, ab infidelitate excusantur, ut patet ex supra allato exemplo Elisei erga Naaman Syrum.

Resolv. 8. Qui Hæreticis psallentibus organa tan-

tangeret, campanam ad eos in Templum convocandos pulsaret, templi hæretici officium æditui exerceret, fidem catholicam implicite negaret; quia Hæreticorum Ritibus cooperari & hæresim promovere jure merito censeretur.

Dico II. Tenemur aliquando exterius fidem profiteri.

Prob. Ex Apost. Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam; ore autem fit confessio ad salutem*, &c. Ex Aug. Lib. de fid. & sym. c. 1. *Fides officium a nobis exigit & cordis & linguæ.* Conclusio est de fide. Sed

Quær. Quibus in casibus teneamur fidem exterius profiteri?

R. Cum D. Th. 2. 2. q. 3. a. 2. *Quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, aut etiam utilitas proximi impendenda.* Quia Deum, qui hujus confessionis omissione exhonoraretur, toto corde diligere, & colere, & proximum sicut nos ipsos amare, ejusque salutem pro viribus promovere tenemur. Hinc

Resolv. 1. Potestate publica interrogatus, tenetur sub gravi peccato fidem clare profiteri, etiamsi mors gravissimaque immanerent tormenta, sive privatim, sive publice interrogetur, sive qui interrogat, Tyrannus sit, sive Princeps legitimus, sive sit alienus; quia per hujus confessionis omissionem subtraheretur honor Deo debitus: contraria sententia damnata est ab Inn. XI. prop. 28.

Dixi 1. *Potestate publica*; nam a privato interrogatus, per se loquendo, non tenetur profiteri fidem: sed aut tacere, aut confessionem eludere potest, nisi id requirat salus proximi, aut magnum religionis emolumentum. Dixi 2. *Clare*, quia non licet in tali casu verbis uti ambiguis, cum id sit Christum erubescere.

Resolv. 2. Tenetur quilibet dicto vel facto Fidem profiteri; dum hæreticus coram aliis fidelibus

bus aut infidelibus injuriis fidem afficit, ipsum charitative corripiendo, & fidem catholicam prudenter propugnando, modo tamen inde fructum aliquem speret, nec majus malum timeatur; si enim tunc fidei professionem omitteret, honorem Deo debitum subtraheret.

Resolv. 3. Interrogatus utrum Sacerdos sit vel Religiosus, potest citra infidelitatis peccatum id negare; non enim fidem negaret, sed statum & ordinem. Non posset tamen negare se esse Catholicum & Papistam; si per hoc interrogans, de Christianitate & fide intenderet inquirere, non de alia qualitate, quæ non Religionem, sed statum politicum spectaret; ut si, grassante bello inter Catholicos, & Hæreticos, aliquis interrogaretur utrum sit Papista, id est utrum sit de Papistarum exercitu, id negare posset, citra, non quidem mendacii, sed infidelitatis peccatum.

Resolv. 4. Fuga, grassante persecutione, potius est fidei professio quam negatio; quam ipsemet Christus docuit verbo, & exemplo. Illicita tamen esset Pastoribus, ubi eorum residentia ovibus suis esset necessaria, etiamsi mors ipsis immineret: tunc enim subtraheretur utilitas proximi ex justitia & charitate ipsis impendenda.

Resolv. 5. Fidem occultare licet, quando nulla honori divino irrogatur injuria, nec ullum proximorum saluti damnum inde emergit. Immo licet pecunia redimere se, ne de fide sua quis inquiratur. Quod probatur exemplo Discipulorum Pauli, qui sic a vexatione Gentilium se redemerunt, ut habetur Act. 17.

Resolv. 6. Rege Hæretico Catholicis præcipiente ut in Templo hæreticorum eorum cæremoniis religiosis etiam materialiter intersint, ad discernendos Catholicos ab hæreticis, tenetur quisque Catholicus sub gravi infidelitatis peccato fidem

suam

suam explicite profiteri, fugiendo & inobediendo, etiamsi mors ipsi immineret.

Resolv. 7. Tenetur quilibet fidem aperte profiteri, cum ex circumstantiis adest certitudo moralis, immo & dubium, quod per hanc professionem infidelis sit convertendus, fidelis vacillans confirmandus, & infirmus in fide istius professionis defectu graviter scandalizandus; quia *debemus pro fratribus nostris animas ponere.*

QUÆSTIO V.

Quænam sint vitia Fidei opposita.

DUO sunt præcipua vitia fidei opposita, infidelitas nimirum, quæ actui interno fidei præcepto adversatur; & blasphemia, quæ actui externo fidei, scilicet professioni opponitur. De utraque sequentibus articulis.

ARTICULUS I.

De infidelitate.

Not. 1. INfidelitas, quæ est *carentia fidei in subjecto apto*, tripliciter sumitur. 1. Negative, estque fidei carentia in eo qui nihil de fide audivit, nec audire potuit. 2. Privative, estque carentia fidei in eo, cui fides sufficienter promulgata fuit, vel qui prædicationem Evangelii audire neglexit, qui tamen nullo contra fidem errore positivo laborat. 3. Positive seu contrarie, estque judicium contra fidem vincibiliter erroneum in eo, cui veritas catholica sufficienter proposita fuit vel fuisset, si quod in ipso erat, fecisset.

Not. 2. Triplex est positiva infidelitas. *Paganismus* scilicet, qui est error illorum qui nullo modo Christum nec venisse, nec venturum profiten-

tur;

rur: *Judaismus*, qui est error eorum, qui credunt ipsum venturum, sed nondum venisse: & *Hæresis*, estque error eorum, qui credunt quidem Christum venisse, sed alioquin veritati a Christo revelatæ credere detrectant. Ad Paganismum *Mahumetismus* reducitur; tum quia licet Deum profiteantur, Deum esse Creatorem Cœli, & Terræ, aliasque plurimas veritates catholicas, non eas tamen profitentur ut a Christo, sed a Mahumete revelatas; tum quia licet Christum agnoscant ut magnum Prophetam, non eum tamen Redemptorem esse credunt. Item ad hæresim reducitur *Apostasia*, nec ab ea differt, nisi accidentaliter; quatenus Hæresis importat recessum ab una aut altera fidei veritate; Apostasia autem stricte sumpta importat recessum ab omnibus fidei Catholicæ veritatibus. Dixi *stricte*; qui enim ab Ecclesia Romana recedit, ut Calviniſmum, aut Lutheranismum sectetur, vere quidem, sed *late* dicitur Apostata. Circa hæc plurima quæruntur breviter elucidanda.

Quær. 1. Utrum omnis infidelitas peccatum sit, & quale?

R. 1. Infidelitas pure negativa non est peccatum. Dicit enim Christus Dominus Joan. 15. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*; peccatum scilicet infidelitatis, ut exponit Augustinus Tract. 89. & 91. in Joan. Unde jure merito a Pio V. & Greg. XIII. damnata est hæc Bajana Propositio: *Infidelitas negativa, in his quibus non est prædicatus Christus, peccatum est*. Ratio est; quia ignorantia eorum qui nihil de fide audierunt, vel potuerunt audire, invincibilis est & involuntaria. Quod si igitur Psalmista dicat: *Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt*; intelligendus est de his, qui ignorantia laborant privativa aut positiva, non vero pure negativa.

R. 2.

℟. 2. Infidelitas tum privativa, tum poſitiva peccatum eſt ex genere ſuo mortale, & quidem graviſſimum; quodque ex ſola indeliberatione, non vero ex levitate materiæ a mortali excuſari poteſt, quia directe pugnat contra divinitatem, de cujus veracitate dubitare, vel eam negare, vel contemnere in re vel minima, maxima eſt irreverentia. Porro inter diverſas infidelitatis poſitivæ ſpecies, peſſimus quidem eſt quoad extenſionem Paganiſmus, cum utrumque rejiciat Teſtamentum; minus gravis Judaiſmus, qui vetus admittit; & leviſſima hæreſis, quæ nullum penitus rejicit: Dixi *quoad extenſionem*; nam quoad malitiam, ceteris paribus, pejor eſt Judaiſmus, & peſſima hæreſis; cum credenda, & credendi motiva Judæis, & hæreticis ſæpius ſint notoria.

Quær. 2. Quid ſit hæreſis formalis?

℟. Hæreſis formalis eſt error pertinax contra fidem hominis Chriſtianiſmum profitentis.

Dicitur 1. *Error*, id eſt judicium erroneum, quo quis verum pro falſo, aut faſum pro vero exiſtimat, vel incertum judicat: qui enim poſitive dubitat, utrum articulus ab Eccleſia ſufficienter propoſitus certus ſit, nec ne, hæreticus eſt, cum ſine ejus auctoritatis contemptu de eo dubitare non poſſit. Dixi *poſitive*; ita ut expreſſe dubitare velit, non autem mere negative, vel quatenus aſſenſum tantummodo ſuſpendit, quia non eſt omnino certus utrum propoſitio aliqua ſit ſufficienter revelata; vel quatenus involuntariis dubitationis motibus agitatur. Talis enim nec peccat, nec hæreticus eſt, modo pro viribus tentationi reſiſtat.

Dicitur 2. Error *pertinax*; ita ut quis voluntarie, & fitmiter propriæ opinioni ſuæ adhæreat contra ſibi notum Eccleſiæ judicium; ad quod utique longior non requiritur temporis mora, quam ea quæ ad plenam rationis advertentiam

eſt neceſſaria, ut qui advertere poſſit veritatem eſſe ſufficienter ab Eccleſia propoſitam, quo non obſtante judicio ſuo obſtinate velit adhærere.

Dicitur 3. *Contra fidem*; id eſt contra veritatem revelatam ac ſufficienter propoſitam. Nec eſt neceſſe, ut quis Hæreſis crimen incurrat, quod propoſitioni, tamquam hæreticæ damnatæ, pertinaciter adhæreat; ſed plane ſufficit, quod hæc ſub quacumque qualificatione ſive tamquam temeraria, ſive tamquam ſcandaloſa, male ſonans, pernicioſa, &c. ab Eccleſia ſit damnata, quia huic propoſitioni ſic damnatæ pertinaciter adhærere non poteſt, quin gravi injuria Eccleſiam afficiat, eamque in decidendo fallibilem credat; quod utique eſt hæreticum.

Dicitur 4. *Hominis Chriſtianiſmum profitentis*, licet invalide baptizatus fuerit. Ariani enim vere dicebantur hæretici, qui tamen in nomine individuæ Trinitatis non erant baptizati; & ſexta Synodus ſtatuit quinam *Hæretici* ad Eccleſiam venientes ſint baptizandi, quinam non.

Quær. 3. An ignorantia, & qualis, ab Hæreſi formali excuſet?

R. Ignorans, etiam vincibiliter, & culpabiliter, immo & craſſe Eccleſiam ſufficienter propoſuiſſe articulum fidei, cui diſſentitur, reus eſt quidem gravi omiſſionis peccato, ſed non formalis hæreſis; quia cum ſit animo diſpoſitus, ut ſupponitur, Eccleſiæ determinationi, ſi eam cognoſceret, acquieſcere, fidem non amittit, cum ab ejus objecto formali non recedat. Secus dicendum eſſet, ſi ex affectu liberius errandi & errori ſuo adhærendi, Eccleſiæ determinationem ignorare affectaret: tunc enim Eccleſiæ judicio adhærere non eſt paratus, vereque eſt pertinax: cum poſitive nolit illud cognoſcere, ut ei non adhæreat. Nec eſt neceſſe ut de facto & actu errorem & malitiam hæreſis ſuæ cognoſcat: ſed ſufficit quod

eam

eam cognoſcere nolit, licet ſe poſſe advertat. Pari modo ratiocinandum eſt de eo, qui exiſtimans aliquid ab Eccleſia definitum eſſe, quod tamen non eſt, illud pertinaciter diſcredit, ac rejicit: talis vere eſt hæreticus, quia Eccleſiam in definiendo fallibilem cenſet. Hinc

Reſolv. 1. Vere eſſe hæreticos hujus ſæculi Novatores, qui fidei dogmatibus ab Eccleſia propoſitis contradicunt ſub prætextu quod ignorent utrum ſatis ſolemne fuerit Supremorum Paſtorum judicium, dum ex obſtinato erga novitates affectu, de hujus ſufficienti ſolemnitate inquirere minime ſatagunt, licet Eccleſiæ judicio adhærere ſe paratos eſſe proteſtentur; mendax eſt ſiquidem hæc proteſtatio.

Reſolv. 2. Multos rudiores, in hæreticis Regionibus commorantes, ab hæreſi formali videntur poſſe excuſari: quia magis ignorantia quam pertinacia quandoque laborant. Dixi, *in hæreticis Regionibus commorantes*: difficillimum eſt enim, licet abſolute ſit poſſibile, eos qui in ſinu Eccleſiæ catholicæ ſunt educati, & inter medios Catholicos verſantur, ab hæreſi formali excuſare: cum ipſis omnino pateant credibilitatis motiva.

Quær. 4. Quotuplex ſit hæreſis?

℟. Hæreſis alia eſt mere interna, quæ in ſola mente conſummatur: alia externa tantum, quæ verbo aut ſigno proditur: alia interna & externa ſimul, quæ utrumque complectitur. Hæc iterum vel occulta eſt, quæ in ſecreto aut coram paucisſimis fuit prolata; vel publica, notoria & manifeſta, quæ palam prodiit. Interna nullis pœnis afficitur Eccleſiaſticis, cum Eccleſia de internis non judicet: mere externa, licet proprie non ſit hæreſis, pœnis tamen puniri poteſt Eccleſiaſticis, quibus ſubdere ſe quiſque tenetur: interna ſimul & externa, quæ eſt Hæreſis ſimpliciter dicta, multis pœnis Eccleſiaſticis eſt obnoxia.

Quær. 5. Quænam ſint Hæreticorum pœnæ, & quinam ab eis abſolvere poſſint?

℟. In Jure Canonico plures numerantur Hæreticorum pœnæ, ext. tit. *de Hæreticis* & in 6. eod. Titulo, quarum pars maxima locum non habet in Gallia, nec uſu eſt recepta. Nec enim Hæretici ad fidem converſi apud nos irregulares cenſentur, nec eorum filii, fautores, receptatores, &c. 2. Bonorum confiſcationem non incurrunt. 3. Ad Officia publica non ſunt inhabiles. 4. Nulla juridica infamia afficiuntur, &c. Sola ipſo facto excommunicatione majori innodantur, ceteriſque inhabilitatibus ac privationibus ipſam conſequentibus.

Quær. 6. Quid in receptione hæreticorum ad Eccleſiam redeuntium ſit obſervandum?

℟. 1. Cum ſæpius contingat, quoſdam e partibus Hæreticorum ad noſtras tranſmigrantes, non ſincere, ſed ficte ad Eccleſiam reverti, in Religionis catholicæ contemptum ac deriſum; priuſquam audiantur ac recipiantur, ſtudioſe examinandi ſunt, quo ſpiritu ducti Eccleſiæ aggregari cupiant, quæ fuerit converſionis occaſio, qualem ſibi proponant finem, an ſalutem æternam, aut aliquod temporale commodum, cur in has partes potius quam in viciniores tranſierint, quibus mediis, quid ipſis in via contigerit, &c. Quod ſi poſt plurimas prudentes interrogationes, vacillantes aut mendaces reperiantur, rejiciendi ſunt, ſcriptum eſt enim: *Nolite ſanctum dare canibus, nec margaritas veſtras mittatis ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis.*

2. Cognita ac probata eorum ſinceritate inſtruendi ſunt in fidei Articulis ad ſalutem neceſſariis, maxime in his, in quibus antea diſſidebant; item de præceptis Decalogi ac Eccleſiæ, de Sacramento Baptiſmi, Pœnitentiæ & Euchariſtiæ; & ſi adſit juſta cauſa dubitandi utrum rite fuerint baptizati, iterum ſub conditione baptizandi ſunt.

3. An-

3. Ante Sacramentalem Confeſſionem abjurationem hæreſis ſuæ, juxta formam in Ritualibus præſcriptam, prius debent emittere; & quidem publicam, ſi publice hæreſim fuerint profeſſi ad fidelium ædificationem, quæ tamen excipi non debet abſque Ordinarii facultate. Item priuſquam in Confeſſione audiantur, vel ſaltem abſolvantur, prius ab excommunicatione majori ſunt abſolvendi; cum hæc ſit Sacramentalis abſolutionis impedimentum.

2. In Confeſſione interrogandi ſunt a quo tempore ſectæ ſuæ falſitatem agnoverint, ut confiteantur ſaltem in genere Eccleſiæ præceptorum tranſgreſſiones, in Sanctam Virginem & Sanctos blaſphemias, contumelias in Catholicos, contemptum imaginum, & ſimilia. Quod ſi vero ſuæ ſectæ falſitatem non agnoverint, ſed quoſdam tantummodo leves ſcrupulos paſſi fuerint, de his eos interrogare non erit neceſſe, ſed dumtaxat de peccatis jure naturali prohibitis.

Demum facta Confeſſione, & abſolutione conceſſa, non ſtatim ad ſacram Synaxim ſunt admittendi; ſed longiori tempore, prout dictaverit prudens judicium, ſunt probandi; cum ad hanc ſuſcipiendam longe major requiratur diſpoſitio, & his qui ſemel hoſtes fuerunt Eccleſiæ, ſemper diffidendum ſit: experientia ſiquidem conſtat ratiſſimam eſſe talium ſinceram converſionem.

Quær. 7. Quid de Hæreticorum librorum lectione ſit dicendum?

℟. 1. Jure naturali librorum Hæreticorum lectio interdicitur iis, quibus hæc lectio peccati ac ruinæ ſpiritualis occaſio eſſe poteſt, quales ſunt imperiti vel ſemidocti, immo & eruditi viri plurimi; quorum fides interdum infirmior eſt, quam ſimplicium & rudiorum. Ratio per ſe patet. Sed quæſtio eſt utrum aliqua Lege poſitiva hæc lectio omnibus ſit prohibita.

Nr. 2. Circa lectionem librorum prohibitorum duplex de facto eſt conſideranda prohibitio Eccleſiæ. Una eſt contenta in Bulla Cœnæ Domini, in qua excommunicantur, excommunicatione Papæ reſervata, Hæreticorum libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, retinentes, imprimentes, vel quomodolibet defendentes.

Nr. 3 Altera Eccleſiæ prohibitio circa lectionem librorum ob errores, vel errorum ſuſpicionem prohibitorum continetur in Indice librorum prohibitorum, qui juſſu S. Concilii Tridentini, auritate Summorum Pontificum editus eſt, pluresque regulas continet. Et quidem virtute dicti Indicis librorum prohibitorum, incurrunt excommunicationem, non tamen reſervatam Papæ, qui legunt libros ob errores, vel errorum ſuſpicionem prohibitos, ſine prævia licentia.

Notandum ultimo, quod ſi quis obtenta facultate legitima legendi libros Hæreticorum, non ex neceſſitate, ſed ex ſola curioſitate eos legat, graviter peccat, facultate, quæ non niſi ad refutandas hæreſes conceditur, abutendo. Et ſi quis ex librorum illorum lectione ſubverſionis periculum fidei ſuæ imminere advertat, quod nempe dubia circa fidem in animo ſuo excitet, quibus graviter concutitur, mortaliter peccat ſi in illorum lectione perſeveret; quamvis licentiam hujuſmodi libros legendi habeat.

ARTICULUS II.

De Blaſphemia.

Not. 1. BLaſphemiam recte definiri contumelioſam in Deum, vel in ſanctos locutionem. Dicitur 1. *Contumelioſa*; quia blaſphemia proprie dicta virtuti Religionis opponitur, quatenus

nus detrahit honori, qui per virtutem Religionis Deo exhibetur. Dicitur 2. *In Deum*, quia Deus eſt objectum principale blaſphemiæ: unde ſi addatur 3. *In ſanctos*, intelligenda eſt hæc particula, quatenus ſancti Dei ſunt vel amici, vel miniſtri, vel excellentes ejus creaturæ; ita ut contumelia ad ipſum Deum referatur. Alias eſſet quidem peccatum contra Duliam, ſed non contra Latriam; nec proinde vera ac proprie dicta blaſphemia. Dicitur 4. *Locutio*; quia licet quis blaſphemare poſſit, vel ſigno externo, ut in Cælum ſpuendo, dentibus infremendo; manum in Cœlum tendendo, &c. vel etiam contra Deum aut Sanctos ejus interne contumelias concipiendo; hæ non ſunt ſtricte ſumptæ blaſphemiæ, ſed late, licet ex genere ſuo graviſſimæ.

Not. 2. Duplicem eſſe blaſphemiam, ſimplicem unam, Hæreticalem alteram. Prima nullam contra Fidem falſitatem continet: ſecunda aliquam, vel formaliter, vel virtualiter falſitatem exprimit; ut ſi quis dicat Deum eſſe injuſtum, improvidum, aut crudelem, aut impoſſibilia jubere, &c. His notatis.

Quæſt. 1. Quot modis committatur blaſphemia?

R. Hæreticalis triplici modo perpetratur. 1. Affirmando aliquid de Deo, quod ipſi non convenit, v. g. injuſtum eſſe, injuſte nobiſcum agere, omnia caſu contingere, &c. auctorem eſſe peccati, &c. 2. Negando convenire Deo quod convenit ipſi, v. g. eſſe omnipotentem aut omniſcium. 3. Tribuendo creaturis quod ſoli Deo convenit, dicendo v. gr. Regem eſſe omnipotentem. Blaſphemia ſimplex quadruplici modo committitur. 1. *Enunciative*; ut dum quis proteſtatur ſe aliquid velle facere in Dei contemptum & injuriam. 2. *Deteſtative*, Deo malum imprecando, ut Maledictus Deus; vel ipſum ejurando, ut Deum ejuro. 3. *Juratorie*, dum quis jurando blaſphemat; ut, Pereat Deus, ſi non eſt vel non erit ita; vel Hoc

ita verum eſt, ac verum eſt Deum exiſtere, Chriſtum eſſe Deum, verum eſſe Evangelium. 4. *Irreverenter*, dum quis cum irriſione & contemptu, Deum, Chriſti membra, mortem, &c. indigne uſurpat; ut dum quis per Deum, per membra Chriſti, Caput, Sanguinem, vel jurat, vel alicui maledicit & imprecatur; per hæc ſiquidem & ſimilia honori Deo debito derogat, & res ſacras vilipendit.

Quær. 2. Quænam blaſphemiæ ſpecies ſint diverſæ, in Confeſſione exponendæ?

℟. 1. Blaſphemia Hæreticalis proculdubio ſpecie differt a ſimplici: cui ſi aſſenſum præbuit intellectus, vera ac proprie dicta eſt infidelitas, a qua nullus abſolvi poteſt, niſi ab habente facultatem ab hæreſi abſolvendi. 2. Specie differunt blaſphemiæ in Deum ipſum, in B. Virginem, & in Sanctos, ob diverſum cultum eiſdem debitum. Licet enim omnes in Deum tendant, diverſimode tamen, directe ſcilicet & indirecte, tendunt. 3. Deteſtatoria blaſphemia ſpecie a ceteris differt, ut quæ formale odium Dei involvat. Demum omnes in Confeſſione ſunt exponendæ, quia intra eandem ſpeciem aliæ aliis longe ſunt graviores.

Quær. 3. Utrum blaſphemia ſemper ſit mortalis?

℟. Cum ſummus honor ſtrictiſſimo jure Deo Opt. Max. debeatur, omnis blaſphemia, qualiſcumque ſit, ſemper eſt peccatum mortale, & quidem graviſſimum, nec ullam parvitatem materiæ admittit, & ob ſolam actus imperfectionem a mortali excuſari poteſt.

Dixi *qualiſcumque ſit*, ſive quis Deum exhonorare expreſſe intendat, ſive non; quia licet id formaliter non intendat, intendit tamen virtualiter & interpretative; dum advertit, aut advertere poteſt ac debet, verba quæ profert, in grave Dei vilipendium vergere, ſaltem ex audientium apre-

prehenſione. Qui tamen ex puro joco aliquid de Deo minus decens proferret, v. gr. Deum eſſe bonum ſenem, vel magnum Virum, magno præſtantem ingenio, blaſphemiam non perpetraret: quia nec apud loquentem, nec apud audientes Deus contumelioſe tractatur, a quibus tamen coram rudioribus abſtinendum eſt ob ſcandali periculum.

Dixi iterum blaſphemiam *ex ſola actus imperfectione a mortali excuſari poſſe*. Dum nempe, inquit D. Thom. 2. 2. q. 13. art. 2. ad 3. *aliquis ſubito ex aliqua paſſione in verba imaginata prorumpit, quorum ſignificationem non conſiderat: & tunc eſt peccatum veniale, & non habet proprie rationem blaſphemiæ*. Quod ſi advertat, ſubdit S. Doctor, *hoc eſſe blaſphemiam, conſiderans ſignificata verborum: & tunc non excuſatur a peccato mortali: ſicut nec ille, qui ex ſubito motu iræ aliquem occidit juxta ſe ſedentem*. Quia eo ipſo, quo advertit ad id quod facit, aut dicit, gravitas rei eum cogit ad deliberationem: nec a mortali excuſantur qui ex peſſima, qua ſunt obnoxii, blaſphemandi conſuetudine, verborum ſignificationem non conſiderant, niſi compuncti pœnitentia hanc pravam conſuetudinem omni cura corrigere ſatagant.

CAPUT II.

De Spe Theologica.

SPes non ſecus ac Fides, multifariam ſumitur. 1. Pro objecto ipſo, quod ſperatur. *Expectantes beatam ſpem*. 2. Pro eo, in quem ſperamus: *Dominus ſpes mea*. 3. Pro eo, per cujus interceſſionem ſalutem noſtram ſperamus: *Maria ſpes noſtra*. Demum ſumitur proprie pro ſperandi actu vel habitu. Hujus ſpei ſic ſumptæ inquiruntur na-

tura, objectum, ſubjectum, neceſſitas, ejus effectus timor, ac demum vitia contraria.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Spes Theologica.

Not. SPei nomine generaliter ſumptæ intelligitur *motus efficax appetitus alicujus boni abſentis, ardui quidem, ſed poſſibilis.* Dicitur *motus appetitus*: ſive ſenſitivi, ſi quæſtio ſit de paſſione, ſive rationalis, ſi agatur de actu libere tendente in bonum, quod ſolius appetitus, non intellectus objectum eſſe poteſt. Dicitur *efficax*, per quod a ſimplici complacentia & volitione ineffi caci diſtinguitur. Dicitur *boni*: quia objectum ſpei non poteſt eſſe niſi bonum, ſicut objectum timoris eſt malum. Dicitur *abſentis*, ut diſtinguatur tum ab amore, qui circa bonum præſens & abſens verſari poteſt: tum a fruitione, quæ non verſatur niſi circa præſens. Dicitur *ardui*, per quod diſtinguitur a ſimplici deſiderio, cujus objectum eſt quidem bonum abſens, ſed obtentu facile. Nec enim dives eſuriens v. g. ſperat, ſed deſiderat alimenta, quæ dum juſſerit apponentur menſæ ſuæ: pauper autem deſiderat ſimul & ſperat alimenta, quæ nonniſi labore, induſtria, aut precibus comparare poteſt. Dicitur *poſſibilis*: nullus ſiquidem movetur, ad quod ſibi vel phyſice, vel moraliter impoſſibile videtur. Nec enim quis Regiam ſperat dignitatem, quam obtentu impoſſibilem novit. Expoſita ſpe in genere, ſciendum eſt quid ſit ſpes in ſpecie: circa quod

Dico: Spes eſt *vera virtus ſupernaturalis Theologica ab aliis diſtincta, per quam certa cum fiducia æternam beatitudinem Dei auxilio ac meritis noſtris comparandam expectamus.*

Explicatur ſimul, & probatur Concluſio.

Di-

Dicitur 1. *vera virtus*, ſive ſit informis, ſive charitate ſit formata, cum ad actum bonum ac virtuoſum inclinet: quod

Prob. 1. Ex Scriptura & SS. Patribus Pſ. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem*, id eſt æternam Beatitudinem. Unde D. Greg. in II. Reg. c. 2. *Deo*, inquit, *in veritate ſervimus, quando ejus præcepta pro ſola*, nota hoc verbum, *ſola æternæ retributione perficimus*, & D. Aug. in Pſal. 102. & lib. de Trin. c. 13. &c. *Quando facis bonum opus, propter vitam æternam fac: noli facere niſi propter vitam æternam*: id eſt noli facere propter bona temporalia; hoc enim mercenarium eſt. *Si ideo facis, ſecurus facies: hoc enim mandavit Deus.* Adſtipulantur Ambroſ. in c. 5. ad Rom. Nazianz. Orat. 3. num. 56. DD. Thom. & Bonav. &c.

Prob. 2. Auctoritate Eccleſiæ. Trident. Seſſ. 6. can. 31. *Si quis dixerit juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema ſit*: & Alex. VII. hanc damnavit propoſitionem: *Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi careat, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.* Et Greg. IX. iſtam jam damnaverat: *Illi qui amant Deum, propter hoc ut Deus det illis vitam æternam, eorum intentio eſt prava.*

Dicunt Janſeniſtæ, Concilium, & Pontifices ſic operantem a peccato excuſare, quatenus quidem intuitu beatitudinis operatur: non quatenus charitatis actum tunc omittit, & operationem ſuam in Deum propter ſe dilectum non refert. Sed hæc reſponſio inane eſt effugium ac fallax evaſio; cum Concilium, & Pontifices non ſolum definiant operantem intuitu beatitudinis non peccare, ſed & ſic operantem abſque charitate & in Deum relatione.

Prob. 3. Ratione multiplici. 1. Quia Deus

præcipit variis in locis, ut beatitudinem æternam concupiſcamus. 2. Quia Deus vitam æternam nobis in præmium non proponeret, ſi illius intuitu operari vitioſum eſſet. 3. Quia de fide eſt, Spem ad Charitatem diſponere; non autem diſponeret, ſi motus ejus eſſet inordinatus.

Dicitur 2. Virtus *ſupernaturalis, & Theologica*; quia Deum immediate reſpicit, nec niſi inſpirante Dei gratia in illum ſperare, ſicut nec credere, prout oportet, valemus.

Dicitur 3. *Ab aliis diſtincta*, quod patet ex Apoſt. 1. Cor. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, & Charitas, tria hæc; major autem horum eſt Charitas.* Ubi Apoſt. *tria* numerans, nedum eadem ab invicem diſtinguit, ſed & unum alteri conferens expreſſius diſtinctionem denotat; cum nihil majus ſe ipſo eſſe poſſit. Deinde eæ facultates realiter ſunt diſtinctæ, quæ diſtinctos habent actus, ac diſtincta objecta formalia. Atqui Fides, Spes & Charitas diſtinctos habent actus, & diſtincta objecta formalia, ut videbitur infra. Ergo.

Dicitur 4. *Per quam certa fiducia*: non quod certo credere debeamus, ut inſaniunt Heterodoxi, quemlibet Fidelem eſſe infallibiliter ſalvandum, ſed quod de promiſſionis divinæ infallibilitate firmiter perſuaſi credamus beatitudinem nobis eſſe donandam, ſi cum Dei auxilio, nobis ſemper parato, in finem uſque perſeveraverimus.

Dicitur 5. *Dei auxilio ac meritis noſtris comparandam*; quia ſalutem æternam conſequi non poſſumus, niſi operemur; nec operari abſque gratiæ auxilio illius, cujus erga homines, inquit Conc. Trid. tanta eſt bonitas, *ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.*

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quodnam ſit Spei objectum.

Not. OBjectum Spei, non ſecus ac aliarum virtutum, duplex eſt, materiale, & formale. Item aliud eſt primarium, quod per ſe a Spe appetitur: aliud ſecundarium, quod appetitur in ordine ad aliud. De his

Dico I. Objectum materiale Spei primarium eſt Deus poſſidendus: ſecundarium autem ſunt omnia ad eum conſequendum neceſſaria.

Prob. 1. pars, contra quoſdam contendentes ſolum Deum, id eſt beatitudinem objectivam, eſſe objectum materiale Spei; & alios docentes ſolam eſſe poſſeſſionem ejus, beatitudinem ſcilicet formalem. Nam illud eſt objectum Spei primarium, quod primo & per ſe expectatur, & cetera propter illud. Atqui primo & per ſe expectamus Deum ſimul, & poſſeſſionem ejus; cum Dei poſſeſſionem ſperare non poſſimus, niſi Deum ſperemus; nec poſſumus Deum ſperare, niſi ſperemus ejus poſſeſſionem. Nec enim ægrotus v. g. ſanitatem tantummodo ſecundùm ſe deſiderat, ſed & poſſeſſionem ejus concupiſcit; ſicut nec avarus pecuniam ſine poſſeſſione, aut poſſeſſionem ſine pecunia deſiderat, ſed utraque ſimul eſt objectum ejus deſiderii. Ergo a pari, &c.

Prob. 2. pars. Quia Spes inclinare non poteſt ad finem, quin pariter inclinet ad media, quæ ad ejus affecutionem ſunt neceſſaria, eadem eſt enim volitio finis ac mediorum; hoc eſt, eodem actu, quo finis efficaciter appetitur, media ſaltem implicite appetuntur, ut patet.

Dico II. Objectum formale Spei non eſt Beatitudinis difficultas, ut placet nonnullis; nec Dei auxiliantis omnipotentia, ut alii docent; non eſt

letiam

etiam ſola Dei bonitas, prout nobis conveniens, nec ſola promiſſio divina, ſed utraque ſimul.

Prob. 1. pars. Illud eſt objectum formale Spei, quod ad ſperandum nos movet. Atqui beatitudinis difficultas, nedum ad eam ſperandam nos non movet, quin potius removet. Ægrotus enim ſanitatem non ſperat, quia obtentu eſt difficilis, ſed potius propter id eam obtinere deſperat.

Prob. 2. pars. Quia, licet ſciamus Deum eſſe omnipotentem ad conferenda media efficaciſſima ad ſalutem conſequendam, non eam tamen ſperaremus, niſi Deus ea nobis promiſiſſet. Sicut ægrotus ſanitatem de Medico non ſperat, quia artis medicæ peritiſſimus eſt; ſed quia peritiam ſuam ad ipſum ſanandum promiſit adhibere. Fatendum tamen eſt Dei omnipotentiam in motivo Spei præſupponi, ſicut Medici peritia præſupponitur in motivo ægroti ab eo ſanitatem ſperantis. Sic intelligendi ſunt quidam ex SS. Patribus, docentibus omnipotentiam Dei auxiliantis ſpectare ad objectum formale fidei.

Confirm. utraque pars, ex eo quod nec difficultas beatitudinis, nec Dei omnipotentia auxiliantis habent rationem boni voluntatem allicientis. Atqui Spes ſecundum D. Th. 1. 2. q. 25. a. 3. *eſt motus in bonum, ſecundum rationem boni, quod de ſua ratione eſt attractivum.* Ergo.

Prob. 3. pars. Motus Spei eſt motus efficax appetitus rationalis. Atqui non poteſt eſſe motus appetitus per ſolam Dei promiſſionem, quæ per ſe appetitum non allicit, cum non habeat formaliter rationem boni nobis convenientis: nec poteſt eſſe efficax & rationabilis per ſolam bonitatem nobis convenientem, ſecluſa promiſſione divina: cum ea ſecluſa nullus bonitatem Dei, naturaliter obtentu impoſſibilem, efficaciter ac rationabiliter ſibi ſperare poſſet. Ergo

Confirm. Ex facto Davidis, qui dum erat Miles

Gre-

Gregarius, nec ſperaſſet Michol Filiam Regis ducere, niſi Saul ei promiſiſſet, ſub conditione quod trecentos Philiſtæos occideret; nec illud connubium deſideraſſet, niſi illud ſibi jucundum & honorificum fuiſſet.

QUÆSTIO III.

Quid ſit Spei ſubjectum.

Not. HIC non agitur de ſubjecto ſpei immediato, ut de fide jam obſervavimus: evidens eſt ſiquidem, voluntatem eſſe ejus objectum immediatum, cum ſit appetitus rationalis. Sed quæſtio eſt de ſubjecto mediato, id eſt de Perſonis, in quibus ſpes remanet. Ad quod . . .

Dico I. Spes reperitur in homine Catholico peccato mortali obnoxio, & in animabus in Purgatorio languentibus.

Prob. 2. pars. Ex Trid. ſeſſ. 6. c. 6. Peccatores *ad juſtitiam diſponuntur dum . . . ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in Spem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore.* Neque enim peccatores orant, nec aliquod bonum opus exequuntur, niſi in ſpe conſequendi gratiam & miſericordiam Dei. Ergo in ipſis Spes remanet.

Prob. 2. pars. Beatitudo, reſpectu animarum in Purgatorio languentium, omnia habet neceſſaria ad eſſe Spei objectum; eſt enim objectum bonum, abſens, poſſibile & arduum, utpote maximis cruciatibus obtinendum. Ergo.

Dico II. Nec in Hæreticis aut Infidelibus, nec in deſperantibus aut præſumentibus, nec in Damnatis aut Beatis, Spes locum habere poteſt.

Prob. 1. pars. Spes non reperitur, in quibus non adeſt baſis, & fundamentum Spei. Atqui in Hæreticis & Infidelibus non adeſt fides, quæ eſt

Spei

Spei basis & fundamentum. Ergo. Unde si I retici & Infideles vitam sperent æternam, naturali & acquisita sperant, sicut fide natural acquisita credere jam diximus.

Prob. 2. pars. Contraria mutuo se expellu Atqui desperatio & præsumptio Spei sunt con ria. Ergo ibi Spes stare nequit, ubi adest de ratio & præsumptio.

Prob. 3. pars. Ex Scrip. Prov. 11. *Mortuo mine impio, nulla erit ultra Spes*; & Rom. 8. *quæ videtur, non est Spes*. Ratio est, quia straneus est habitus, cujus actus est impossibi impossibilis est autem actus Spei in Damna ob decretum damnationis æternæ sibi revelatt Deinde objectum Spei debet esse absens, futu & arduum: Beatitudo autem non sic est Beatos, ut patet. Et licet nondum sint do gloria in resurrectione generali obtinenda; tamen ipsa non sit ipsis ardua, eam non pro sperant, sed tantummodo desiderant.

QUÆSTIO IV.

Quænam sit Spei necessitas.

Not. EAndem esse Spei ac fidei necessitate tum medii, tum præcepti. Scr enim Apostolus Hebr. 11. *Accedentem ad Dei nedum credere, oportet quia est*, sed etiam *inquirentibus se remunerator est*. Quæ verba necessitatem arguunt; cum credere, sicut opo eum esse remuneratorem, non possimus, quin muneratiönem ab eo promissam expectemus & remus. Ideo quæ de fide suo loco diximus, quoque ad Spem omnino pertinere est evid Non defuerunt tamen Pseudo mystici docent viam ad perfectionis fastigium breviorem quod quisque nullo beatitudinis æternæ pul

de

deſiderio, & proprium ſuum intereſſe, etiam quoad æternitatem, penitus abneget; ſicque omnem ſpem vitæ æternæ abjiciat, quæ abjectio ab ipſis fingitur gratiſſimum, inter omnia, & præſtantiſſimum Sacrificium. Contra quos

Dico: Omnino neceſſarius eſt habitus & actus Spei juſtis omnibus viatoribus, quantacumque charitate præditi ſupponantur.

Prob. 1. Ex Script. Rom. 6. *Nos ipſi primitias Spiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri; ſpe enim ſalvi facti ſumus. Si autem quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus.* Hæc dicuntur de perfectiſſimis Chriſtianis, & de ſe ipſo dicit Apoſtolus, licet uſque ad tertium Cœlum raptus. Ideo de eadem Spe ſermonem faciens Philip. 3. ait: *Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus.*

Prob. 2. Auct. Conc. Trid. definientis ſeſſ. 6. c. 16. *Hominibus juſtificatis* quibuslibet etiam perfectiſſimis; cum ejus propoſitio ſit indefinita, proindeque univerſalis; *proponenda eſſe Apoſtoli verba: Abundate in omni opere bono, ſcientes quod labor veſter non ſit inanis in Domino. Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius: & nolite amittere confidentiam, quæ magnum habet remunerationem.* Accedit quod Capite 11. aſſerat Deum glorificari a juſtis; *dum ſe ſe ad curreudum in ſtadio exhortando, mercedem inuentur æternam: cum ſcriptum ſit; Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem; & de Moyſe dicat Apoſtolus, quod reſpiciebat in remunerationem.*

Prob. 3. Ex Patribus. Aug. in Ps. 122. *Non præter ſpem eſſe debemus*; id eſt, non debemus eſſe abſque ſpe. *Immo cum magna fiducia præſumere, quia ſi per charitatem ipſe nobiſcum in terra*

eſt,

est, per eamdem charitatem & nos cum eo in Cœlo sumus ... spe charitatis. Et D. Bernardus lib. de dilig. Deo c. 15. *Nescio*, inquit, *si a quoquam hominum quartus gradus in hac vita perfecte apprehenditur, ut se scilicet diligat homo tantum propter Deum*; id est absque ullo suo proprio interesse. *Asserunt hoc, si qui experti sunt; mihi, fateor, impossibile videtur.*

Prob. 4. Ratione. Quia tantum abest ut perfecta charitas motum Spei deprimat, quin potius eo vehementius exstimulet, quo fit intensior. Ea est siquidem amoris proprietas, ut amantem cum amato uniat; si non re ipsa, saltem desiderio, juxta illud Aug. l. 8. de Civ. c. 10 *Quid est amor, nisi quædam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & quod amatur?* Nonne violenti amoris impetu exclamabat Apost. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo?* Deinde nullus est justus etiam perfectissimus, qui variis semper & ubique non vexetur tentationibus, quas procul dubio superare nequit, nisi juxta Apostoli præceptum Eph. 6. In omnibus assumat fidei scutum & Spei galeam, hoc est in Deum fiduciam. Igitur jure ac merito ab Ecclesia plurimæ damnatæ sunt propositiones quorumdam Pseudomysticorum doctrinam contrariam astruentium, tamquam temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas.

QUÆSTIO V.

Quid sit timor Domini.

Not. 1. Licet Spes omnino certa sit ratione sui, utpote quæ nitatur motivo certo & infallibili, promissis nempe Dei veracis ac omnipotentis, de quibus dubitare ac diffidere nefas est; incerta tamen est respectu nostri, cum

ex

ex parte cooperationis noſtræ multi defectus oriri poſſint ſoleantque, quibus promiſſionum divinarum effectus impediuntur; quo fit ut juxta Apoſt. Philippens. 2. cum metu ac tremore ſalutem noſtram operari debeamus. De hoc timore ſpecialiter nobis hic eſt agendum, de eo ſcilicet, qui moraliter bonus vel malus eſt, quique ad bonum vel malum nos inducit; non autem de timore naturali hominibus ac belluis communi, qui de ſe nec bonus nec malus eſt, ut timor mortis, laboris, aut ægritudinis, &c.

Not. 2. Quadruplicem aſſignari timorem moralem. 1. Dicitur *mundanus* ſeu humanus, quo incommodum temporale magis quam offenſa Dei formidatur. 2. Dicitur *ſervilis*, quo quis a peccato retrahitur ne pœnam incurrat; & is duplex aſſignatur, *ſerviliter ſervilis*, ſeu cum ſervilitate ſervilis, quo ſola pœna ita propter ſolam pœnam formidatur, ut ſi pœna non adeſſet, peccator timens, peccatum libenter committeret; & *ſimpliciter ſervilis*, ſeu abſque ſervilitate, quo ſola quidem pœna per fidem apprehenſa formidatur, ſed non ita principaliter, ut timens peccator in fuga ſolius pœnæ finem ultimum conſtituat, & ſic affectum peccati intus latitantem conſervet. 3. Timor dicitur *filialis*, ſeu caſtus aut reverentialis, quo quis peccatum refugit, ne Dei offenſam incurrat. 4. Tandem dicitur *initialis*, quo initio converſionis culpam ſimul & pœnam timemus; ſed quo peccatum quatenus Dei offenſam & pœnæ inductivum fugimus.

Not. 3. Apud omnes eſſe indubitatum, 1. Timorem humanum ſemper eſſe vitioſum; inordinatum eſt enim, ut patet, creaturam creatori, & bonum noſtrum gloriæ Dei anteponere. Certum eſt 2. apud omnes, timorem ſerviliter ſervilem malum eſſe, propter adjunctam ſervilitatem, hoc eſt propter affectum ipſum peccati intus latitantem;

tem; qui utique intrinsece malus est, sicut ipsamet peccati commissio. Certum est. 3. Laudabilem esse timorem initialem, a fortiori filialem; utpote qui motivo nitatur laudabili. Sola quæstio est inter Catholicos, & Heterodoxos de timore simpliciter servili; utrum nempe is bonus sit & supernaturalis, ac voluntatem peccati excludat.

Dico I. Timor similiter servilis bonus est atque laudabilis.

Prob. 1. Ex Script. Prov. *Timor Domini principium sapientiæ*; quod de timore pœnæ exponunt Basilius in Ps. 32. & Aug. Tract. 9. in Epist. Joan. Si autem principium sit sapientiæ, quis eum non esse bonum atque laudabilem ambigere potest? Et Christus ipsemet Dominus jubet nos Matth. 10. *Timere eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Atqui hoc nos non juberet, si timor ille malus esset. Ergo, &c.

Prob. 2. Auctorit. Conc. Trid. sess. 6. ubi postquam dispositiones ad justificationem enumeravit, tandem concludit sess. 6. Can. 8. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.* Et Alexand. VIII. hanc damnavit propos. 13. inter 31. *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus.*

Prob. 3. Ex Patribus, inter quos solus sufficiat Aug. quo se maxime jactant Heterodoxi. In Ps. 127. *Bonus est & iste timor & utilis, quo homo timet ne mittatur in gehennam*: & serm. 156. *Fac, fac, vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ*; & de Cath. Rud. c. 5. *Si nondum potes amare justitiam, time vel pœnam, ut pervenias ad amandum justitiam.*

Prob. 4. Ratione. Actus Spei Theologicæ bonus

nus eſt atque laudabilis. Sed nullus ſimpliciter timere poteſt gehennam æternam, quin ſimul virtualiter ſaltem & interpretative actum Spei eliciat. Ergo, &c. Major patet ex dictis. Prob. min. Qui timet gehennam æternam, timet proculdubio pœnam damni, id eſt poſſeſſionis Dei carentiam, quæ gehennæ malum eſt maximum. Sed qui timet pœnam damni, virtualiter ſaltem & interpretative actum Spei elicit, cum idem ſit carentiam alicujus boni timere, ac illud deſiderare: *Nulli* ſiquidem *dubium eſt*, inquit Auguſtinus lib. 83. qq. q. 33. *non aliam eſſe metuendi cauſam, niſi ne id quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiſcamur ſperatum*. Ergo qui timet ſimpliciter gehennam æternam, neceſſarium eſt ut ſaltem virtualiter & implicite actum ſpei eliciat.

Dico II. Timor ſimpliciter ſervilis gehennæ eſt ſupernaturalis.

Prob. 1. Auctoritate Trid. ſeſſ. 14. c. 4. definientis cuntritionem imperfectam, *quæ ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, donum Dei eſſe & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis*. Accedit auctoritas Alexandri VIII. qui in damnatione propoſition. 15. definivit metum gehennæ & pœnarum ſine benevolentia Dei propter ſe nedum bonum eſſe motum, ſed & *ſupernaturalem*.

Prob. 2. Ratione. Nam ſi ex Trident. citato, timor iſte quædam ſit ad juſtificationem diſpoſitio, evidenter ſequitur, ipſum eſſe ſupernaturalem; cum naturale nihil ad ſupernaturale hominem diſponere valeat. Adde quod idem Concilium juſtificationis opus integrum gratiæ Dei adſcribat, cujus juſtificantis partem præcipuam timori gehennæ confert.

Dico III. Timor ſimpliciter ſervilis, verus & efficax, voluntatem peccati excludit.

Prob.

Prob. 1. Ex Script. Exod. 20. *Venit Deus, ut terror illius esset in vobis, & non peccaretis.* Prov. 8. *Timor Domini odit malum.* Ecclesiastici 1. *Radix Sapientiæ est timere Dominum. Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non poterit justificari.* Ergo voluntatem peccandi excludit, quæ proculdubio peccatum est.

Prob. 2. Ex Trid. sess. 14. c. 4. ubi dicit contritionem imperfectam ex gehennæ & pœnarum metu conceptam, *si voluntatem peccandi excludat*, ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere. Si autem pœnarum metus voluntatem peccandi excludere possit, quandonam excludet, nisi dum verus erit atque efficax?

Prob. 3. Ex SS. Patribus, inter quos unus sufficiat August. serm. 214. de Temp. *Cum timetur pœna, quam Deus minatur, discitur amari præmium quod pollicetur: ac sic per timorem pœnæ bona vita retinetur.* Numquid bonam vitam retinet, qui retinet voluntatem peccandi?

In Psal. 127. Ubi vermis eorum non moritur. *Audiant hoc homines; & quia vere futura sunt impiis, timent, continent se a peccato: timent quidem, sed non amant justitiam. Cum autem per timorem continent se a peccato, fit consuetudo justitiæ.... & jam incipit homo juste vivere.* Proculdubio a peccato non se continent, nec incipit juste vivere, cui peccandi voluntas inest.

Tract. 9. in Epist. Joan. *Initium sapientiæ timor Domini. Timor quasi præparat locum charitati. Si nullus timor, non est qua intret charitas.* Sed ubi est locus charitatis, ubi adest voluntas iniquitatis?

De vocat. Gent. l. 2. c. 19. *Hunc autem consensum*, ad bonum scilicet, *non solum cohortatio prædicantium... sed & metus gignit; propter quod scriptum est: Principium sapientiæ timor Domini, qui quantisque terroribus inferatur, non aliud agit quam, ut quem fecerit timentem faciat & volentem*,

tem, ſcilicet bonum, *non ſolum volentem, ſed etiam ſapientem.... per timorem, illa, quæ mentem premebat, caligo diſcutitur; ut voluntas depravata prius, atque captiva, recta efficiatur & libera.*

QUÆSTIO VI.

Quænam ſint vitia Spei oppoſita.

Not. DUo eſſe vitia Spei oppoſita, deſperatio nimirum, & præſumptio, de quibus nonnullæ quæſtiones breviter ſunt exponendæ.

Quær. 1. Quid ſit deſperatio?

℟. Deſperatio definitur *voluntaria & omnimoda abjectio Spei Beatitudinem conſequendi, vel media ad eam conducentia.* Dicitur, 1. *Abjectio*, ſeu receſſus poſitivus a beatitudine; quia ſicut ſperans ad Deum poſſidendum poſitive accedit, ita deſperans ab eo recedit. Dicitur 2. *voluntaria*; nec enim diffidentiæ involuntariæ, quas etiam Sanctiſſimi plerumque ex Dæmonis tentatione patiuntur, veræ ſunt deſperationes. Dicitur 3. *omnimoda*: quia ſi aliqua, vel remiſſa, Spes ſuperſit, non eſt deſperatio. Dicitur 4. *vel media ad eam conducentia*; quia ſicut Spei duplex aſſignatur objectum, primarium ſcilicet, id eſt ipſa beatitudo, & ſecundarium, auxilia gratiæ & bona opera, quibus obtinetur; ita duplex eſt deſperationis objectum, ut obtentu impoſſibile apprehenſum. Ideo non minus deſperat qui dicit Remiſſionem peccatorum non obtinebo, quam qui dicit Impoſſibile eſt ut aſſequar beatitudinem.

Quær. 2. Quid ſit præſumptio?

℟. *Temerariam* eſſe *beatitudinis, & mediorum ad eam aſſequendam neceſſariorum expectatio.* Quod triplici modo evenire poteſt: vel dum quis ſolis naturæ viribus beatitudinem æternam comparare

præ-

præsumit, & hæc est temeritas Pelagiana; vel dum quia solo Dei concursu absque bonis nostris operibus eam se possidere posse arbitratur, & hæc dicitur temeritas Lutherana; vel tandem dum quis misericordiæ divinæ nimium innitens, pœnitentiam ad finem usque vitæ suæ differt, & hæc dicitur malorum Christianorum temeritas. Ex quibus patet, desperationem contra Spem pugnare per defectum, præsumptionem vero per excessum; non quidem ex parte Dei, cum nullus umquam in Deum nimis sperare, sicut nec nimis diligere, aut in eum credere possit; sed ex parte subjecti sperantis, qui ordine indebito, & quod Deus non promisit, sperare potest.

Quær. 3. Utrum & quando desperatio & præsumptio adjunctum secum habeant infidelitatis peccatum?

Bx. Desperationem & præsumptionem necessario infidelitatem non præsupponere; quia, licet quis generaliter credat Christum v. gr. pro omnibus esse mortuum, & nulli auxilia ad salutem necessaria denegari; actum tamen desperationis elicere potest, propter sibi propriam aliquam circumstantiam, propter nimirum peccatorum suorum gravitatem, tentationum molestiam, aut cetera hujusmodi. Item licet quis omnino sit persuasus de pœnitentiæ aut aliorum bonorum operum necessitate ad salutem acquirendam, de divina misericordia præsumere potest curam salutis negligendo, & pœnitentiam de die in diem ad mortem usque procrastinando. Contingit tamen sæpius, infidelitatem desperationis aut præsumptionis motivum esse impulsivum. Si nempe desperans aut præsumens judicet v. g. Deum impossibilia jubere, vel homines sola fide justificari, quæ circumstantia infidelitatis proculdubio in Confessione est aperienda.

Quær. 4. Quam gravia sint peccata desperatio & præsumptio?

Bx. Eas

R. Eas esse ex genere suo gravissima peccata, etiamsi hæresim non habeant annexam. Ratio D. Thomæ est, quia, cum virtutes Theologicæ habeant Deum pro objecta suo immediato, peccata eis opposita important primo & per se aversionem ab eo; ideoque sunt ex genere suo gravissima. Dixi *ex genere suo*; a mortali siquidem excusare possunt indeliberatio, aut subreptio, aut consensus imperfectio; sed ab eo non excusat parvitas materiæ, quia nullus desperare potest absque contemptu bonitatis divinæ, qua Deus seipsum offert in præmium & beatitudinem nostram; nec etiam temerarie præsumere, quin Dei gratiam & adjutorium, quo ad bonum promovemur, & sine quo nihil facere valemus, despiciat: omnis autem Dei aut donorum ejus vel levissimus contemptus mortale est peccatum, ob gravissimam quam Deo infert injuriam. Ideoque desperatio & præsumptio peccata dicuntur in Spiritum Sanctum, utpote quæ specialiter contra Dei bonitatem ejusque dona pugnant. Observandum tamen est, præsumptionem malorum Christianorum, qua quis sibi imaginatur Deum modo extraordinario, ut latroni in Cruce pendenti, gratiam & misericordiam concessurum, parvitatem materiæ suscipere; quia potest esse absque donorum Dei contemptu, & tunc habitum spei non perimere; cum rationem spei & fundamentum non omnino evertat, Dei nimirum misericordiam.

CAPUT III.

De Charitate.

CHaritas, non secus ac duæ priores virtutes Theologicæ, varie accipitur. 1. Pro objecto, circa quod versatur: *Deus Charitas est.* 2. Pro Dei in homines dilectione: *Charitate perpetua dilexi*

dilexi te. 3. Pro quocumque amore boni, aut qualibet bona voluntate: ut sæpius ab Aug. sumitur Lib. de Gratia Christi cap. 21. *Quasi vero aliquid sit bona voluntas, quam charitas.* Et in Ps. 136. *Ipsa est charitas, quæ dicitur & bona voluntas*; & lib. 8. de Trin. c. 10. *Quid est dilectio vel charitas, nisi amor boni?* 4. Sumitur pro amore, quo creatura rationalis Deum prosequitur. De charitate eo ultimo sensu sumpta in hoc capite dicitur. Ejus naturam & divisiones; objectum & subjectum, affectiones & proprietates, effectus & officia, peccata aut vitia opposita exponemus.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Charitas.

Not. 1. CUM Charitas verus & proprius amor sit, sciendum est quid sit amor in genere, priusquam quid sit charitas in specie exponamus. Amor in genere est *motus voluntatis in bonum*; & triplex assignatur, concupiscentiæ, benevolentiæ, & amicitiæ. 1. Est motus voluntatis quo aliquid, ut nobis bonum & conveniens, exoptamus. 2. Est motus voluntatis, quo alteri bene volumus & facimus quantum in nobis est; non nostri, sed illius gratia & propter ipsum. 3. Est amor ipsemet benevolentiæ inter duos reciprocus, amicum amatum & redamantem connotans.

Not. 2. Amor benevolentiæ erga Deum multipliciter dividitur. 1. Alius est habitualis, alius actualis. 2. Alius est naturalis, quo Deus ut auctor naturæ diligitur: alius supernaturalis, quo ut auctor gratiæ & gloriæ amatur. Et hanc divisionem nec vanam esse nec commentitiam definivit Ecclesia in damn. prop. 34. & 36. inter Bajanas. 3. Alius est affectivus, qui totus in corde manet: alius effectivus, qui effectibus se prodit.

4. Alius

4. Alius est inefficax, qui nudum est desiderium, aut simplex velleitas, quæ ad effectum non transit: alius efficax, qui aliquid in amante erga amatum producit. 5. Alius est super omnia, quo Deus super omnem creaturam diligitur: alius non super omnia, quo Deus diligitur quidem, sed minus quam creatura, ut dum quis affectum moralem ad creaturam retinens, dat eleemosynam propter Deum. 6. Alius est super omnia remissus, id est in ultimo gradu: alius intensus, id est in summo gradu fervoris & intensionis; is a primo non differt, nisi accidentaliter. His notatis.

Dico I. Charitas vere ac proprie dicta est *virtus Theologica atque supernaturalis, qua Deum super omnia efficaciter propter se diligimus, & nos & proximos nostros propter ipsum.*

Prob. & exponitur definitio.

Dicitur 1. *Virtus*; quia habentem se facit simpliciter bonum, utpote quæ omne peccatum saltem mortale expellens, hominem Deo conjungat, & illum ad omnes virtutes moveat, tamquam in earum forma & vita, sine qua dicuntur informes, imperfectæ, atque mortuæ.

Dititur 2. *Theologica*: cum Deum immediate respiciat, sicut ceteræ Theologicæ, inter quas major atque perfectior est.

Dicitur 3. *Supernaturalis*: cum supernaturaliter sit infusa per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, & sine quo Deum sicut oportet diligere non valemus.

Dicitur 4. *Qua Deum super omnia diligimus*: quia Charitas Deum amat ut Deus est: non est autem Deus, nisi quatenus perfectissimus est, proindeque super omnia diligendus.

Dicitur 5. *Efficaciter*; quia præcipuus ille affectus qui ceteris dominatur, iners & otiosus esse non potest; ideo si sit inefficax, vere, ac proprie dicta charitas non est.

Dicitur 6. *Propter se*: per quod essentialiter differt a spe. Ipsa enim super omnia Deum diligit propter suum commodum, & tanquam summum suum bonum, non autem propter ipsum.

Dicitur 7. *Nos & proximos nostros*, id est creaturas omnes beatitudinis æternæ capaces: quæ sunt, ut mox dicetur, charitatis objectum secundarium.

Dicitur 8. *Propter ipsum*: quia res amici summe dilecti sunt in ejus usum & commodum convertendæ. Cum igitur per charitatem Deum summe diligamus, nihil est quod ad eum referre non debeamus. Ideo si nos ipsos aut proximum propter aliud motivum amore prosequamur, non est Charitas Theologica vere ac proprie dicta.

Dico II. Charitas verus est amor amicitiæ inter Deum & homines.

Prob. 1. Ex Script. Sap. 7. ubi dicitur de sapientia, quæ absque charitate non est; *Quæ qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei*: & Joan. 15. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis: jam non dicam vos servos . . . Vos autem dixi amicos.*

Prob. 2. Ratione & auct. D. Thomæ quæst. 23. art. 1. Quia conditiones ad veram amicitiam requisitæ perfectissime conveniunt charitati. 1. Quod sit amor benevolentiæ mutuus. Joan. 14. *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, & diligam eum.* 2. Quod sit utrique notus: novimus enim, si non certitudine physica, saltem morali, nos a Deo diligi per spiritum ejus, juxta Apost. Rom. 8. *Qui testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* 3. Quod inter amicos bonorum sit communio. 1. Cor. 1. *Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem Filii ejus.* 4. Quod amici sint uniti. 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Dico

Dico II. Charitas non eſt Spiritus Sanctus, ſed quid ab eo diſtinctum.

Prob. Ex illo Rom. 5. *Charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Deinde de fide eſt ex Trident: ſeſſ. 6. can. 11. in juſtificatione infundi charitatem, quæ cordibus inhæret; ex quo ſic argumentari licet: Ea diſtinguuntur realiter, quæ relative ſunt oppoſita. Atqui Spiritus Sanctus & charitas relative opponuntur, cauſa ſiquidem relative opponitur effectui, & infundens infuſo. Ergo &c. Ideo hæc ſententia a Theologis communiter rejicitur, ut erronea, cum pugnet contra concluſionem, quæ ex propoſitione fidei evidenter elicitur.

QUÆSTIO II.

Quid ſit objectum, & ſubjectum Charitatis.

Not. 1. HIC charitatis objectum materiale & formale inquirimus, ſicut ſubjectum ejus mediatum & immediatum: ut de ceteris virtutibus inquiſivimus.

Dico I. Objectum materiale primarium Charitatis eſt Deus: ſecundarium, nos ipſi & proximi: reductive, ſunt res omnes tum naturales, tum ſupernaturales, quatenus in Dei gloriam cedere poſſunt & ad ipſum referuntur.

Prob. Ex D. Aug. l. 1. de Doct. Chriſt. c. 23. *Cum ergo quatuor ſint diligendi; unum quod ſupra nos eſt; alterum, quod nos ſumus, tertium, quod juxta nos eſt, quartum, quod infra nos eſt;* &c. Objectum quod ſupra nos eſt, Deus eſt ſolus, quem principaliter diligimus, & ad quem omnia quæ diligimus reducuntur. Quod nos ipſi ſumus, eſt integra perſona noſtra, anima & corpore conſtans. Quod juxta nos eſt, omnis eſt rationali creatura, ſive Angelus, ſive homo, ſive infidelis, ſive

fidelis, ſive peccator, ſive juſtus, ſive amicus, ſive inimicus, ſive hæreticus, ſive catholicus; uno verbo, qui beatitudinis ſunt capaces, aut qui ſicut & nos vocati ſunt in ſocietatem Filii Dei Jeſu Chriſti Domini noſtri. Quod infra nos eſt, ſunt res omnes, vel natura, vel ſtatu nobis inferiores; quæ aliquo modo ad Deum referuntur. Siquidem Charitas rerum amici curam gerit, non propter ipſamet preciſe, ſed propter amicum, cui prodeſſe poſſunt. Cum igitur omnes creaturæ ſint res Dei, in gloriam ejus productæ & conſervatæ; ad objectum charitatis reduci poſſunt. Sic Seraphicus, ignem & ſolem, aves & pecudes, cicadas ipſas &c. amicabili nomine fratrum & ſororum honorabat; eaque, propter Deum a ſe ſuper omnia dilectum, diligebat.

Dico II. Objectum formale charitatis eſt bonitas Dei infinita qua infinite eſt amabilis.

Prob. Quia illud eſt objectum formale, quod eſt ratio, ſub qua virtus tendit in ſuum objectum materiale. Sed ratio, ſub qua, ſeu motivum propter quod Deus propter ſeipſum diligitur, eſt ejus bonitas infinita. Ergo. Deinde per Charitatem Deo volumus bonum, ut ipſi bonum eſt. Sed Deus ſibi bonus eſt per bonitatem & perfectionem ſuam infinitam. Ergo.

Dico III. Eadem eſt ſpecie charitas in juſtis omnibus, ſive in terris militantibus, ſive in Cœlis regnantibus.

Prob. Ex Apoſt. 1. Cor. 13. *Charitas*, inquit, *nunquam excidit*. Excideret autem, ſi non maneret eadem; & prior quæ fuit in terris evacuaretur, ut locum daret alteri charitati diverſæ ſpeciei. Deinde eadem eſt gratia ſanctificans in juſtis beatis ac in juſtis viatoribus. Ergo eſt eadem charitas, cum gratia ſanctificans a charitate habituali, juxta Theologorum communiorem ſententiam, non diſtinguatur.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quænam ſint Charitatis affectiones & proprietates.

QUinque numerantur Charitatis affectiones, & proprietates: neceſſitas nimirum, modus, ordo, accretio, minutio. De tribus prioribus nunc agendum, de poſterioribus opportunius in Tractatu *de Gratia*.

ARTICULUS I.

De Charitatis neceſſitate.

Not. CErtum eſſe primo Charitatem habitualem neceſſitate medii omnibus, tum parvulis, tum adultis eſſe neceſſariam, cum ſine ejus infuſione nec peccatum remittatur, nec ſalus obtineri poſſit. Certum eſt, 2. Charitatem actualem parvulis non eſſe neceſſariam; licet enim hunc actum non poſſint elicere, per Baptiſmum tamen gratiam & ſalutem conſequuntur. Igitur quæſtio eſt tantummodo de adultis; an actualis charitas, tum Dei tum proximi, ipſis neceſſaria ſit neceſſitate præcepti, & quando.

Dico 1. Extat ſpeciale præceptum ab aliis diſtinctum, non ſolum quidquid charitati opponitur fugiendi, ſed & actum charitatis internum ſæpius eliciendi.

Prob. 1. Ex Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Et hoc mandatum dicit Chriſtus Dominus Matth. 22. *Maximum eſſe & primum mandatum.* Nullus autem Deum diligere poteſt *ex toto corde*, niſi eum poſitive actu interno diligat. Deinde iſtud mandatum ideo dicitur

primum & maximum, quia primo & per se est finis omnium mandatorum, juxta illud Apostoli: *Finis præcepti est charitas de corde puro*, &c. Finis autem, inquit D. Bonav. 3. dist. 27. a. 2 1. q. 6. potius præcipitur quam media, juxta illud axioma: *In quolibet genere id quod est per se, potius est eo quod est propter aliud.*

Prob. 2. Si hoc præceptum numquam obligaret, vel semel tantummodo ter aut quater in vita obligaret; sequeretur hominem numquam, vel fere numquam teneri merita ad salutem assequendam necessaria sibi comparare, cum nullum meritum habere possit, nisi ex charitatis impulsu. Unde jure ac merito damnatæ sunt sequentes prop. ab Alex. VII. & Innoc. XI. *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. Non peccat mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret. Probabile est, ne singulis quidem vigorose quinquenniis, per se obligare præceptum charitatis erga Deum. Tunc solum obligat quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam qua justificari possimus.*

Dico II. Nulla extat obligatio semper & ubique Deum diligendi, seu omnia prorsus opera nostra in Deum per veram charitatem dilectum referendi.

Prob. 1. Auctor. Trid. Conc. & Summ. Pontificum supra citatorum, qui definierunt eum non peccare, qui gehennæ metu ad misericordiam Dei confugit; Attritionem, quæ gehennæ metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei, propter se esse bonum motum; intentionem, qua quis detestatur malum & prosequitur bonum mere ut cœlestem obtineat gloriam, esse rectam ac Deo placentem; Deo famulantem æternæ mercedis intuitu, charitate si caruerit, vitio carere; non peccare qui odio peccatum habet, mere ob ejus turpi-

tudinem & disconvenientiam a natura, sine ullo ad Deum offensum respectu. Ex quibus evidentissime concluditur, nullam extare obligationem omnia prorsus opera nostra in Deum per veram charitatem dilectum referendi.

Prob. 2. Ex damnatione hujus prop. 38. & similium: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde Deus amatur.* Ergo omnis actio, quæ per veram charitatem ad Deum non refertur, vitiosa non est.

Prob. 3. Ex D. Aug. ser. 344. de amore Dei & sæculi. *Amorem parentum, uxoris, filiorum non abstulit, sed ordinavit. Non dixit, qui amat, sed qui amat super me.* Et serm. 52. de Temp. c. *Charitas alia est divina, alia humana: alia est humana licita, alia illicita . . . Prius ego loquor de humana licita, quæ non reprehenditur.* Et Hom. 38. inter 50. *Incipiat amor licitus a conjugio, sed adhuc carnalis est; secundus amor filiorum est, sed adhuc carnalis est.*

Prob. 4. Auct. D. Thomæ 1. part. q. 60. art. 1. ad 3. *Dicere quod inclinatio naturalis non sit recta, est derogare auctori naturæ. Quia est rectitudo naturalis dilectionis, & alia rectitudo charitatis, & virtutis; quia una rectitudo est perfectiva alterius.* Et 2. 2. q. 19. art. 6. *Aliter est modus se ipsum diligendi, qui a charitate quidem distinguitur, sed charitati non contrariatur; puta, cum aliquis diligit seipsum, secundum rationem proprii boni: ita tamen, quod in hoc proprio bono non constituat finem. Sic etiam & ad proximum potest esse. Alia specialis distinctio præter dilectionem charitatis, quæ fundatur in Deo: dum proximus diligitur ratione commoditatis, consanguinitatis, vel alicujus alterius conditionis humanæ, quæ tamen referibilis sit ad charitatem.*

Confirmatur auctoritate & ratione ejusdem S. Doctoris, quem suum dicere non erubescunt heterodoxi. D. Th. 2. 2. q. 100. art. 10. hanc sibi proponit quæstionem: *Utrum modus observandi legem ex charitate cadat sub præcepto divinæ legis.* S. Doctor negative respondet: *Qui enim*, inquit, *præceptum non servat, peccat mortaliter. Si igitur modus observandi legem ex principio charitatis cadat sub præcepto, sequitur quod quicumque facit aliquid, nec id facit ex principio charitatis, peccet mortaliter. Jam quicumque non habet charitatem, ille non agit ex principio charitatis. Ergo sequeretur, quod quicumque non habet charitatem peccat mortaliter in omnibus suis actionibus quantumvis alioquin bonis; quod est inconveniens.*

Dico III. Præcepto divino tenemur sæpius diligere proximum, interno amore amicitiæ.

Prob. Ex Script. Matth. 22. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*: nos ipsos autem diligimus, nedum externo, sed interno amore, & Joan. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Numquid Christus non dilexit nos toto cordis affectu? Unde jure merito sequentes propositiones ab Inno. XI. sunt damnatæ. 1. *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.* 2. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

Quær. Quandonam illud præceptum obliget?

Rs. 1. Certo determinari nequit tempus, quo per se actus internus dilectionis proximi obliget: sed cum certum sit ex dictis, sæpius obligare, utpote singulare ac præcipuum Christi Domini præceptum, videtur eum a gravi peccato non fore immunem qui per mensem integrum ipsum numquam eliceret; cum juxta prudentem existimationem tam diuturna omissio gravis censeatur. Unde ut fideles timorati ab omnibus liberentur conscientiæ stimulis, monendi sunt ut attente Dominicam ora-

orationem sæpius recitent; per hanc siquidem recitationem perfectissime elici possunt, non solum actus Fidei, Spei, & Charitatis erga Deum, sed & dilectionis erga proximum, cum ea quæ in dicta oratione postulantur, non pro nobis dumtaxat, sed pro omnibus hominibus postulentur.

R. 2. Præceptum istud per accidens obligat, 1. Dum urget gravis odii tentatio, quæ absque actu dilectionis contrario superari nequit. 2. Dum tenemur proximo in aliqua necessitate, sive corporali, sive spirituali posito, subvenire, quia lex charitatis sine actu interiori non impletur; qui tamen ex solo naturali misericordiæ motu proximo subveniret, contra hoc præceptum non peccaret, nec illud, ut patet, transgrederetur; quia tunc hujus præcepti materia tolleretur. 3. Dum proximo gravis injuria sic in bonis tum corporis, tum animæ, tum famæ, tum fortunæ, infertur, quia proximum tenemur diligere sicut nos ipsos; nullus est autem gravi injuria expetitus, qui eam ægerrime non accipiat, acerbe tristetur, & pro virili parte se ipsum defendere non innitatur. Ubi obiter observandum est, longe potiori ratione ad actum charitatis erga Deum nos strictissime teneri, cum Deum blasphemiis, aut gravi quodam scelere offendi deprehendimus.

ARTICULUS II.

De modo Charitatis.

Not. DEum posse diligi super omnia tripliciter. Appretiative; dum eum pluris facimus, quam quodlibet aliud, ita ut parati simus potius omnium quam ejus amicitiæ jacturam pati. Objective: dum plus ei bonum volumus, quam omnibus aliis. Intensive tandem: dum majori conatu & ardentiori affectu præ ceteris eum

diligimus. Hoc notato, quæstio est utrum ad charitatis debitum necesse sit, Deum non solum appretiative aut objective, sed etiam intensive super omnia diligere. Circa quod

Dico: Ad implendum charitatis præceptum, sufficit, ut Deum super omnia appretiative & objective diligamus, licet omnino foret optandum ut eum sic etiam intensive diligeremus.

Prob. 1. Per charitatis præceptum nihil aliud jubemur, nisi ut Deum super omnia & plusquam omnia diligamus. Atqui per amorem appretiative summum, vere Deum super omnia & plusquam omnia diligimus: cum per hunc amorem quodcumque aliud bonum vel malum pro ipso contemnere parati simus. Unde D. Augustin. lib. 21. de Civit. Dei c. 26. ait: *Qui has necessitudines*, divitias, scilicet, Parentes, &c. *sic amat carnaliter, ut tamen eas Christo non præponat, & malit ipsis careque quam Christo, salvus erit.*

Prob. 2. Illud per charitatis præceptum non præcipitur, quod charitati non est essentiale. Atqui major vel minor intensio charitatis non est essentialis, sed tantum accidentalis. Ergo. Major patet. Minor probatur. Illud est accidentale alicui rei, sine quo res esse potest. Atqui potest esse charitas sine majori vel minori intensione, cum sine ea Deum vere super omnia diligere possimus. Ergo intensio non est essentialis charitati.

Prob. 3. Creaturam intensius quam Deum diligere possumus; licet vere ac realiter ex intimo corde Deum plus diligamus. Ergo charitatis intensio ad hoc implendum præceptum necessaria non est. Prob. Ant. Ille vere & realiter ex intimo corde plus Deum diligit quam creaturam, qui ipsam pro Dei amore deserere est paratus, quique longe majus bonum ipsi desiderat. Atqui sic parati sunt plerique justi, licet nonnullas creaturas intensius

sius quam Deum diligant. Justi siquidem sæpius dolore intensiori afficiuntur ob mortem Patris, Uxoris, aut Filiorum, quam ob peccata præterita; quamvis appretiative plus doleant in Deum peccasse, paratique sint ejusmodi orbitatem sustinere potius quam Deum offendere. *Sic homo*, inquit D. Bonav. *plus delectatur aliquando alloqui proximum, quam orare Deum, licet multo plus Deum diligat*. Sic Parentes interiori affectu parvulos filios, quam natu majores diligunt; licet istos pluris faciant, & magis invite eos amittant.

Prob. 4. Posito quod præceptum sit, Deum super omnia intensive diligere; vel gradus intensionis determinatus est a Lege charitatis, vel non. Si non sit determinatus, ergo ad Legem implendam quilibet gradus sufficit. Quod si sit determinatus, ipsum assignari necesse est, cum præcepta legis positivæ debeant esse non vaga aut indeterminata, sed fixa atque determinata. Atqui gradus intensionis charitatis nullibi est determinatus. Ergo quilibet sufficit, modo sit super omnia, quod solum a Lege determinatum est.

Quær. Quid sit proximum diligere sicut se ipsum?

℟. Cum D. Thoma 2. 2. q. 44. a. 7. *Illud pronomen* sicut, *non est intelligendum, quantum ad hoc, quod aliquis proximum sibi æqualiter diligat, sed similiter sibi*; quo sensu accipiendum est præceptum Christi Domini præcipientis, ut sint perfecti sicut Pater cœlestis perfectus est. Quomodo autem proximus sit diligendus, luculenter exponit idem S. Doctor cit. dicens tripliciter proximum esse diligendum. *Ex parte finis*, ut scilicet aliquis diligat proximum propter Deum, sicut se ipsum propter Deum debet diligere, ut sic sit dilectio proximi SANCTA. 2. *Ex parte regulæ dilectionis*, ut scilicet aliquis non condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis; sicut & suæ vo-

lun-

luntati satisfacere debet homo solum in bonis, ut sic sit dilectio proximi JUSTA. 3. *Ex parte rationis dilectionis*, ut scilicet non diligat aliquis proximum propter propriam utilitatem vel delectationem, sed ea ratione, quod velit proximo bonum sicut vult bonum sibi ipsi, ut sic sit dilectio proximi VERA.

ARTICULUS III.

De ordine Charitatis.

Not. COnstat apud omnes ordinem quemdam in charitatis exercitio servandum esse, juxta illud Cantic. *Ordinavit in me charitatem.* Nec enim, inquit Augustinus lib. de Doctr. Chr. c. 27. *Ullus juste & sancte vivit*, nisi *qui ordinatam dilectionem habet; ne amplius diligat, quod minus est diligendum; aut æque diligat, quod vel minus vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius, quod æque diligendum est.* Restat igitur, ut exponamus qualis sit ordo servandus. Circa quod

Dico: Duplex est ordo charitatis; primus affectionis & existimationis; secundus operis & beneficii. Juxta primum ordinem, quæ meliora sunt atque perfectiora magis sunt diligenda. Juxta secundum, in pari necessitate & in eodem bonorum genere potius diligenda sunt, quæ aliquo vinculo Carnis, vel Societatis, vel Religionis nobis sunt conjunctiora.

Prob. Hujus ordinis diversitas ex Pastore Evangelico, qui affectionis & existimationis ordine non prætulit nonaginta novem oves, quas in deserto reliquerat, centesimæ, quæ erraverat, quia ista melior erat; sed qui centesimam illam errantem ordine beneficii prætulit aliis nonaginta novem, quas in deserto dimisit, ut centesimam quæreret & ad ovile reduceret, quia in gravissima ne-

neceſſitate erat poſita. Unde Auguſt. Epiſt. 139. alias 158. ait: *Charitas quæ tamquam nutrix fovet filios ſuos, non ordine amandi, ſed ordine ſubveniendi, infirmiores fortibus anteponit.*

Patet igitur juxta affectionis & exiſtimationis ordinem præferendas eſſe creaturas nobiliores, ſanctiores, ceteris ignobilioribus & minus ſanctis: videlicet juſtos peccatoribus, ſuperiores inferioribus, Parentes uxori & filiis, bona ſpiritualia temporalibus, animam corpori, &c. Quoad ordinem operis & beneficii magis implicata eſt quæſtio, quam ſequentibus exponemus reſolutionibus.

Reſolv. 1. Magis diligere tenemur animam noſtram quam animam proximi; quia a ſe incipit charitas bene ordinata, nec ullus ſe ipſo ſibi vicinior atque conjunctior eſſe poteſt: unde non licet etiam pro totius mundi ſalute venialiter peccare, & peccati proximo periculo ſeſe committere.

Reſolv. 2. Tenemur animam proximi potius diligere quam corpus proprium, juxta illud 1. Joan. 3. *Debemus pro fratribus animam ponere*; quia bona pro dignitate ſunt diligenda, tum nobis tum proximis. Prævalent autem ſpiritualia corporalibus. Ergo tenemur pro fratribus in extrema neceſſitate poſitis vitam exponere, ut pro baptizando puero morituro, pro audienda confeſſione peccatoris moribundi, &c.

Reſolv. 3. Regulariter loquendo tenemur magis noſtrum quam proximi corpus diligere; cum nobis, ut jam dictum eſt, magis ſimus conjuncti quam proximo cuilibet. Dixi *regulariter loquendo*: non enim charitatis ordinem inverteret, qui pro tuenda vita Parentis, aut alicujus illuſtris perſonæ, bono communi valde utilis, vitam propriam prodigeret; quia tunc bonum proprium ſpirituale, ex hac actione heroica prodiens, bono temporali præponeret.

Re-

Resolv. 4. Ubi omnibus in extrema necessitate constitutis subvenire non possumus, tenemur 1. Subvenire Parentibus; quia præter communionem sanguinis, rationem habent principii, adeoque eminentioris boni, & Pater Matri præferendus est, utpote qui nobiliori modo principii rationem obtineat. 2. Præferenda est Uxor Filiis, quia una caro est cum marito. 3. Filii præferendi sunt fratribus, aliisque consanguineis, utpote sanguine magis conjuncti.

Dixi 1. *In extrema necessitate*: in gravi siquidem potius subvenire debemus propriæ familiæ nostræ, uxori ac liberis, quam Patri, vel Matri. *Nec enim*, inquit Apostolus 2. Cor. 12. *debent filii Parentibus thesaurizare, sed Parentes filiis*. Dixi 2. *Omnibus* in extrema necessitate positis; quia si diversa est necessitas, prius subveniendum est alienis, qui in extrema necessitate sunt positi, quam propinquis qui in gravi dumtaxat; quia charitatis præceptum, non solum in conjunctione, sed in necessitate proximi fundatur.

Resolv. 5. Præferendos esse benefactores amicis ac sodalibus, maxime spirituales; cum major sit ac strictior gratitudinis quam societatis conjunctio.

Resolv. 6. In extrema necessitate potius subvenire tenemur Patri & Filiis carnalibus, quam spiritualibus; quia, inquit D. Thom. conjunctio naturalis origine est prior; & charitas ordinem naturæ non mutat, sed perficit. Si tamen Persona publica, a qua pendet salus communitatis, in extrema versaretur necessitate, simul cum proprio Patre, prius illi quam Patri foret subveniendum, cum salus communis cujuslibet privatæ Personæ saluti prævaleat. Hinc

Resolv. 7. Pastor tenetur potius totum gregem suum in extrema necessitate spirituali constitutum juvare, quam Patrem suum in eadem necessitate positum. Similiter potius invigilare tenetur saluti

ovium ſuarum, quam cognatorum, aut parentum ſub alterius cura degentium; quia nobilior eſt ſpiritualis, quam carnalis cognatio. Hinc

Reſolv. 8. Pater aut frater ſpiritualis in communibus neceſſitatibus potius filiis aut fratribus ſpiritualibus ſubvenire tenetur, quam carnalibus. Dixi *in communibus neceſſitatibus*; nam in graviſſima aut extrema neceſſitate iſtis potius debet ſubvenire ob rationem D. Thomæ in ſexta reſolutione allatam. Cetera apud auctores videantur; hæc & breviter prælibaſſe ſufficiat, ne longius quam par eſt accreſcat volumen iſtud.

QUÆSTIO IX.

Quinam ſint Charitatis effectus & officia.

TRes numerantur charitatis effectus; Gaudium ſcilicet, Pax, & Miſericordia. Gaudium eſt ſuavis affectus animi quieſcentis in bono divino per amorem poſſeſſo. De iſto nihil dicendum habemus, ſed dumtaxat de Pace & Miſericordia, ſequentibus Articulis.

ARTICULUS I.

De Pace Charitatis.

Not. 1. PAcem charitatis ſitam eſſe in conſenſu voluntatis noſtræ ad Deum, & partis inferioris ad ſuperiorem, & voluntatis noſtræ cum voluntate eorum, cum quibus nobis eſt agendum.

Not. 2. Circa voluntatis noſtræ conſenſum ad Deum, gravis inter Catholicos & Bayi Diſcipulos orta eſt quæſtio: utrum ſcilicet charitas vera ac proprie dicta Deum appretiative diligens, in quovis exiſtat gradu, pacem inter Deum & homines conſtituat; & ex ſeſe, extra Pœnitentiæ Sa-

Sacramentum, mortale peccatum depellat: vel utrum ad hoc necessario opus sit, ut ad gradum intensissimum ascenderit. Contendunt Bayi Discipuli charitatem remissam, quam ideo imperfectam vocant, citra Pœnitentiæ Sacramentum peccatorem justificare non posse: nisi forsan in necessitatis casu, dum nempe urget mortis periculum, nec adest Sacerdotis copia: solamque intensissimam charitatem, quam dicunt perfectam, hunc salutarem effectum semper de se producere. Circa quod

Not. 3. Duplicem esse charitatis perfectionem, essentialem unam, accidentalem alteram. Essentialis in eo sita est, quod Deus vere ac sincere propter se ipsum super omnia diligatur: accidentalis autem, quod diligatur in tali vel tali intensionis gradu, sine quo vera, sincera ac proprie dicta charitas esse potest. Siquidem virtus omnis in sua specie & essentia subsistit, dum proprium objectum suum attingit: & scintilla ignis non minus essentialiter ignis est ac ingens rogus: & infans in primo animationis instanti æque verus est ac perfectus homo, quoad essentiam, ac vir annorum triginta. De hac charitate essentialiter perfecta quæstio est contra Bayi Discipulos. Nullus siquidem vel negavit, vel negare potuit charitatem intensissime perfectam hominem ex se se justificare; cum sententia contraria nedum erronea, sed manifeste sit hæretica. His notatis,

Dico cum universa Ecclesia Catholica: Quantulacunque charitas, modo vera sit ac sincera, Deumque super omnia diligat, ex se se semper peccatorem justificat, citra Pœnitentiæ Sacramentum, non tamen sine ejus voto.

Prob. 1. Ex Script. 1. Petr. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Joan. 4. *Qui diligit, ex Deo natus est*, seu ejus filius est. Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, &c.*

Respondent 1. adversarii, ibi sermonem esse

de

de dilectione habituali: ideo ſenſus eſt, Qui diligit me habitualiter, diligetur a Patre meo; non autem qui diligit actualiter tantum in gradu remiſſo.

Sed contra: quia ibi evidenter agitur de ea dilectione, quæ dilectionem, & gratiam habitualiter permanentem meretur. Addit ſiquidem Chriſtus Dominus: *Diligetur a Patre meo, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ad nos autem Deus non venit, nec apud nos manſionem facit, niſi per charitatem & gratiam inhærentem. Ergo Chriſtus Dominus eam non ſupponit. Deinde, cum Scriptura inter charitatem actualem, & habitualem non diſtinguat, ſed de ſimplici veraque charitate loquatur; nullus, niſi ſumme temerarius, hic diſtinguere poteſt.

Reſpondent 2. Ibi agi de dilectione intenſiſſima: ideo ſenſus eſt, Qui diligit me perfecte. Sed

Contra: quia ibi agitur ſolummodo de charitate, quæ obſervare facit mandata. Ait enim Chriſtus Dominus: *Qui diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, &c.* Atqui minima charitas facit obſervare mandata; nihil namque minus facere poteſt; & ſi non faciat, charitas non eſt. Ergo Chriſtus Dominus de minima charitate loquitur. Deinde redit quod ſupra dictum eſt, Chriſtum Dominum inter charitatem remiſſam aut intenſam non diſtinguere.

Prob. 2. Ex Trid. docente ſeſſ. 14. c. 4. *Contingere aliquando, contritionem eſſe charitatem perfectam*, & ipſam *reconciliare hominem, antequam ſuſcipiat Sacramentum.*

Reſpondent Adverſarii Concilium loqui de charitate intenſiſſima, ut ſatis denotat ly *perfectam*. Sed

Contra 1. Quia evidens eſt cuilibet attendenti, *perfectionem* a Concilio non applicari *charitati*, ſed *contritioni*, quæ a charitate perficitur, ſeu

in-

informatur. 2. Concilium loquitur de contritione, prout opponitur attritioni, quæ juxta descriptionem ab ipso datam nullum charitatis motivum includit. Ergo Concilium loquitur de contritione etiam remissa, charitate perfecta, seu informata.

Prob. 3. Auctorit. summ. Pontificum Pii V. Greg. XIII. sequentes Bay propositiones damnantium: *Charitas perfecta & sincera quæ est ex corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis quam in Pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.* Propos. 31. *Charitas illa, quæ est plenitudo Legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* Propos. 32. *Homo existens in peccato mortali potest habere veram charitatem; & charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis.* Propos. 70. *Rer contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut Martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.* Prop. 71.

Respondent adversarii has propositiones cum summ. Pontificibus damnare, si intelligantur de charitate intensissima, uti *ly perfecta* intelligendas esse demonstrat. Sed

Contra: quia hæ propositiones sunt intelligendæ prout ipsemet Bayus eas intellexit. Atqui eas non intellexit de charitate intensissima; quam citra Sacramentum hominem semper justificare non negavit, ut patet ex ejus scriptis. Ergo, &c. Deinde ex ipsomet & supradictarum propositionum obvio sensu evidenter patet, ibi sermonem esse de charitate essentialiter, non vero accidentaliter perfecta. Nam ea charitas est essentialiter perfecta, quæ *vera est ac sincera*; id est, quæ veram ac non fucatam charitatis naturam atque essentiam habet, quæ *est ex corde puro*; id est, quæ nullam creaturam magis quam Deum appretiative diligit:

quæ

quæ est *ex conscientia bona*, id est quæ omnem peccati mortalis excludit affectum; quæ *est plenitudo legis*; id est, quæ omnia mandata facit observare. Atqui charitas, de qua agitur in supradictis propositionibus, talis est. Ergo in his agitur de charitate essentialiter, non de charitate accidentaliter perfecta.

Prob. 4. Ex SS. Patribus: D. Aug. Tract. 9. in Epist. Joan. *Anima nostra fœda est per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur*. D. Bern. Epist. 79. *Nemo se amari diffidat, si jam amat*. Et ne quis dicat sermonem fieri de charitate intensissima, additur ex D. Bonav. 4. dist. 4. p. 2. q. 1. *Minima charitas potest delere omnem culpam*. Et ex D. Th. Sup. q. 5. a. 3. *Quælibet gratia gratum faciens delet omnem culpam mortalem; quia simul cum ea stare non potest. Sed quælibet contritio est gratia gratum faciens informata. Ergo quantumcumque sit parva, delet omnem culpam*. Hic nullus effugiendi restat locus, cum evidenter sermo sit de dolore actuali a qualibet charitate excitato.

Prob. 5. Nulla est, quam adversarii comminiscuntur, charitas intensive perfecta. Ergo inaniter asserunt, hanc solam hominem extra Sacramentum justificare. Prob. ant. Ea charitas nulla est, quæ nec assignatur, nec est assignabilis. Atqui talis est charitas intensive perfecta. Ergo. Prob. min. Charitas intensive perfecta non dicitur, nisi relative ad minus intensive perfectam. Atqui nulla est assignabilis charitas adeo intensive perfecta, ut alia longe intensior excogitari & esse non possit. Ergo nulla est charitas assignabilis intensive perfecta.

Supponamus in sensu adversariorum, charitatem ut *octo* esse intensive perfectam, & huic succedere charitatem ut *centum*. Proculdubio ista charitas ut centum perfecta erit relative ad charitatem ut octo, quæ eo ipso erit imperfecta.

Quod

informatur. 2. Concilium loquitur de contritione, prout opponitur attritioni, quæ juxta descriptionem ab ipso datam nullum charitatis motivum includit. Ergo Concilium loquitur de contritione etiam remissa, charitate perfecta, seu informata.

Prob. 3. Auctorit. summ. Pontificum Pii V. Greg. XIII. sequentes Bay propositiones damnantium: *Charitas perfecta & sincera quæ est ex corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis quam in Pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.* Propos. 31. *Charitas illa, quæ est plenitudo Legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* Propos. 32. *Homo existens in peccato mortali potest habere veram charitatem; & charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis.* Propos. 70. *Rer contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut Martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.* Prop. 71.

Respondent adversarii has propositiones cum summ. Pontificibus damnare, si intelligantur de charitate intensissima, uti *ly perfecta* intelligendas esse demonstrat. Sed

Contra: quia hæ propositiones sunt intelligendæ prout ipsemet Bayus eas intellexit. Atqui eas non intellexit de charitate intensissima; quam citra Sacramentum hominem semper justificare non negavit, ut patet ex ejus scriptis. Ergo, &c. Deinde ex ipsomet & supradictarum propositionum obvio sensu evidenter patet, ibi sermonem esse de charitate essentialiter, non vero accidentaliter perfecta. Nam ea charitas est essentialiter perfecta, quæ *vera est ac sincera*; id est, quæ veram ac non fucatam charitatis naturam atque essentiam habet, quæ *est ex corde puro*; id est, quæ nullam creaturam magis quam Deum appretiative diligit:

quæ

quæ eſt *ex conſcientia bona*, id eſt quæ omnem peccati mortalis excludit affectum; quæ *eſt pleniſsúdo legis*; id eſt, quæ omnia mandata facit obſervare. Atqui charitas, de qua agitur in ſupradictis propoſitionibus, talis eſt. Ergo in his agitur de charitate eſſentialiter, non de charitate accidentaliter perfecta.

Prob. 4. Ex SS. Patribus: D. Aug. Tract. 9. in Epiſt. Joan. *Anima noſtra fœda eſt per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur.* D. Bern. Epiſt. 79. *Nemo ſe amari diſſidat, ſi jam amat.* Et ne quis dicat ſermonem fieri de charitate intenſiſſima, additur ex D. Bonav. 4. diſt. 4. p. 2. q. 1. *Minima charitas poteſt delere omnem culpam.* Et ex D. Th. Sup. q. 5. a. 3. *Quælibet gratia gratum faciens delet omnem culpam mortalem; quia ſimul cum ea ſtare non poteſt. Sed quælibet contritio eſt gratia gratum faciens informata. Ergo quantumcumque ſit parva, delet omnem culpam.* Hic nullus effugiendi reſtat locus, cum evidenter ſermo ſit de dolore actuali a qualibet charitate excitato.

Prob. 5. Nulla eſt, quam adverſarii comminiſcuntur, charitas intenſive perfecta. Ergo inaniter aſſerunt, hanc ſolam hominem extra Sacramentum juſtificare. Prob. ant. Ea charitas nulla eſt, quæ nec aſſignatur, nec eſt aſſignabilis. Atqui talis eſt charitas intenſive perfecta. Ergo. Prob. min. Charitas intenſive perfecta non dicitur, niſi relative ad minus intenſive perfectam. Atqui nulla eſt aſſignabilis charitas adeo intenſive perfecta, ut alia longe intenſior excogitari & eſſe non poſſit. Ergo nulla eſt charitas aſſignabilis intenſive perfecta.

Supponamus in ſenſu adverſariorum, charitatem ut *octo* eſſe intenſive perfectam, & huic ſuccedere charitatem ut *centum*. Proculdubio iſta charitas ut centum perfecta erit relative ad charitatem ut octo, quæ eo ipſo erit imperfecta.

Quod

Quod ſi autem huic charitati ad centum adjiciatur alia charitas, ad centum millia, iſta erit perfecta & illa imperfecta: & ſic in perpetuum, ſi creſcat charitas ad mille millia Gallice *millions*, & ad millies mille millia *a mille millions*; ſicut de facto crevit innumerabiliter charitas B. Virginis a primo conceptionis ſuæ inſtanti uſque ad ultimum vitæ ſuſpirium; & ſemper creviſſet, ſi ſemper vixiſſet. Ergo nulla eſt aſſignabilis charitas intenſive perfecta, niſi ipſamet charitas Dei infinita.

Prob. 6. Ex rationibus conglobatis, brevitatis gratia. 1. Charitas non eſt alia virtus in caſu neceſſitatis, quam extra: quare igitur juſtificans in hoc caſu, non juſtificaret extra hunc caſum? Id oritur, inquiunt, *ex mero Dei beneplacito*. Sed unde habet hoc Dei placitum? nec ex Scriptura, nec ex Conciliis, nec ex SS. Patribus, nec ex ullo ex veteribus Theologis. Ergo fuerunt conſiliarii Dei qui ſuum beneplacitum eis revelavit? Ergo Phanatici ſunt dicendi.

2. Horrendum eſt dicere Deum ſumme bonum eum non efficaciter diligere, qui ipſum efficaciter gratuite & ſuper omnia diligit.

3. Homo fit peccator per averſionem a Deo. Ergo fit juſtus, dum ex toto corde ad Deum convertitur: ſic autem convertitur, ut ipſimet fatentur adverſarii, dum ipſum efficaciter & propter ſe ſuper omnia diligit.

4. Contritio ex quantulacumque charitate formata juſtificabat abſque Sacramento in lege veteri; cum Judæi nullum haberent Sacramentum peccatum delens ex opere operato. Ergo hæc etiam juſtificat in nova lege; cum virtus & efficacia charitatis non ſit imminuta.

AR-

ARTICULUS II.

De Miſericordia Charitatis.

MIſericordia eſt alienæ miſeriæ efficax compaſſio, cum voluntate ſcilicet miſerum ſuccurrendi. Hujus quatordecim ſunt opera, tum corporalia, tum ſpiritualia. Corporalia ſunt infirmum viſitare, ſitientem potare, eſurientem paſcere, captivum redimere, nudum veſtire, hoſpitem colligere, mortuum ſepellire. Spiritualia vero ſunt, dubitanti conſulere, peccantem corrigere, ignorantem docere, triſtem conſolari, offendenti remittere, oneroſum ſuſtinere, pro omnibus orare. De tribus tantummodo hic nobis eſt agendum, de inimicorum dilectione, de correptione fraterna, & corporali eleemosyna.

§. 1. *De inimicorum dilectione.*

Not. NUlli dubium eſt, vi præcepti naturalis divini, *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, quemlibet teneri nullum adverſus inimicos odium concipere, conceptum ſtatim deponere, offenſam, vel graviſſimam, condonare, & amore ſincero ac benevolo eos diligere, juxta illud Chriſti Domini: *Diligite inimicos veſtros, & benefacite his qui oderunt vos.* Verum circa hanc materiam nonnulla hic ſunt breviter elucidanda.

Quæſt. 1. Utrum qui rixam inter ſe habuerunt, aut injuriis ſe ſe mutuo affecerunt, ad reconciliationem teneantur?

℟. Præceptum Domini eſt: *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adverſum te; relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Unde dicendum eſt, 1. Qui gra-

vem

vem injuriam proximo intulit, licet proximo graviter læso dignior ſit, veniam aut excuſationem petere, aut ſaltem convenientia reconciliationis media adhibere tenetur. 2. Si mutuo ſibi gravem injuriam intulerunt; qui prior proximum læſit, *ceteris paribus*, tenetur prior veniam petere, quia qui primus fuit læſus, primus jus habet ſatisfactionem exigendi. Dixi, *ceteris paribus*. Nam 1. Qui leviſſimam injuriam intulerat, quia gravis injuria ſubſecuta eſt, ad id non tenetur ex juſtitia. 2. Si is, qui prior gravem injuriam intulit, longe ſit ſuperior ut Pater reſpectu filii, Prælatus reſpectu ſubditi, Dominus reſpectu ſervi; tenetur quidem media reconciliationis convenientia adhibere, ſed veniam aut excuſationem petere non tenetur; quia longe gravior eſt injuria Superiori illata, quam inferiori. 3. Quicunque cum proximo gravem rixam habuit, ſive primus rixam inceperit, ſive non, ſive ſuperior ſit, ſive inferior, modo tamen inde non gravem infamiam aut grave patiatur detrimentum, diſtricte tenetur inimicum benevolentiæ ſignis & officiis prævenire; dum alia non ſuppeditatur via, ut ipſe inimicitiam deponat: *Unicuique* enim *Deus mandavit de proximo ſuo*: Circa quod

Quæſt. 2. Utrum externa dilectionis, humanitatis, atque urbanitatis ſigna inimicis noſtris ſemper, data occaſione, exhibere teneamur?

R. Non ſolum tenemur eſſe parati ad ſubveniendum inimicis noſtris in neceſſitatibus eorum, ſicut cæteris hominibus; ſed inſuper communia dilectionis, & humanitatis ſigna, & officia exhibere, ut ſalutantem reſalutare, interroganti reſpondere, emere volenti vendere, viam petenti demonſtrare, aquam aut ignem poſtulanti concedere &c. idque ſub gravi vel levi peccato; prout juxta perſonas, loca, aut alias circumſtantias, tenetur gravis vel levis injuria.

Dixi

Dixi *communia*: nam specialia benevolentiæ signa inimicis exhibere regulariter minime tenemur, v. g. visitare, familiariter colloqui, ad convivium invitare, &c. Per accidens tamen ad id teneremur, si nempe ad fratrem nostrum lucrandum foret necesse.

Ubi notandum est, Superiores offensos ab hac obligatione excusari, qui ad cautelam, & correptionem, in aliorum exemplum signa etiam communia benevolentiæ inferioribus suis denegant; modo tamen vere interius eos diligant, nec diutius quam par est, protrahatur hæc prudens severitas, nec subsit periculum subditos exasperandi & obdurandi.

Quær. 3. Utrum veniam petenti teneamur remittere injuriarum actionem, & satisfactionem?

R. Regulariter loquendo non teneri; quia, inquit D. Thom. 2. 2. q. 108. solus vindictæ appetitus, non ordo justitiæ, charitati repugnat. Sed cum valde periculosum sit ne in his injuriarum actionibus, sub specie tuendæ justitiæ, privatæ vindictæ indulgeamus, ob hujusmodi periculum ordinarie tenemur similes actiones dimittere. Expedit tamen quandoque, juridicam satisfactionem exigere, 1. Si reus sit Reipublicæ noxius ob continuas, quas excitat, rixas, & hac correptione indiguerit. 2. Si ita gravis esset offensa, ut infamia, quæ in totam recidit familiam, absque hac juridica satisfactione deleri non posset.

§. 2. *De correptione fraterna.*

Not. DUplicem esse correptionem, aliam judicialem seu juridicam, quæ est actus justitiæ, qua Superiores tenentur ex officio delinquentes emendare, & de peccatis eorum vindictam, & pœnam sumere, ut omnes in ordine contineant: aliam fraternam, quæ est actus cha-

ritatis, quo quilibet fratrem ſuum a peccato revocare nititur: de hac multa quæruntur hic breviter exponenda.

Quær. 1. An fraternæ correptionis verum extet præceptum, & quale?

℟. Vero præcepto naturali divino, & poſitivo quemlibet teneri proximum corripere. Dixi *naturali*; ſi enim lumen naturæ dictet, ſubveniendum eſſe proximo indigenti in corporalibus neceſſitatibus, quanto magis in ſpiritualibus, cum longe pretioſior ſit animæ quam corporis ſalus? Dixi: *divino poſitivo*, juxta illud Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum*. Non quod ſolummodo jubeamur in nos ipſos peccantes corripere, ſed 1. quia qui in Deum Patrem noſtrum ſuper omnia diligendum peccat, vere in nos peccat. 2. Quia qui nobis videntibus aut ſcientibus peccat, iniquitatis ſuæ quaſi approbatores nos efficit, & ad peccatum nos protrahit. Dixi, *quemlibet teneri*; quia nec ipſi peccatores, nec infideles ab hac generali obligatione eximuntur; cum & illi ad legis naturalis & divinæ obſervationem teneantur, juxta quam *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*, etiam ægrota, dum ejus ſalutem promovere poſſunt.

Quær. 2. Quibus facienda ſit correptio?

℟. Omnes, etiam Superiores, mortaliter, quandoque venialiter peccantes, tenemur corripere: quia præceptum Domini generale eſt, nec ulla in corripiente requiritur auctoritas; ſed charitas, ſecundum quam bonum ſpirituale Superioris magis quam inferioris diligere tenemur. Correptio tamen Superioris longe magis humilis ac benigna eſſe debet, & prudentiores cautiones in hac facienda ſunt adhibendæ. Dixi in reſponſione, quandoque corripiendos eſſe, qui venialiter peccant. Quædam enim ſunt peccata venialia ita periculoſa,

ſa, ut facillime ad graviora protrahant; ideo, cum per ea ſalus proximi in gravi verſatur periculo, medicinam, ſi eam profuturam ſperamus, adhibere tenemur.

Quær. 4. Quandonam obliget fraternæ correptionis præceptum?

R. Fraternæ correptionis præceptum, cum affirmativum ſit, non obligat pro ſemper, ſed debitis circumſtantiis, quarum prima eſt, dum moraliter certo nobis conſtat de peccato proximi; nullus ſiquidem privatus nec tenetur, nec debet fratrum ſuorum vitam explorare, juxta illud Prov. 24. *Ne quæras impietatem in domo proximi, & non vaſtes requiem ejus.* Secunda circumſtantia eſt, quod ſpes adſit probabilis futuræ emendationis, quia cum noniſi ad emendationem fiat correptio, ejus ſpe ceſſante, ceſſat obligatio, niſi tamen quis ex officii ſui debito obſtinatos corripere ac punire in exemplum aliorum teneatur. Immo ſi dubium ſit, utrum potius nocitura ſit quam profutura correptio, ab ea abſtinendum eſt, & tempus opportunius, more Medicorum, eſt expectandum, niſi tamen graviſſima inſtaret proximi neceſſitas ſpiritualis, ſi nempe mors peccatori immineret, & nullus adeſſet qui ipſum corriperet. Tunc enim, etiam cum proprio vitæ periculo, corripere tenemur, ſi aliqualis ſpes adſit fratrem noſtrum lucrandi: quilibet enim tenetur magis animam proximi ſui, quam corpus proprium diligere. Dixi *graviſſima neceſſitas*; nam extra eam propriæ vitæ periculo privati ſe committere non tenentur; cum alia via quam correptione, inſpirationibus ſcilicet divinis peccatores poſſint emendari.

Quær. 4. Quis modus, & ordo ſervandus in facienda correptione?

R. Quoad modum, correptio fraterna exerceri debet cum humilitate, charitate & manſuetudine,

juxta illud Apoſt. ad Gal. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris.* Quia Chriſti Domini fuit intentio, ut fratri noſtro peccanti ſuaviori modo, quo poſſumus, occurreremus. Unde ſi correptionem ſuavem inutilem fore prudenter cenſeamus, paulo duriorem adhibere tenemur. Quod maxime locum habet in Superioribus, ne incurrant in peccatum Heli, qui Filios ſuos benignius, quam eorum exigebat neceſſitas, corripiens, divinam expertus eſt indignationem.

Quoad ordinem ſub gravi culpa ſervandus eſt Evangelicus. 1. Secreto corripiendus eſt proximus; quia famæ ipſius conſulere ex charitate tenemur, juxta illud Evangelii: *Corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* 2. Si id non proficiat, unus vel duo teſtes ſunt adhibendi. 3. Si nec eos audierit, dicendum eſt Eccleſiæ, id eſt Superiori, ſi non tamquam judici ad punitionem, ſaltem tamquam Patri ad emendationem.

Quatuor tamen caſus excipiuntur, in quibus ordo ille prætermitti poteſt ac debet. 1. Dum peccata ſunt publica, proindeque publice, *ut ceteri timorem habeant*, corripienda. 2. Dum peccata, licet occulta, in aliorum ſive corporale ſive ſpirituale nocumentum vergunt; ut proditio, conſpiratio, hæreſis, & apud Religioſos carnale peccatum, quod non ex fragilitate, & ultro ſe offerente occaſione, ſed ex malitia perpetratum eſt. In his quippe ac ſimilibus peccatis periculoſa eſt admonitio ſecreta; quia timor eſt, ne admoniti potius cogitent crimen occultare, quam emendare. 3. Generaliter in omnibus peccatis, ubi prudenter judicatur non profuturam privatam monitionem. 4. Dum evidenter conſtat correptionem utiliorem fore, ſi ab ipſo Superiore paterne exercea-

ceatur, & ipſum pietate, prudentia ac charitate ſufficienti præditum eſſe, ut peccantem ad meliorem frugem efficacius reducat.

§. 3. *De corporali eleemoſyna.*

Not. DE eroganda eleemoſyna præceptum adeo in Scripturis ſacris & SS. Patribus eſt inculcatum, ut ejus exiſtentiam hic probare omnino videatur ſuperfluum. Sufficiat igitur breviter inquirere, a quibus, & quibus eroganda ſit eleemoſyna.

Quær. 1. Quinam poſſint ac debeant eleemoſynam erogare?

R. Eos ſolummodo, qui liberam bonorum ſuorum obtinent adminiſtrationem, quia per eleemoſynæ largitionem bona vere alienantur in favorem pauperum; fiuntque ipſis propria. Atqui tantum ſupradicta bona legitime alienari poſſunt. Ergo. Hinc

Reſolv. 1. Nec ſervos, nec ancillas ex bonis Dominorum ſuorum dare poſſe eleemoſynas, abſque eorum conſenſu probabili, & interpretativo; niſi forte quid modicum de portione ad vitam ſibi aſſignata detrahant.

Reſolv. 2. Filiosfamilias poſſe quidem eleemoſynam erogare ex bonis Caſtrenſibus aut quaſi Caſtrenſibus, etiam Patre invito; non autem ex Adventitiis, multo minus ex Profectitiis; cum de illis proprietatem, & adminiſtrationem habeant, non autem de iſtis. Pari ratione Uxor eleemoſynam dare poteſt de bonis ſuis Paraphernalibus, in ſuos uſus præter dotem acceptis, non autem de Dotalibus & communibus, reluctante marito.

Reſolv. 3. Religioſos, quibus bonorum Monaſterii adminiſtratio non fuit concredita, eleemoſynam erogare non poſſe abſque conſenſu, ſaltem tacito, Superioris, etiam de bonis quæ ad ſuam

ſuſtentationem ſunt aſſignatæ; quia nullum in illa dominium, & uſum, independenter a Superiore, habere poſſunt.

Reſolv. 4. Ex injuſte acquiſitis furto vel rapina, eleemoſynam fieri non poſſe, cum nullum tunc acquiratur dominium. Meretrix tamen, quæ meretricii pretium accepit, illud recte in eleemoſynas impendere poteſt; quia licet ipſum acquirendo peccaverit, voluntate dantis factum eſt ſuum.

Quær. 2. De quibus bonis eroganda ſit eleemoſyna?

℟. Ex ſuperfluis juxta Chriſti Domini præceptum: *Quod ſupereſt date eleemoſynam*. Unde Auguſt. in Pſalm. 147. ait: *Superflua divitum neceſſaria ſunt pauperum: Res alienæ poſſidentur, cum ſuperflua poſſidentur*. Et D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 7. *Res, quas aliqui ſuperabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum ſuſtentationi*, & q. 87. art. 1. ad 4. *Dominus non ſolum decimam partem, ſed omnia ſuperflua pauperibus jubet exhiberi*. Circa quod notandum eſt, quod ſicut duplex eſt neceſſarium, vitæ ſcilicet, & ſtatus; ita duplex aſſignatur ſuperfluum. Neceſſarium vitæ eſt id, ſine quo non poteſt quis propriam aut familiæ ſuæ vitam conſervare; ſuperfluum vero eſt id, ſine quo eamdem conſervare poteſt. Item neceſſarium ſtatus eſt id, ſine quo non poteſt quis & ejus familia ſecundum conditionem ſuam convenienter vivere: ſuperfluum vero eſt id, ſine quo ſic vivere poteſt. Porro hujus tum neceſſarii tum ſuperflui, diverſi ſunt gradus. Plura ſiquidem ſunt neceſſaria vitæ & ſtatus commodæ ſuſtentationi, quæ ſuperflua ſunt, valde moderatæ, ut patet. Hinc

Quær. 3. Quibus & quando teneantur divites pauperibus eleemoſynam erogare?

℟. 1. Omnibus pauperibus neceſſitate laborantibus

tibus juxta illud Tobiæ 4. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.* Nec enim ulla eſt ratio, cur unus præ alio excludatur. Triplex autem eſt neceſſitas, qua pauperes laborare poſſint: Extrema, in qua vita pauperis periclitatur, niſi ei ſubveniatur: Gravis, in qua in vita ſuſtentanda notabiliter patitur, vel urget periculum alicujus morbi, aut notabilis incommodi, morte minoris, incurrendi; ut ſi vir nobilis, ſine mendicatione aut graviſſimo labore mechanico vitam ſuſtentare non poſſet, Communis, in qua pauperes ordinarii victitant quidem, ſed non abſque difficultate. Quo poſito,

Pr. 2. Pauperibus extremam neceſſitatem patientibus ex vitæ ſuperfluis, licet ſtatui neceſſariis, ſubvenire tenemur; quia recta ratio ſuggerit vitam proximi decentiæ noſtri ſtatus eſſe præferendam, dum non adeſt periculum proximum ſimilem incurrendi neceſſitatem. Nec præcepto ſatisfaceret, qui tunc pauperi aliquid poſthac reddendum mutuo præſtaret: non ſolum enim a Chriſto Domino gratuita mutuatio, ſed propria eleemoſyna præcipitur. Excipe tamen, ſi proximus ſpem haberet proximam certam neceſſitatibus ſubveniendi; aut ſi tunc indigeret re uſu non conſumptibili, ut equo ad fugam, lecto ad infirmitatem, &c.

Pr. 3. Pauperibus gravem neceſſitatem patientibus ex vitæ ſuperfluis, licet ſtatui neceſſariis, ſubvenire etiam tenemur, non ſolum ex neceſſariis ad ſtatus decentiam, ſed & ad vitæ commoditatem; ita ut dives teneatur moderate ac parce vivere, ut his gravibus neceſſitatibus ſubvenire poſſit. Ratio D. Thomæ eſt, quia ordinata charitas expoſcit ut grave damnum proximi cum aliquo noſtro minori amoveamus; excipe tamen, ut dictum eſt, ſi periculum adeſſet ſimilem neceſſitatem incurrendi.

Pr. 4. Pauperibus, etiam communem tantum

neceſſitatem patientibus, ex ſuperfluis ſtatus & conditionis ſubvenire tenemur. Præcipit enim Apoſt. I. Tim. 6. *Divitibus hujus ſæculi, ut facile retribuant*; & Chriſtus Dominus flammis addicit æternis, qui eſurientes non paſcunt, ſitientes non potant, nudos non veſtiunt, &c. minime diſtinguendo inter extremam, gravem, & communem neceſſitatem; modo ipſa ſit realis ac vera. Adde quod vanum eſſet ordinarie eleemoſynæ præceptum, ſi in communi non vigeret neceſſitate; & ſi pauperibus hac neceſſitate laborantibus nullus ſubveniret, in gravem, immo & extremam ſæpius prolaberentur. Hinc

Reſolv. Eos lethalis culpæ eſſe reos 1. Qui pecunias, ad ſtatus honeſtam decentiam, vel ad incommoda præcavenda non neceſſarias, ſine fine congerunt. 2. Qui in veſtium pompam, ædium magnificentiam, canum & equorum multitudinem, &c. ſuperflua ſua, quæ ſunt pauperum, abſumunt ac devorant. 3. Qui ſcienter ſuperflua ſua per putrefactionem notabiliter conſumi potius permittunt, quam in pios uſus impendant. 4. Qui tempore publicæ & gravis neceſſitatis frumentum, vinum & oleum recondunt, ut carius vendant.

Petes 1. Utrum ex divitiis juſte comparatis, ad ſtatum altiorem fieri poſſit aſcenſus?

R. Ad hunc ſtatum obtinendum nonnulla ſervari poſſe, ſicut reſervantur pro educandis ac collocandis liberis vel probabilibus incommodis præcavendis, ſub his tamen ſubſequentibus conditionibus. 1. Modo quis altiori ſtatu dignus ſit, ac ſincera procedat intentione, nec ad eum acquirendum inordinata moveatur cupiditate, & ambitione. 2. Modo aſcenſus iſte non ſit incertus, ſed probabiliter certus. 3. Modo pauperes, etiamſi communem dumtaxat neceſſitatem patientes omnino non deſerantur. Alias nullus ex ſuperfluis pauperibus ſubvenire teneretur; cum nullus ſit,

qui

qui major ac ſpectabilior quam ſit, aut fuerint ejus Progenitores, evadere non exoptet.

Petes 2. Utrum teneantur divites pauperum neceſſitates inquirere, ut ipſis ſubveniant?

℟. Ad id quidem Beneficiarios teneri, cum ex juſtitia ſuperflua ſua pauperibus impendere debeant; non autem ſimplices Laici, qui ordinarie eleemoſynæ præcepto ſatisfaciunt, ſi pauperum occurrentibus neceſſitatibus ſubveniant.

Ceterum hæc dicta ſunt de veris pauperibus, non de pauperibus fictis, aut vagabundis plurimis, qui corpore valentes, laborare detrectant, damnabili otio torpent & quaſi putreſcunt. Hi ſiquidem ad eleemoſynas verum jus habere non poſſunt, & ad eas reſtituendas, ſi acceperint, ex juſtitia tenentur; cum nonniſi veris pauperibus eleemoſynas elargiens donare intendat.

QUÆSTIO V.

Quæ ſint vitia Charitati oppoſita.

Licet peccata omnia dici poſſint charitati oppoſita, quatenus ejus habitum vel actum excludunt; plurima tamen ſunt quæ capitalius magiſque directe ipſi opponuntur quam cetera; quia formaliter contra ejus actus & officia pugnant: Sic contra amorem Dei & proximi pugnat Odium utriuſque; contra ſubjectionem Deo ac regulæ ejus debitam pugnat Superbia; contra gaudium de bono Dei & proximi pugnant Acedia & Invidia; contra beneficentiam pugnat Avaritia; contra pacem pugnant Ira, Schiſma, Bellum; contra correctionem fraternam pugnat Scandalum. Quæ omnia paucis perſtringemus, ſequentibus articulis.

ARTICULUS I.

De odio Dei & Proximi.

Not. ODium in genere eſt *voluntatis averſio ab aliquo apprehenſo ut malo*. Aliud eſt abominationis, amori concupiſcentiæ oppoſitum; eſtque averſio ab aliquo ut nobis malo: aliud inimicitiæ, amori benevolentiæ contrarium; & eſt actus voluntatis quo alteri malum volumus, ut ei malum ſit. Deinde aliud eſt odium formale & explicitum, quo actu formali & expreſſo Deo aut proximo malum volumus, dum quis in Deum aut proximum indignabundus, ipſum non eſſe, vel beatum non eſſe deſiderat: aliud eſt implicitum ſeu interpretativum, quo aliquid agitur, quod averſionem a Deo aut proximo neceſſario importat: ſic omne peccatum dicitur a Divo Thoma odium Dei.

Quær. 1. Quale peccatum ſit odium formale Dei & proximi?

R. Formale odium Dei omnium eſt peccatorum graviſſimum, nec ob materiæ levitatem a mortali excuſari poteſt; quilibet enim actus odii Dei deliberatus, licet remiſſus, directiſſime contra bonitatem divinam pugnat. Odium autem proximi inter omnes affectus malos contra proximum graviſſimus eſt, nec ullo prætextu excuſabilis: unde jure merito ab Innoc. XI. damnatæ ſunt ſequentes propoſitiones. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, licet non ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis*. Prop. 14. *Licitum eſt Filio gaudere de parricidio Parentis a ſe in ebrietate commiſſo propter ingentes divitias, inde ex hæreditate conſecutas*. Prop. 15. Certum eſt tamen odium proximi veniale fieri ex levitate materiæ; dum quis v. gr. proximo exoptat leviſſimum malum.

lum. Ubi tamen obſervandum eſt, leve de ſe malum, ob adjunctas circumſtantias, & graviter malum odientis affectum, poſſe fieri grave, proindeque grave peccatum.

Quær. 2. Utrum peccata odii contra proximum ejuſdem ſint ſpeciei?

R. Nequaquam. Injuria ſiquidem proximum afficere in vita, fama & fortuna, peccata ſunt ſpecie diverſa. Ergo & deſiderium illum his injuriis afficiendi. Non ſufficit igitur generaliter in Confeſſione declarare, ſe malum proximo exoptaſſe, ſed quantitas & qualitas mali neceſſario eſt aperienda, & quanto tempore duraverit inimicitia, & quoties fuerit renovata.

ARTICULUS II.

De Superbia.

Not. SUperbia eſt *appetitus inordinatus propriæ excellentiæ*. Dicitur *appetitus*, amor ſcilicet, complacentia, ſeu deſiderium. Dicitur *inordinatus*, ex duplici capite; humilitatis ſcilicet, in quantum quis aliis ſubjici refugit; & magnanimitatis, in quantum præſumptuoſe res magnas appetit; & utrumque contra regulam a Deo ſtatutam. Nam ſi quis propriam excellentiam, perfectionem, eminentiam, laudem & famam in Deo & propter Deum appeteret, virtus eſſet magnanimitatis, non ſuperbiæ vitium. Dicitur *propriæ excellentiæ*, non alienæ: unde ſi Pater contra Dei regulam excellentiam filii, abſque reſpectu ad ſe ipſum, expeteret, non eſſet proprie ſuperbia, ſed quoddam aliud vitium.

Quær. 1. Superbia quale ſit peccatum?

R. Superbia, inquit D. Thom. 2. 2. q. 162. art. 5. qua homo aliqualiter non ſubjicitur Deo & regulæ ipſius, peccatum eſt mortale ſecundum

genus ſuum; quia per hanc homo avertitur a Deo, & ab ipſo apoſtatat. Attamen, inquit S. Doctor, ſicut in aliis peccatis, quæ ſunt ex genere ſuo mortalia, ſunt aliqui motus, qui ſunt venialia, propter eorum imperfectionem; ita etiam & circa ſuperbiam accidit.

Quær. 2. Quot filiæ ſuperbiæ?

R. Duodecim recenſeri poſſunt: Vana gloria, Jactantia, Ambitio, Præſumptio, Inobedientia, Contemptus aliorum, Hypocriſis, Novitatum inventio, Pertinacia, Contentio, Curioſitas, Ingratitudo.

Vana gloria, quæ laudis humanæ appetitus eſt inordinatus, peccatum veniale ordinarie non excedit; niſi forte quis gloriaretur bonum quod habet, a ſe ipſo habere, aut ſuis meritis obtinuiſſe, vel gloriaretur de gravi peccato, vel ſi gloriando de bono, quod non habet, gravem Superioribus injuriam, & proximo grave nocumentum inferret.

Jactantia, quæ eſt inanis, & ſtulta propriæ excellentiæ prædicatio, ſecundum ſe mortalis non eſt, niſi charitati Dei & proximi ſit contraria; ut mox de vana gloria dictum eſt.

Ambitio, quæ eſt bonorum ac dignitatum inordinatus appetitus, mortalis eſt, dum modus, & finis appetentis ſunt graviter mali; dum res appetita appetentis capacitatem ſuperat; dum tandem dignitas obtinetur, vel obtinere deſideramus, cum nocumento tertii.

Præſumptio, quæ eſt inordinatus appetitus tentandi id quod vires noſtras ſuperat, tantum venialis eſt, dum nullum imminet periculum Deo injuriam, aut proximo, vel ſibi ipſi grave damnum inferendi; alias eſſet mortalis.

Inobedientia, qua quis Superiorum mandatis ſubeſſe detrectat, ſi formalis ſit, peccatum eſt ex genere ſuo mortale, nullam admittens parvitatem

tem materiæ; cujus culpam aggravat maxime rebellio, pessimum superbiæ genus.

Contemptus aliorum, quo quis cum Pharisæo dicit: *Non sum sicut ceteri hominum*; mortalis est, dum inde proximus gravem patitur injuriam.

Hypocrisis, quæ est simulatio virtutis aut bonitatis, quam quis non habet, non est mortalis, si id simulet vel ne alios scandalizet, vel ut aliis bonum præbeat exemplum: bene quidem, dum simulantis intentio, charitati, cultui divino, ac justitiæ graviter repugnat, verb.gr. Si quis bonum se simulet, ut ad dignitates, quibus indignus est, promoveatur, ut eleemosynas pauperibus debitas ad se attrahat, ut proximum decipiat, &c.

Novitatum inventio, quæ est propriæ excellentiæ manifestatio, per aliquid novi admirationem ingerentis, sæpe mortalis est ob finem malum, proximi damnum, & Dei irreverentiam.

Pertinacia, qua quis melius intelligenti cedere nolens, proprio judicio nimis adhæret, peccatum erit mortale si cadat in Dei injuriam, Superiorum contemptum, aut grave proximi damnum.

Contentio, quæ est inordinata verborum contrarietas circa verum, ad quam reducitur *discordia*, quæ est voluntatum dissentio circa bonum in his rebus, in quibus ex charitate convenire, & consentire tenemur. Utraque quandoque venialis, quandoque mortalis est, juxta gravitatem materiæ, vel juxta grave, vel leve malum, quod causant.

Curiositas, quæ est inordinatus appetitus sciendi, quod proprium statum vel professionem excedit; mortalis est ex circumstantia, dum ver. gr. peccandi periculo per hanc quis se committit.

Ingratitudo, qua quis beneficium acceptum, dum vel ratio, vel necessitas postulat, reddere detrectat, mortalis est, dum gravis est ingratitudo, utpote gravis injustitia.

ARTICULUS III.

De Acedia.

Not. ACedia eſt *tædium voluntarium ac deliberatum de bono ſpirituali ad nos pertinenti*. Dicitur *tædium*, ſeu torpor animi ſpiritualia perficere faſtidientis. Dicitur *voluntarium ac deliberatum*, ut diſtinguatur a tædio ſæpe contra voluntatem in animabus etiam piiſſimis, vel ex naturali complexione, vel ex diaboli tentatione excitatum, vel ab ipſomet Deo permiſſum; cui ſi viriliter obſiſtamus, faciet cum tentatione proventum. Dicitur *de bono ſpirituali ad nos pertinenti*: quia ſi quis triſtetur de bonis divinis, ut Dei ſunt, ver. gr. de ſanctificatione ejus nominis, non erit Acedia, ſed Odium.

Quæſt. 1. An Acedia peccatum ſit, & quale?

R. Acediam ex genere ſuo mortalem eſſe, juxta illud Apoſt. 2. Cor. 7. *Triſtitia ſæculi mortem operatur*; & ratio eſt, quia per illam deſpiciuntur Dei amicitia & æterna beatitudo, cum reputentur indigna quæ comparentur difficili virtutum exercitio; ſicut ille principem cenſeretur deſpicere, qui triſtaretur ſe a ſcurrarum detrahi conſortio, ut ad regiam familiaritatem, & gratiam provehi poſſet.

Quæſt. 2. Quæ ſint filiæ acediæ?

R. Sex vulgo recenſeri. *Malitia*, qua res ſpirituales, averſantes, Dei dona formaliter contemnimus; ut qui vellet numquam Chriſtum noviſſe, Sacramenta non fuiſſe inſtituta, aut cœleſtem mercedem non eſſe. Hæc ſemper mortalis eſt, niſi excuſet indeliberatio. *Rancor*, quæ eſt quædam in-

indignatio in eos, qui ad divina ſpiritualia nos hortantur, aut inducere volunt; quæ levis eſt, ſi levis ſit indignatio; mortalis, ſi gravis ſit, & conjuncta cum odio. *Puſillanimitas*, quæ mentis eſt dejectio, qua quis formidat aggredi quæ ad ſalutem ſpectant, mortalis eſt, ſi quis propter hanc media ad ſalutem neceſſaria negligat: venialis, ſi tantum ad ipſam remote conducentia. *Deſperatio*, qua quis beatitudinis aſſecutionem ſibi impoſſibilem exiſtimans de ea obtinenda diffidit, eſt peccatum de ſe graviſſimum. *Torpor*, quæ eſt languor voluntatis circa bonum agendum; mortalis eſt, vel venialis, prout præcepta vel nullatenus, vel tarde, vel frigide adimplentur. *Evagatio mentis*, quæ ſeſe ad diverſa diffundit, de ſe quidem levis eſt, ſed mortalis, ſi fiat eo tempore quo ex præcepto requiritur mentis attentio.

ARTICULUS IV.

De Invidia.

Mot. INvidia *eſt triſtitia de bono alieno, quatenus proprii boni, gloriæ aut excellentiæ noſtræ diminutivo.* Dicitur *triſtitia*; quia licet invidia circa bonum verſetur, apprehenditur tamen ut malum proprium invidentis, quatenus excellentiam ſuam inde minui cenſet. Dicitur *de bono alieno*, quia ſi quis de bono proprio, ut malo apprehenſo, triſtetur, invidia non eſt, ſed acedia. Dicitur, *quatenus boni proprii diminutivo*; quia ſi triſtitia ob aliud motivum excitetur, non erit invidia, ſed vel odium, vel æmulatio, vel indignatio, vel zelus. Unde 1. Qui triſtatur de bono Proximi, quia is ſibi diplicet, eſt odium, non invidia. 1. Qui triſtatur de bono temporali Proximi, non quia illud habet, ſed quia ipſemet

illo

illo caret, bonum hujuſmodi ſibi cupiens abſq alterius præjudicio, non eſt invidia, ſed æmu tio, & quidem ſancta, dum de bono ſpiritu agitur. 3. Qui triſtatur de bonis Prodigi ea di pidantis, aut Avari ea recondentis, juſta eſt i dignatio, non invidia. 4. Qui triſtatur quod p catores bonis abundent temporalibus, eſt ze inordinatus; cum omnia divinæ Providentiæ cretis, quæ adorare debemus, eveniant.

Quær. 1. Invidia quale ſit peccatum?

R. Peccatum eſſe ex genere ſuo mortale, Apoſtolo enumerante invidiam Gal. 5. inter op carnis a Regno Dei excludentia. Invidia ſiquid opponitur Charitati, cujus proprium eſt de pro mi bono gaudere; peccatum autem Charitati poſitum ex genere ſuo mortale eſt, inquit Thomas. Ergo, &c.

Quær. 2. Quot ſint filiæ invidiæ?

R. Sex numerantur. *Odium proximi*, cui in demus. *Gaudium* de malis, & *afflictio* de bo ejusdem. *Judicium temerarium*, quo de ipſo ſque fundamento perverſe judicamus. *Contumeli* qua in ipſum injurioſe nos extollimus. *Detracti* qua famæ ejus detrahimus. *Suſurratio*, qua ali rum amicitiam ipſi auferre curamus, ad cujus ſtitutionem tenetur Suſurrans, ſine qua aut ipſ propoſito non eſt abſolvendus.

ARTICULUS V.

De Avaritia.

Not. AVaritia eſt *amor divitiarum inordina* Dicitur *amor*, vel proſecutionis, ſuperfluas divitias comparare deſideramus; complacentiæ, quo in ipſis nos delectando eas conſervare nitimur. Dicitur *divitiarum*, per qu intelliguntur aurum, argentum, agri, domus omnes

omnes mobilium, vel immobilium poſſeſſiones. Dicitur *inordinatus*, ſive reſpectu objecti, dum aliena concupiſcimus, ſive reſpectu finis, dum ad malum finem his uti volumus, ſive reſpectu exceſſus, dum nimias divitias, quibus cor apponimus, cumulamus. Qui enim moderatas appetit divitias ad vitam honeſte tranſigendam, prolem educandam, &c. juſte ecquirendas, is avarus non eſt, ſed providus.

Quær. 1. Quale ſit peccatum avaritia?

R. Mortale; aut veniale eſſe, ſecundum virtutes, contra quas pugnat. Dum charitati & juſtitiæ opponitur, mortalis eſt ex genere ſuo; dum nempe per eam violatur eleemosynæ præceptum, aut indebite aliena deſiderantur, rapiuntur, aut retinentur. Quod ſi vero contra ſolam liberalitatem pugnet avaritia, ita ut quis facile bona ſua non largiatur ob nimium divitiarum, quo tenetur, affectum, erit tantum venialis, cum potius illiberalitas quam proprie dicta avaritia eſſe cenſeatur; modo tamen dives divitiis ſuis ita cor non apponat, ut eas amori divino præferat, & probabili periculo ipſum offendendi, nimio divitiarum affectu, ut ſæpe fit, ſe ſe exponat. *Qui* enim *volunt divites fieri, incidunt in tentationes & in laqueum diaboli; & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.*

Quær. 2. Quot ſint filiæ avaritiæ?

R. Sex recenſentur: *Obduratio* cordis, ſeu immiſericordia. *Inquietudo* mentis, qua a debitis retrahimur officiis: *Violentia* proximo illata: *Fallacia* in verbis aut factis ad proximum decipiendum. *Proditio*, ſeu contra fidem datam & debitam deceptio: *Perjurium*, dum juramentum falſum teſtatur.

Quær. 3. Quid ſit prodigalitas, & quale peccatum?

R. Pro-

R. Prodigalitas, quæ est inordinata bonorum effusio, ex genere suo venialis est; utpote quæ ductum rationis non sequatur, sed passionis. Ab extrinseco tamen fieri potest mortalis, si nempe prodigus bona ad familiam sustentandam aut debita solvenda necessaria dilapidet, vel si id faciat cum aliorum scandalo, aut gravi detrimento, &c.

ARTICULUS VI.

De Ira.

Not. IRA est *inordinatus vindictæ appetitus*. Dicitur *inordinatus*, quod ex duplici capite contingere potest. 1. Ex parte modi irascendi, si nempe motus iræ nimium vel interius, vel exterius exferveſcant. 2. Ex parte objecti, si injusta appetatur vindicta, vel si justa sit, appetatur injuste cum animi malevolentia aut auctoritate propria sumenda, aut ultra quam delinquens meruit. Unde dum ira nec modum excedit, nec in objecto deficit, & ad finem honestum tendit, conservationem scilicet justitiæ, aut correctionem culpæ; vitium non est, sed virtus, juxta illud Psalmistæ: *Irascimini, & nolite peccare*. Dicitur *vindictæ*, aut quasi vindictæ: nec enim ad iram necesse est ut vindicta feratur in eum, a quo quis se læsum putat, immo nec in personam rationalem; quia quilibet vere potest inordinate irasci in res inanimatas, ut scriptor in calamum non idoneum, aut viator in offendiculum.

Quær. 1. Ira quale sit peccatum?

R. Iram inordinatam, ex parte objecti, peccatum esse mortale ex genere suo: ex parte autem modi, ordinarie veniale tantum. Ratio est; quia ita ex parte objecti, charitati aut justitiæ ex adverso pugnat, ut patet; non vero ex parte modi, cum homo per solam motionis exferveſcentiam

nec

nec nocere intendat, nec de facto noceat, niſi ſibimet. Quod ſi tamen graviter ſibi noceret, ut ſi quis, etiam ſecluſo gravis vindictæ appetitu, in enormes geſtus, voces horrendas, ſpumas, membrorum contorſiones deliberate erumperet, graviter haud dubie peccaret; utpote qui naturam rationalem & Dei imaginem graviter deturparet.

Quær. 2. Quot ſint iræ filiæ?

Re. Sex numerantur. *Indignatio*, qua quis ob injuriam ſibi factam alterum reputat indignum, cui exhibeat officia charitatis communia. *Tumor mentis*, id eſt æſtus quidam excandeſcentis animi, diverſa media ad ſe vindicandum excogitantis. *Clamor*, ſeu inordinata atque confuſa vocum effuſio. *Contumelia*, quæ eſt honoris proximi, verbis injurioſis, ipſo præſente, læſio. *Blaſphemia*, injurioſa ſcilicet contra Deum vel Sanctos ejus, locutio, *Rixa* tandem, per quam intelliguntur nocumenta quæ facto proximis inferuntur. Quæ omnia venialia aut mortalia cenſentur, prout magis vel minus graviter juſtitiam vel charitatem offendunt.

ARTICULUS VII.

De Bello.

Nat. LAtum eſſe diſcrimen inter bellum, duellum, rixam & ſeditionem. Bellum ſiquidem definitur: *Conflictus actualis multorum contra multos extraneos, vi & armis ſibi invicem nocere conantibus.* Dicitur *conflictus actualis*, ut diſtinguatur a bello habituali, ſeu profeſſione militari. Dicitur *multorum contra multos*, ut diſtinguatur a Duello, quod eſt certamen periculoſum unius contra alterum ex condicto initum, deſignato tempore & loco; ſicut & a *rixa*, quæ eſt certamen paucorum contra paucos. Dicitur *extraneos*, ut diſtinguatur a ſeditione, quæ fit inter ho-

homines ejusdem communitatis aut Regni, invito Principe. Dicitur *vi & armis*; ut distinguatur a pugnis, quæ fiunt armis ad occidendum aut lædendum ineptis, pugnis nimirum, levi baculo crinium avulsione; quæ licet ut plurimum gravia sint peccata, non sunt proprie Bella nec Duella. Porro bellum aliud est defensivum, quo vim & injuriam vi illatam propulsamus; aliud offensivum quo hostem aggredimur compensationis obtinendæ aut injuriæ vindicandæ gratia.

Quær. 1. Utrum licitum sit Bellum, tum defensivum, tum offensivum?

R. Affirmative, modo adsint nonnullæ conditiones. Probatur ex Veteri Testamento; ubi videmus Deum sæpius jussisse bellum geri: immo & auxilium juste bellantibus promisisse ac præbuisse. Ratio est de bello offensivo, quia quandoque expedit, aut læsionis compensationem obtinere, aut injuriæ vindictam sumere; quæ utique inter eos, qui nullum Superiorem agnoscunt, obtineri nequeunt nisi bellando; dum lædens parti læsæ satisfacere renuit. Quoad bellum defensivum evidens est, jure naturæ licitum esse vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ubi obiter observandum est, in bello defensivo non extare obligationem moderamen servandi inculpatæ tutelæ, ut in privata defensione, sed aggressum etiam vindicare posse injuriam ab aggressore injuste factam.

Quær. 2. Quæ sint conditiones ad belli justitiam requisitæ?

R. Ad bellum offensivum quatuor requiruntur conditiones: dixi *ad bellum offensivum*, nam pro bello defensivo sufficit periculum & necessitas.

1. Conditio est auctoritas Principis vel Magistratus, Superiorem non agnoscentis; quia dum aliquis Superiorem habet, ad quem recurrat, non potest propria auctoritate sese vindicare, alterum aggrediendo, percutiendo, occidendo.

2. Con-

2. Conditio est justa causa, gravis scilicet injuria irrogata sive Principi, sive subditis, sive Confœderatis, immo & extraneis innocentibus; ut si Infideles Evangelii prædicationem impediant, damnum innocentibus inferant, & fidem contumeliis, aut blasphemiis afficiant.

3. Conditio est recta intentio; ita ut bellum fiat non ex odio, sed justitiæ zelo, non nocendi cupiditate, sed bono communi favendi voluntate; qua tamen deficiente intentione, licet graviter peccet militans, non tenetur tamen ad restitutionem, quemadmodum si deficerent aliæ conditiones.

4. Conditio est modus in bellando moderatus, quorum præcipuus est, quod numquam inchoetur bellum, nisi pars lædens de injuria, & damno monita satisfactionem competentem denegaverit. Cetera dicta sunt, dum de statu militum egimus.

Quær. 3. Utrum Duellum sit licitum auctoritate saltem publica; privata enim auctoritate illicitum esse satis patet?

R. Duellum fieri posse auctoritate publica, vel inter malefactores spectaculi gratia, vel ad detegendam innocentiam, vel ad litem finiendam, vel ad bellum atrox brevius terminandum. Primum non est licitum; quia Princeps malefactorum animas damnationi absque necessitate exponeret, cum fieri possit ut in conflictus successu pugnantes effectu vindictæ sese appetant. Nec secundum; quia innocens in conflictu succumbere potest. Nec tertium, tum ob supradictam rationem, tum quia multæ sunt aliæ viæ, quibus collitigantes pacificati possunt absque corporis, & animæ eorum periculo. In ultimo tamen casu duellum videtur licitum publica auctoritate ob grave inde oriens Reipublicæ emolumentum.

Observa in fine Tomi hujus. (N. I.)

A R-

ARTICULUS VIII.

De Schiſmate.

Not. SChiſmatis nomine generaliter ſumpti intelligitur *mentium, & cordium injuſta diviſio*. Proprie autem ſumptum definitur: *Rebellis diviſio ab unitate Eccleſiæ*. Dicitur *diviſio*, qua quis vel debitam Supremis Paſtoribus, maxime Summo Pontifici, obedientiam præſtare, aut membris Eccleſiæ eidem ſubjectis communicare renuit; ſic enim ſcinditur unitas Eccleſiæ. Dicitur *rebellis*; quia, licet illa unitas per quamlibet inobedientiam lædatur, abſolute tamen non ſolvitur, niſi inobedientiæ ſuperaddatur rebellio, & contumacia. Unde licet omnis ſchiſmaticus ſit inobediens, omnis tamen inobediens non eſt ſchiſmaticus.

Quær. Schiſma quale ſit peccatum?

R. Cum D. Thom. peccatum Schiſmatis eſſe maximum, quod adverſus charitatem proximi committi poteſt; quia ſpirituali bono multitudinis adverſatur. Infidelitas tamen de ſe gravior eſt, quia, inquit Div. Thom. infidelitas eſt peccatum contra ipſum Deum, ſecundtm quod eſt prima veritas: ſchiſma vero eſt contra Eccleſiaſticam unitatem, quod eſt quoddam bonum participatum, & minus quam ſit ipſe Deus. Attamen contingere poteſt, quod aliquis Schiſmaticus gravius peccet quam quidam Infidelis, vel propter majorem contemptum, vel propter majus periculum quod inducit, vel propter aliquod hujuſmodi.

ARTICULUS IX.

De Scandalo.

Not. NOmine ſcandali intelligitur offendiculum, ſeu pedis offenſio ut lapis in via, ad quam viator incaute offendens prolabitur. Quod nomen ad mores translatum ſignificat: *Dictum vel factum minus rectum, præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis.* Dicitur *dictum vel factum*, per quod intelligitur etiam externa omiſſio, qui enim omittit agere cum deberet, Sacrum v.g. audire, aliis ſcandalo eſſe poteſt. Non poteſt autem eſſe ſcandalo per ſolam cogitationem: unde in definitione non additur, *vel concupitum*, ſicut in definitione peccati. Dicitur *minus rectum*; quia non eſt neceſſe ad rationem ſcandali, quod dictum, vel factum ſit de ſe peccatum; ſed ſufficit quod ſpeciem peccati præ ſe ferat, vel quod in agendo debita rectitudo & diſcretio non ſervetur: ut contingeret in Clerico, qui apud ſe puellam retineret, cum qua tamen caſtimoniam illibate ſervaret. Dicitur *præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis*; quia ad rationem ſcandali neceſſe non eſt ut ruina ſequatur, ſed ſufficit ut occaſio præbeatur.

Quær. 1. Quotuplex ſit ſcandalum?

R. Scandalum aliud eſt datum ſeu activum, cujus mox definitionem attulimus; aliud paſſivum ſeu acceptum, quod eſt effectus ſcandali activi; peccatum ſcilicet, cujus occaſio fuit ſcandalum datum. Deinde duplex eſt ſcandalum datum: directum ſcilicet, quo quis expreſſe, & formaliter proximum ad peccatum inducere intendit, pura fornicatione, &c. Indirectum, quo licet quis non intendat expreſſe proximum ad peccatum inducere, nonnulla dicit vel facit, ex quo prævidet aut prævidere debet alterum forte lapſurum. Demum

ſcan-

ſcandalum paſſivum ſubdivitur in ſcandalum puſillorum, quod ex proximi ignorantia, & infirmitate oritur; & in ſcandalum Phariſæorum, quod naſcitur ex malitia accipientis.

Quær. 2. Quando ſcandalum mortale ſit, & quando veniale?

R. Satis evidens eſt, ſcandalum directum eſſe peccatum mortale ex genere ſuo, & quidem graviſſimum; cum voluntas expreſſa proximum impellendi in peccatum malitia ſit prorſus diabolica. Item evidens eſt, ſcandalum. Indifferens eſt autem ad formalem peccati rationem, ut quis accepta, vel non accepta occaſione in peccatum prolabatur.

Quæſtio eſt igitur tantummodo de ſcandalo dato interpretative ſeu indirecte, de quo dicendum eſt peccatum eſſe ex genere ſuo mortale, a mala actione, quæ occaſionem ruinæ præbet, diſtinctum, proindeque in Confeſſione aperiendum. Ratio primi eſt; quia in quolibet genere peccati ſufficit voluntas interpretativa. Adde quod ſi hæc non ſufficeret in ſcandalo, vix aut numquam daretur ſcandalum; cum rariſſimum ſit homines malitia diabolica aliorum ruinam in agendo intendere. Sicque inaniter dixiſſet Chriſtus: *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala: verumtamen væ homini per quem ſcandalum venit*; & *Væ mundo a ſcandalis*. Ratio ſecundi eſt; quia hoc ſcandalum peccat contra ſpecialem virtutem, nempe charitatem, qua ſub gravi peccato tenemur proximi miſeriam tum corporalem tum ſpiritualem amovere; ideo in Confeſſione dicere non ſatis eſt, tale peccatum ſe commiſiſſe, ſed addendum eſt, peccatum illud alios ad peccatum induxiſſe aut inducere potuiſſe, & a nobis prævisum eſſe aut prævideri debuiſſe; immo & aperiendus eſt numerus eorum, quibus hæc actio ſcandalo fuit, aut eſſe potuit.

Dixi

Dixi, scandalum indirecte datum, peccatum esse ex genere suo mortale; ut indicarem aliquando esse veniale, vel ob materiæ levitatem, dum nempe occasio fuit venialis tantùm peccati; vel dum non adfuit sufficiens advertentia ruinæ futuræ proximi.

Quær. 3. Utrum scandalum permittì possit; & an ad illud vitandum ab aliqua actione teneamur abstinere?

R. Nullum scandalum, etiam Pharisaicum, permitti potest, & a nonnullis actionibus abstinere tenemur, ut illud vitemus, nisi excuset necessitas, aut notabilis utilitas, propria vel aliena. Ratio est; quia si juxta Theologos sub gravi peccato teneamur cum facile possumus, malum proximi corporale per eleemosynam, & spirituale per correptionem removere; ergo a fortiori tenemur cavere, ne illum per aliquam actionem in ruinam conjicianius spiritualem, cum pejus sit proximum ad malum protrahere, quam jam lapsum non erigere. Hinc

Resolv. Non licere absque necessitate & gravi causa mutuum ab usurario, juramentum a perjuro, Missam a malo Sacerdote petere; quia, cum id absque peccato non futurum prævideas, ejus peccato voluntarie cooperari censeris; si nulla adsit causa rationabilis, quæ te ad hoc ab ipso petendum auctorizet. Ex quo conclude quanto graviori peccato conscius sis, si absque gravi causa re excusante ab aliqua non abstineas actione, qua in peccatum pusilli protrahi possunt.

Quær. 4. Quænam requiratur causa ut quis excusetur a non omittenda actione, quæ alii scandalo esse potest?

R. Graviorem, vel leviorem requiri, juxta speciem aut gravitatem scandali. Gravior siquidem requiritur, ut permittatur scandalum pusillorum quam Pharisaicum, plurium quam paucorum,

rum, majus quam minus secuturum, certius quam incertius &c. Regulariter loquendo, propter scandalum Pharisaicum nec bonum temporale nobis notabiliter utile, nec leviſſimum quidem bonum ſpirituale eſt omittendum; niſi tamen inde fructus ſperaretur, juxta illud Matth. 15. *Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum.* Sed propter ſcandalum puſillorum utrumque debet prætermitti, & ſola gravis neceſſitas temporalis, graviſque utilitas ſpiritualis ab eo excuſari poteſt. Unde pietatis exercitia, ad ſalutem & perfectionem plurimum non conducentia, vel aliquoties prætermitti debent, vel occultari, vel ad tempus differri; quouſque reddita ratione & ſublata infirmi ignorantia, ceſſet hujuſmodi ſcandalum. Quod ſi vero reddita ratione non ceſſat, tunc ſcandalum ſit Phariſaicum, propter hoc non dimittenda ſunt exercitia ſpiritualia.

Quoad præceptum adimplendum, utrum prætermitti debeat propter puſillorum ſcandalum, diſtinguendum eſt; vel præceptum juris eſt naturæ, vel juris poſitivi, vel negativum, vel affirmativum. Si juris ſit naturæ & negativum, obligans ſemper & pro ſemper, nullatenus prætermitti debet propter quodlibet ſcandalum. Si ſit affirmativum, omnis juris præceptum, tum naturalis, tum poſitivi divini & humani non obligans pro ſemper, ſed ſolum poſitis omnibus circumſtantiis, aliquando prætermitti debet. Sic prætermittenda eſt fraterna correctio, ſi proximus ex ea futurus ſit deterior, ſic occultanda eſt veritas, quam alias Chriſtus ſuper tecta prædicari juſſit, ſi inde grave ſcandalum probabiliter timeatur: Dixi *aliquando*; ut annuerem aliquando præcepta poſitiva, etiam juris humani, non eſſe prætermittenda propter puſillorum ſcandalum: Sic puella ſciens aliquem erga ſe luxurioſe ſcandalizandum eſſe, debet quidem manere domi, & ab auditione Miſſæ abſti-

abstinere die feriali, sed non in die festo. Quæ omnia prudentis, docti, ac timorati viri judicio sunt pensanda.

Quær. 5. Utrum alterius peccato cooperari liceat subministrando materiam, vel exhibendo objectum &c.

R. Quatuor vulgo assignantur conditiones, quæ si adsint, alterius peccato cooperari licet. 1. Si opus ad peccatum cooperans de se sit bonum, vel saltem indifferens. 2. bona fiat intentione, non ut alter ad peccandum juvetur, sed propter rationabilem causam. 3. Si opus cooperans ad peccatum proxime non concurrat. 4. Si peccatum impedire cooperans non teneatur, jus habeat ad sic agendum ob rationabilem causam. Quæ causa in omni conditione eo gravior aut levior esse debet, quo peccatum, cui confertur occasio, gravius vel levius est, & quo certius est, te non cooperante, alterum non peccaturum. Hinc

Resolv. 1. Excusantur a peccato Artifices aut Mercatores, qui conficiunt aut vendunt res indifferentes, quibus quis bene uti potest, licet plurimi abutantur, v. g. aleas, fucos, gladios &c. nisi certo sciant aliquem in particulari his & similibus velle abuti. E contra ipsis venena vendere non licet; quia, cum nonnisi ad hominis occisionem serviant, simpliciter sunt mala: nisi tamen vendant iis quos his bene usuros probe norunt, vel ad medicinam, vel ad eorum confectionem.

Resolv. 2. Excusantur a peccato famuli, qui ratione famulatus sui nonnulla præstant obsequia Dominis suis ad lupanar euntibus, v. g. Equum sternunt, vestiunt, ostium aperiunt &c. quia remote tantum se habent ad Peccatum, & gravis ratio urget. E contra alteri, non Famulo, eadem præstare non liceret. Item eidem non liceret Hero suo alterum occisuro gladium præstare, furanti scalam applicare, meretricem in domum introducere,

cere, litteras amatorias ipsi deferre, quia hæc & similia ad peccatum proxime concurrunt.

Resolv. 3. Excusatur a peccato sponsa contrahens cum sponso, quem scit in mortali Sacramentum accipere. Item Sacerdos, qui Eucharistiam administrat peccatori occulto, si eam publice petat; quia sponsus jus habet ad contrahendum, peccator ad publice Eucharistiam petendam Sacerdoti; & quia nec sponsa, nec Sacerdos supradictorum peccatum tenentur impedire. E contra a peccato non excusaretur, qui Matrimonium iniret cum eo, quem scit votum castitatis emisisse; quia illicitus est hic contractus, & ad eum celebrandum nullum jus habetur.

Resolv. 4. Excusatur a peccato, qui ob grave & imminens periculum vinum ebriosis, aut carnes in Quadragesima comesturis subministrat, dum postulant; tum quia vinum & carnes de se sint indifferentes ad peccatum, & grave urget periculum. E contra a peccato non excusantur Patres familias, qui ut fidelitatem filiorum aut servorum suorum explorent, occasionem proximam eis exhibent furandi, fornicandi &c.

Resolv. 5. Excusantur a peccato, qui meretricibus locant domum suam, quæ in ea parte Civitatis sita est, ubi meretrices a Magistratu tolerantur; tunc enim jus habent ad locandum, & ipsis recusantibus locarent alii. E contra non excusantur, si meretrices ibi non tolerarentur, etiamsi alii adsint conductores; quia jus locationis deficit per supradictarum mulierum non tolerantiam.

CA-

CAPUT IV.

De Religione.

REligio tripliciter sumitur. 1. Ut professio cultus divini omnibus communis, qua quis Dei servitio mancipatur; sic dicitur Religio Christiana. 2. Ut status per tria vota solemnia paupertatis, obedientiæ & castitatis Deo specialiter deputatus, ut Religio Franciscana, aut Dominicana. 3. Prout est virtus de qua nunc nobis agendum incumbit.

Sic sumpta Religio definitur: *Virtus moralis inclinans ad debitum Cultum Deo, ut primo omnium principio, exhibendum.* Dicitur *virtus moralis*; quia Religio non est proprie virtus Theologica, sed prima inter morales; cum non immediate Deum, sed cultum ejus respiciat. Dicitur *inclinans ad Cultum Deo exhibendum*; id est ad ei exhibendum honorem cum submissione, in testimonium ipsius excellentiæ. Unde sanctos suos Deus honorare potest, eorum excellentiam manifestando, non autem eos colere; qui enim alium colit, necesse est ut eo qui colitur, se se inferiorem agnoscat. Dicitur *Cultum Deo debitum*; quia Cultus Deo exhibetur, remote quidem propter ejus excellentiam, proxime vero quia debitus est, unde objectum formale hujus virtutis, quæ ad justitiam pertinet, est ratio debiti; utpote motivum, propter quod Deo honorem exhibemus. Dicitur Deo *ut primo omnium principio* exhibendum; quia Cultus Deo exhibitus propter aliud motivum, vel ut Pater noster, vel ut benefactor, ad virtutem aut pietatis aut gratitudinis spectat, non ad virtutem Religionis.

De Religione exponendos habemus actus ejus, & vitia opposita.

QUÆSTIO I.

Quinam sint Religionis actus.

TRes sunt præcipui actus Religionis hic nobis breviter exponendi: Oratio nimirum, Votum, & Juramentum.

ARTICULUS I.

De Oratione.

Not. 1. ORatio multipliciter sumitur. 1. Pro quolibet opere bono: unde ex D. Bonav. recte dicitur: *Non cessat orare, qui non cessat benefacere.* 2. Pro quovis pio animi motu in Deum, sic a Damasceno definitur: *Ascensus mentis in Deum.* 3. Tandem & proprie definitur: *Actus Religionis, quo aliqua bona a Deo postulamus.* Dicitur *Actus Religionis*; quia per orationem subjectionem nostram, supremamque Dei excellentiam agnoscimus. Dicitur *aliqua bona*, quæ vel per se ad salutem conducunt, ut auxilia gratiæ & habitus virtutum supernaturalium, vel saluti sunt de se indifferentia, ut sanitas, felix Matrimonium &c. quæ peti non debent, nisi sub hac conditione, supposito quod nobis sint salutaria: secus enim forent mala, nec proinde orationis subjectum esse possunt: unde qui bona temporalia, absque hac saltem tacita aut implicita conditione, postularet actum potius irreligionis quam Religionis eliceret; & graviter peccaret, quatenus bona temporalia spiritualibus præponere censeretur. Dicitur *a Deo*; quia licet B. Virginem & Sanctos orare possumus; oratio tamen nostra ad Deum ultimate dirigitur ac terminatur.

Not. 2. Oratio multipliciter dividitur. 1. In men-

mentalem, quæ mente sola funditur; & vocalem, quæ non mente tantummodo, sed ore etiam exprimitur. Dixi, *non mente tantummodo*, ut annuerem orationem pure vocalem non esse veram orationem, quæ essentialiter consistit in intellectus & voluntatis operatione, & utriusque in Deum ascensione. 2. Oratio mentalis alia est qua aliquod bonum a Deo mentaliter postulamus, diciturque propriissime oratio seu postulatio: alia est, qua res divinas cum mentis affectu serie ac profunde perpendimus, diciturque meditatio seu contemplatio. 3. Oratio vocalis, alia est publica, quæ publico Ecclesiæ nomine, & privata, quæ a singulis private funditur. His notatis,

Quær. 1. Utrum necessaria sit oratio?

R. Adultis necessariam esse necessitate præcepti simul, & medii. Præcepti, inquam, ut constat ex locis multis Scripturæ sacræ, Luc. 18. *Oportet semper orare, numquam deficere.* Ephes. 6. *Orantes omni tempore.* Coloss. 4. *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione.* Item & medii saltem secundum cursum ordinarium Adultos salvandi; quia divinum auxilium ad servandi præcepta ordinarie non confertur nisi postulantibus.

Quær. 2. Quandonam obliget orationis præceptum?

R. Hoc præceptum, utpote affimativum non semper & pro semper obligat; ita ut absque ulla umquam physica intermissione orare necesse sit, cum & aliis piis operibus vacare teneamur. Quod si dicatur in Evangelio: *Oportet semper orare*; id hyperbolice est intelligendum, sumendo *semper* pro *frequenter*: vel oratio hic sumenda est improprie pro quolibet bono opere, a quo numquam cessare debemus, ut malum faciamus: vel pro desiderio rerum salutarium, quod in corde semper virtualiter retinere tenemur.

Quod autem frequenter orare jubemur, hoc patet tum ex magna orationis ad rectam vitæ informationem necessitate; tum ex crebra ac vehementi in Scripturis ejus inculcatione. Ideo communiter censent Doctores, quod is qui per totam hebdomadam ab oratione proprie dicta abstineret, reatum peccati mortalis incurreret.

Præterea orationis præceptum obligat per accidens, dum aliud adest adimplendum præceptum, quod absque oratione implere non possumus, ut Horarum Canonicarum recitatio, aut Pœnitentiæ a Confessario impositæ impletio; dum grave imminet mortis periculum, dum proximum precibus nostris juvare tenemur; dum gravis urget tentatio, quam sine oratione vinci non posse credimus, &c.

Quær. 3. Utrum oratio mentalis, sumpta pro rerum divinarum meditatione, ad salutem sit necessaria?

R. Licet nullum extet meditationis formale præceptum, nec ipsa tamquam medium ad salutem absolute necessarium in Scripturis assignetur; certum est tamen, mediate saltem, omnibus esse necessariam quatenus nobis sunt tam ardua præcepta adimplenda, tot tentationes vincendæ, tantæque virtutes acquirendæ & conservandæ, ut hæc omnia absque meditatione vix obtinere & comparare possimus; quia nimirum fuga vitiorum ac virtutum comparatio ex affectu interno prodeunt, qui proculdubio sine pia consideratione in corde non excitatur. Hinc Jeremias Propheta omnia crimina, quibus desolata est terra, in nullam aliam refundit causam, nisi quia *nullus sit qui recogites corde*. Unde D. Bonav. l. de perf. vitæ cap. 5. de Religiosis sermonem faciens, quod utique & Clericis, immo & Laicis accommodari potest, ait: *Revera Religiosus non frequentans assidue orationem, non solum est miser & inutilis; quinimmo*

mo coram Deo fert animam mortuam in corpore vivo . . . Non est mirum, si tentationibus succumbat frequenter & miserabiliter, qui studium orationis non frequentat.

Quær. 4. Quinam sint Quietistarum circa Orationem errores?

℟. Præcipuos Quietistarum errores fuisse, 1. Quod contemplatio vel oratio quietis in eo posita sit, quod quis dum se in Dei præsentia per actum fidei obscuræ simplicis & amantis constituerit, in ea sine ullo vel rationis, vel voluntatis, vel alicujus alterius potentiæ actu otiosus permaneat, & quod hæc contemplatio adeo perfectioni sit necessaria, ut sine ea ne passus quidem ad eam fieri possit. 2. Quod primus ille actus numquam sit iterandus; utpote qui per totius vitæ decursum perduret, simulque & semel omnium aliarum virtutum actus eminentiori modo contineat. 3. Quod Incarnationis Dominicæ Mysteria, attributa divina, Sanctorum vita, gehenna aut gloria æterna, &c. non sint apta contemplationis objecta; proindeque ab eis mens sit avertenda, utpote quæ a conteplatione impediant. 4. Quod librorum spiritualium lectio, divini verbi prædicatio, Sanctorum invocatio, vocalis oratio, immo & Pœnitentiæ Sacramenti susceptio, vere contemplativis inutiles sunt & nocivæ. 5. Quod contemplativus, dum actu in oratione quietis versatur, non debet contemplationem interrumpere, ut Superiorum suorum mandata exequatur. 6. Quod contemplativi ita ab omni affectu immunes esse debeant, ut etiam dona Dei ipsasque virtutes vili faciant, & ea quæ modestiæ & honestati contraria sunt, libere agant & patiantur; modo tamen hæc præceptis Decalogi non adversentur. 7. Quod contemplativi sæpius tantos patiantur excessus, ut eis omnis adimatur usus liberi arbitrii; quo fit, ut in gravissima peccata prolabantur, quorum tamen

minime sunt conscii; proindeque de iis confiteri non teneantur. Hæc nefanda doctrina ab Innoc. XI. ann. 1687. & ab Innoc. XII. ann. 1699. damnata est.

ARTICULUS II.

De Voto.

Not. VOtum dupliciter sumi posse. 1. Pro desiderio efficaci cujusdam boni; sic dicitur Baptismum in re vel in voto, id est in desiderio, ad salutem esse necessarium. 2. Proprie sumitur; & sic definitur: *Promissio deliberata & spontanea Deo facta de bono meliori ac possibili.*

Dicitur *Promissio*, id est stricta fidei oppignoratio. Hinc

Resolv. 1. Nudum propositum, quantumvis firmissimum, rationem voti habere non posse, nisi adfuerit se se in conscientia obligandi vera intentio.

Dicitur *Deliberata*: ea nimirum deliberatione, quæ ad peccatum mortale necessaria est. Nec enim quod indeliberate Deo datur, ab ipso acceptatur. Hinc

Resolv. 2. Nullum esse votum, si fiat ex subito motu rationem præveniente, vel cum semi-plena advertentia ac deliberatione, ut in semi-sopito, aut semi-ebrio, aut in pueris plenum rationis usum non habentibus. Non tamen necesse est, ut vovens omnes omnino voti sui circumstantias perspiciat: alioquin vix ulla essent vota, contractus, aut matrimonia; cum experientia constet, sæpius in illis circumstantias evenire, quæ si prævisæ fuissent, non voviſſemus, aut non contraxiſſemus. Nec invalidum est votum, licet aliquem statim post voti emissionem hujus pœniteat, aut ipsum retractet; cum deliberatio necessaria fieri possit in instanti.

Di-

Dicitur *Spontanea*, id est absque gravi metu injuste extortum; quia cum pro nullo habeatur ab Ecclesia, a Deo non acceptatur. Hinc

Resolv. 3. Nullum esse votum illius, qui metu incarcerationis, bonorum privationis, &c. ad vovendum fuit impulsus; sed validum foret si ex causis naturalibus ortus esset metus, ut ex naufragii periculo: item si votum fuisset emissum ad vitandam gravem pœnam, quam vovens meruit; quia metus non est injuste incussus: item si fuisset emissum ea intentione, ut Deus eum e manu sicariorum eriperet; quia, licet metus sit injuste incussus, non fuit tamen ad votum extorquendum incussus.

Dicitur *Deo facta*; quia cum votum sit essentialiter Latriæ cultus, soli Deo fieri debet. Hinc

Resolv. 4. Vota nonnulla B. V. Mariæ aliisque Sanctis dicuntur facta, vel quia in honorem Sanctorum facta sunt, vel quia vovimus coram Sanctis, quorum suffragia ad rite vota adimplenda imploramus.

Dicitur *de bono*, quod nimirum Deo gratum & acceptum sit, cum votum in illius honorem emittatur. Hinc

Resolv. 5. Irritum est votum voventis actionem, etiam venialiter tantum malam. Immo hanc vovens mortaliter peccat; quia Deum irridere censetur, gravemque illi infert injuriam. Votum autem de re bona validum est, licet in vovendo adjungatur ei aliqua circumstantia peccaminosa, causa nimirum, vel finis malus, tenens se tantum ex parte voventis; ut si quis ex ira erga importunum mendicum eleemosynam voveret; vel qui Religionem profiteretur ut lautius viveret, validum esset ejus votum. Quoad vota quæ fiunt circa res indifferentes, prorsus nulla sunt, nisi forsan ad finem bonum ordinentur: sic vanum esset votum promittentis de capite animalium non co-

medere, in honorem Decollationis ſancti Joannis Baptiſtæ. Validum autem eſſet, ſi quis vovēret a ludo abſtinere, ad rixas in eo ſupervenientes vitandas.

Dicitur *de meliori bono*, quod bonum Deo acceptius non impediat, magiſque placeat Deo fieri quam non fieri; alioquin nec Deo acceptum eſſet, nec acceptari poſſet. Hinc

Reſolv. 6. Regulariter loquendo, invalidum eſſe votum numquam Religionem ingrediendi, aut Ordines ſacros non ſuſcipiendi, & Matrimonium ineundi; quia oppoſitum melius eſt. Dixi, *Regulariter loquendo*; quia reſpectu alicujus particularis, propter accidentalem circumſtantiam, melius eſſet Matrimonium inire, quam Religionem ingredi: ſi nempe quis continere ſe non poſſet. Porro validum eſt votum de opere aliunde præcepto; quia magis Deo gratum eſt pluribus, quam uno vinculo, ejus obſequio ſeſe adſtringere.

Dicitur *de bono poſſibili*; quia nullus ad impoſſibile teneri poteſt, etiam ſi velit. Hinc

Reſolv. 7. Invalidum eſt votum ſervandi omnia Evangelii conſilia, aut numquam venialiter peccandi; quæ ſecundum ordinariam gratiæ diſtributionem ſunt impoſſibilia. Validum tamen eſſet, certum quoddam peccatum veniale vitandi; cum id ſit actu poſſibile. Propter eamdem rationem, qui vovit hanc ſpecialem ingredi Religionem, cujus ei denegatur ingreſſus; aut hanc rem determinatam, quæ fortuito periit, pauperibus elargiri, ad nihil tenetur. Quod ſi vero materia voti ſit diviſibilis, cujus una pars ſit poſſibilis, altera impoſſibilis, tenetur ad poſſibilem; quia promiſiſſe cenſetur id quod poteſt. Sic qui vovit per totum menſem jejunare, tenetur jejunare quot diebus poteſt: ſic Conjugatus qui caſtitatem vovit, non poteſt debitum petere, licet non poſſit denegare. Dixi, *ſi materia ſit diviſibilis*; ſi enim indi-

vi-

visibilis esset, vel moraliter, vel physice, vovens ad nihil tenetur: sic qui vovit Lauretanam peregrinationem, si totum iter absolvere non possit, non tenetur quinquaginta leucas peragere: sic qui vovit Ecclesiam ædificare, si integram extruere non valeat, mediam partem ædificare tenetur.

Quær. 1. Quotuplex sit votum?

R. Votum dividitur 1. In absolutum, quod sine ulla conditione emittitur; & conditionatum, quod aliquam præsupponit conditionem; ut dum quis peregrinationem vovet, si sanitatem recuperet; aut se daturum pauperibus duplionem, si juraverit, luserit &c. Et hoc votum non obligat nisi conditione posita. 2. Dividitur in Personale, quo actio alicujus personæ vovetur, ut votum jejunandi: Reale, quo non actio personæ, sed res ejus per se aut per alios præstanda; ut dum quis vovet templum ædificare: & mixtum, quo actio & res simul voventur; ut si quis voveat Lauretanam peregrinationem, ibique summam pecuniæ oblaturum. Personale solum ventem obligat; Reale ad heredem obligat, qua parte reale est, non qua parte est personale. 3. Dividitur in expressum, quod fit expressis verbis; & implicitum, seu tacitum, quod censetur fieri eo ipso, quo voluntarie fit aliquid, cui votum est annexum; ut in susceptione Ordinis sacri, cui annexum est castitatis votum. 4. Dividitur in solemne, & simplex, de quibus jam alibi dictum est.

Quær. 2. Quinam vovere possint?

R. Omnes ratione utentes, qui sunt sui juris, non alii. Patet prima pars; quia cum votum sit actus virtutis, rationem & libertatem in vovente necessario præsupponit. Patet etiam secunda; quia nullus potest per promissionem firmiter se obligare ad id, quod est in alterius potestate. Hinc

Resolv. Conjugati, Filii familias, Religiosi, Servi, cæteriquæ subditi nihil eorum, in quibus

aliis

aliis ſubduntur, vovere poſſunt. Ideo ſi eorum vota uſum ver. gr. Matrimonii, externam familiæ gubernationem, bonorum adminiſtrationem, debitum ſervitium, aut rationabile obſequium impediant; a Conjugibus, Parentibus, Tutoribus, Dominis ac Superioribus irritari poſſunt. In his vero, quæ ſunt ſui juris, & in quibus aliis minime ſubſunt, vota firmiſſima emittere poſſunt. Sic Adoleſcentes poſt pubertatis annos, ſine parentum conſenſu, ingreſſum Religionis firmiter vovere poſſunt; & Conjux votum caſtitatis poſt mortem compartis obſervandum, aliaque ſimilia, quæ ad animæ ſpiritualem profectum ſpectant.

Quoad Religioſos, cum ob ſolemne obedientiæ votum Superioribus ſuis in omnibus ſint ſubditi, nullum omnino votum firmum poſſunt emittere (excepto tamen voto arctioris Religionis) abſque Superioris conſenſu tacito, aut ſaltem negativo; id eſt ex ſuppoſitione quod Superior non contradicat: quod etiam locum habet circa actiones, quæ nec Superiori, nec aliis ullum incommodum, aut moleſtiam afferre poſſunt, ob ſupradictam rationem.

Quær. 3. Qualis ſit voti obligatio?

℟. Gravem eſſe voti obligationem; ita ut ejus violatio peccatum ſit ex genere ſuo mortale. Pugnat ſiquidem contra fidelitatem, juſtitiam & reverentiam Deo debitam. Ideo Iſaiæ 19. dicitur: *Vota vovebunt Domino, & ſolvent*; & Pſalm. 75. *Vovete, & reddite*. Dixi violationem voti ex genere ſuo mortalem eſſe; quia ex parvitate materiæ & indeliberatione fieri poteſt venialis; ſicut violatio præceptorum cujuslibet Legis. Et cum votum ſit Lex privata, vovens non poteſt obligare ſe leviter in materia gravi, nec graviter in materia levi, ut dictum eſt de Lege. Hinc

Reſolv. Omittentem unum *Pater* & *Ave* quod vovit recitare, peccare tantum venialiter, ſive illud ſit tota materia voti, ſive pars illius. E contra,

tra, qui voviſſet quotidie per annum unum *Pater* & *Ave* recitare, ſi plura omitteret, mortaliter tandem peccaret; quia omnes illæ omiſſiones moraliter conjunctæ, unius voti gravem materiam efficerent.

Quær. 4. Quandonam votum obliget?

℟. Evidens eſt votum negativum, quo quis promittit abſtinere ſe ab aliquo opere, obligare ſemper & pro ſemper, juxta naturam præcepti negativi. Quoad votum affirmativum; vel tempus ejus impletionis determinatum eſt, vel non. Si primum, obligat pro eo tempore quo determinatum eſt, niſi obſit legitima excuſans cauſa, quæ gravior aut levior eſſe debet, juxta gravitatem aut levitatem voti. Si ſecundum, obligat quam primum moraliter fieri poteſt; ita ut in utroque caſu gravius quis peccaret, quo longius voti impletionem protraheret. Scriptum eſt enim Deut. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis illud reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus; & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Hinc

Reſolv. Qui jejunare promiſit qualibet Sexta Feria menſis Martii in honorem Dominicæ Paſſionis, ſi hac die non jejunet, graviter peccat, nec a peccato ſolvitur die ſubſequenti jejunando. Quod ſi vero tempus jejunii non fuerit præfixum, jejunium poſſet differre ad tres aut quatuor dies, abſque ſaltem gravi peccato. Idem cum proportione de ceteris votis dicendum eſt. Quæ omnia penſanda ſunt, juxta viri prudentis ac timorati judicium, attenta votorum & voventium conditione & diſpoſitione.

Quær. 5. An qui prævidet impedimentum in adimpletione voti, ad aliquod tempus determinati, tempus illud teneatur prævenire?

℟. Cum diſtinctione: vel impletio futura voti totum implet & occupat tempus determinatum, ut qui voviſſet in Vigilia alicujus Sancti jejunare,

aut

aut hac hora Rosarium recitare, vel totum non implet nec occupat tempus determinatum, ut qui voviſſet ſemel jejunare in menſe, aut ſemel in hebdomada Roſarium recitare. Si primum, vovens tempus non tenetur prævenire, immo hac vice præfixa, legitimo ſuperveniente impedimento eximitur ab onere voti, ut patet ex præcepto Eccleſiaſtico jejunii, alicui diei aſſixi. Si ſecundum, iterum diſtinguendum eſt, vel tempus aſſignatum eſt ad finiendam obligationem, vel ad eam urgendam. Si ſit aſſignatum ad finiendam obligationem, teneris tempus prævenire, dum futurum prævides impedimentum in fine menſis aut hebdomadæ: ſicut qui prævidet impedimentum hora duodecima pro Miſſa audienda, tenetur eam audire hora octava vel nona. Quod ſi tempus aſſignatum fuerit ad urgendam obligationem, tempus prævenire non teneris; cum nondum votum obliget, ſed tranſacto impedimento votum teneris implere. Unde ſi voviſti peccata confiteri in fine menſis, & prævideas futurum tunc impedimentum, nulla te urget obligatio ante finem menſis confitendi, ſed teneris poſthac quam primum moraliter poteris votum adimplere.

Quær. 6. Quot modis ceſſet voti obligatio?

Ik. Quatuor modis. 1. Per ſe ipſam. 2. Per irritationem ſeu annullationem factam ab eo, qui deſuper dominium & poteſtatem habet. 3. Per diſpenſationem ſeu relaxationem voti, vice ac nomine Dei factam ab eo qui legitimam poteſtatem habet. 4. Per commutationem, ſeu ſubſtitutionem operis honeſti loco alterius Deo promiſſi ſub eodem vinculo.

1. Per *ſe ipſam* ceſſat obligatio voti triplici modo. 1. Dum non evenit conditio voto appoſita; ut ſi voveris peregrinationem, ſi recuperet ſanitatem Pater tuus, qui poſt votum emiſſum mortuus eſt. 2. Si votum ſit temporale, caſtita-

tis

tis v. gr. per annum servandæ, & tempus præcisum fuerit elapsum. 3. Si cessaverit voti materia, factaque fuerit vel inhonesta, vel impossibilis; ut si voveris dives dare eleemosynam; & posthac factus fueris pauper, aut bona eleemosynæ destinata facta fuerint aliena.

2. Per *irritationem* cessat voti obligatio factam ab eo, qui in personam voventem, vel saltem in materiam voti potestatem obtinet; ut Pater respectu filiorum, Conjugatus respectu Conjugis, Superior respectu Religiosi &c. Quæ si fiat ab eis absque justa causa, valida quidem est, cum votum inferioris non emittatur, nisi sub tacita conditione quod Superior consenserit, vel non contradixerit; sed non est licita, quia tenetur quilibet potestate sibi concessa ad Dei gloriam uti. Porro regulariter loquendo levis causa sufficit, quæ si defuerit, peccatum censetur tantum veniale, tum in Superiore irritante, tum in subdito irritationem postulante. Quod si vero Superior semel votum approbaverit, uterque graviter peccare censetur, & qui absque causa irritat, & qui absque eadem irritationem postulat; quia jam materia voti rite Deo obstricta est.

3. Voti obligatio cessat per *dispensationem* factam ab habente jurisdictionem in foro externo. 1. Summus Pontifex potestatem habet in universa Ecclesia dispensandi in omnibus votis etiam solemnibus, juxta D. Antoninum & plures alios Doctores, ob causam gravissimam; cum votum solemne a voto simplici non distinguatur, nisi accidentaliter, per scilicet solemnitatem, quæ juris est Ecclesiastici. 2. Episcopi, Religiosorum Superiores, non tantum Provinciales, sed & Prælati Coaventuales, & eorum vices gerentes, plenam curam Conventus habentes, ex rationabili causa dispensare possunt in votis suorum subditorum, exceptis tamen quinque summo Pontifici reservatis; ni-

nimirum Peregrinationis Jerosolymitanæ, Compostellanæ, Romanæ, & ad limina SS. Apostolorum, Castitatis perpetuæ & Religionis approbatæ. Immo supradicti etiam in his quinque votis dispensare possunt. 1. Si votum Castitatis aut Religionis factum sit sub conditione, quod vovens ab aliquo periculo liberaretur. 2. Si post votum castitatis vovens Matrimonium iniit, saltem in ordine ad petendum debitum. 3. Si dubium sit an votum sit validum, aut reservatum. 4. Si votum est disjunctivum de una parte non reservata: ut qui vovit vel castitatem, vel jejunium perpetuum. 5. Si votum reservatum est tantummodo accessorium ad aliud non reservatum; ut si quis voveret non ludere sub pœna perpetuæ castitatis servandæ.

4. Per *commutationem* cessat obligatio voti, quæ commutatio fieri potest vel in bonum certo majus, vel in minus, vel in æquale. Primum auctoritate propria voventis fieri potest, cum minus bonum in majori contineatur. In secunda autem & tertia, auctoritas requiritur Superioris; tum quia commutatio in minus bonum essentialiter dispensationem involvit in parte voti; tum quia commutatio in bonum æquale ordinarie injunctum habet dubium.

Quær. 7. Quænam sit justa causa in votis dispensandi, aut eadem commutandi?

R. Duæ communiter assignantur. 1. Necessitas spiritualis, ut gravis ninniaque voventis molestia, fragilitas, violandi votum periculum &c. 2. Major voventis & aliorum utilitas spiritualis. Ubi & observandum est, regulariter non esse concedendam plenam dispensationem, si votum commutari possit in aliquid aliud magis voventi proportionatum, vel melius, vel æquivalens; quia facile non subest justa causa ad plenam dispensationem sufficiens.

AR-

ARTICULUS III.

De Juramento.

Not. JUramentum a jure dictum, eo quod sit quasi jus & Lex juramenti, definitur: *Attestatio divini numinis ad fidem faciendam, aut promissionem firmandam.* Per quam attestationem Deus vocatur tamquam in testem aut fidejussorem omni exceptione majorem alicujus veritatis enuntiatæ, aut promissionis factæ; rogaturque, ut aut veritatem latentem, dum ipsi visum fuerit, adaperiat, aut promissionem auctoritate sua confirmet.

Quæt. 1. Quotuplex sit juramentum?

R. Patet ex definitione mox allata, juramentum dividi 1. In assertorium, quod adhibetur ad fidem faciendam de eo, quod quis vel affirmat vel negat; & promissorium, quod adhibetur ad promissionem firmandam. 2. Dividitur in contestatorium, quod fit per simplicem divini nominis contestationem, ut *Testor Deum*: & execratorium, quo Deus non tantum invocatur ut testis, sed ut judex & vindex: ut *Sic me Deus adjuvet, sic me Deus perdat &c.* & comminatorium, quo sub invocatione Divini nominis alteri pœna comminatur, ut *Per Deum te cædam*. 3. Dividitur in explicitum, quo divinum testimonium explicite invocatur, ut *Per Deum ita est, veritatem dico in Christo &c.* & implicitum, quo divinum testimonium invocatur implicite in creaturis, quatenus specialiter in eis præsidet ac relucet: ut qui jurat per Cœlum, per Templum, per Evangelium, & per Crucem.

Quær. 2. Utrum nonnullæ formulæ, quas vulgus in aliquid asserendo afferre solet, vere sint juratoriæ? Nimirum: *Coram Deo loquor: Deus scit quod non mentior: in veritate dico: in conscientia,*

in

in mea fide: auferat me diabolus: ipsa hora interream, si hoc non sit verum: hoc ita verum est, quam quod unus est Deus.

℟. Duæ primæ formulæ vere sunt juratoriæ; cum Deus ejusque scientia in testimonium veritatis adducatur. Tertia de se non est juratoria, nisi jurans intendat ipsammet Dei veritatem in testimonium adducere, & hoc a præsentibus percipiatur. Quarta & quinta non sunt juratoriæ, si jurans intendat tantum fidelitatem humanam, non autem fidem catholicam; ut plurimum accidit. Sexta & septima verum est juramentum execratorium, cum Diabolus hominem auferre non possit, nec quis subito interire, nisi ex Dei vindicis ac Judicis mandato. Ultima tandem non est proprie juramentum, cum Deus in testem non adducatur; sed est atrox blasphemia; cum veritas creata increatæ æternæque veritati comparetur.

Quær. 3. Utrum licitum sit juramentum?

℟. Non solum licitum esse, sed & laudabile, si debitis fiat conditionibus. Est enim actus Religionis & cultus Latriæ, quo jurans implicite confitetur Deum esse primam veritatem, omnipotentem, omniscium, & universi provisorem & gubernatorem. Unde Deuteron. 6. dicitur: *Dominum Deum tuum timebis, ac per ejus nomen jurabis.* Et ipsemmet *Dominus juravit, & non pœnitebit eum.* Et Apostolus Deum testem invocabat, dicens: *Ecce coram Deo, quia non mentior.* 1. Cor. 10. & Gal. 1. Nec damnat juramentum Christus Dominus, dum dicit Matth. 5. *Non jurare omnino: sit sermo vester est, est, non, non; quod autem his abundantius est, a malo est.* Siquidem ibi tantum prohibet ne facile juremus ob pejerandi periculum; nec nisi debitis conditionibus juramentum adhibeamus; annuitque juramentum esse a malo, non quidem debite jurantis, sed a malo non credentis, adeoque ad juramentum cogentis.

Quær.

Quær. 4. Quænam ad debite jurandum requirantur conditiones?

R. Tres requiruntur ex Jer. 4. *Jurabis*, inquit, *vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia.*

1. *Veritas* ad juramentum requisita consistit in hac, quod jurans certo credat rem sic se habere, licet forsan non sic se habeat. Dixi *certo*: dubius siquidem de rei veritate, aut habens tantum motivum credendi probabile, perjurus est, si rem juret ut certam. Nec in jurando amphibologia aut restrictione mentali unquam uti licitum est: ut definivit Inn. XI. in damnat. prop. 28. Nec licet jurare extrinsecus absque jurandi intentione; cum hoc sit Deum illudere, nec levitas materiæ in his omnibus a gravi peccato excusare potest sive ex joco, sive ex consuetudine juramentum emittatur. Docent tamen communiter Doctores cum D. Antonino, quod in juramento promissorio, si voluntas adsit promissionem implendi, materia levis excusat a mortali, si postea promissum non impleatur; quia in hoc juramento Deus proprie non assumitur in testem veritatis, sed fidelitatis, quæ in re levi non est grave peccatum.

2. *Judicium* requirit, ut nonnisi cum discretione, dum scilicet gravis urget necessitas, aut magna speratur utilitas, juramentum adhibeamus. Peccant igitur, & quidem graviter, in reverentiam Deo debitam, qui pro re levi Deum in testem vocare consueverunt, his aut similibus verbis, *per Deum, per caput Dei, per Sanguinem Dei, per animam meam* &c. nisi forte subsit indeliberatio. Sed quicumque super suam consuetudinem advertens eam eradicare negligit, toties peccat mortaliter, quoties advertit: cum per eam evidenti periculo pejerandi se se voluntarie committat.

3. Ju-

3. *Justitia* exigit, ut juramentum sit de re licita, & honesta. Gravem siquidem Deo infert injuriam, & graviter peccat, qui ipsum assumit in testem alicujus peccati etiam venialis, vel committendi, vel jam commissi: quia censetur per hoc juramentum ipsum contemnere ac irridere. Idem dicendum est de eo, qui Deum adduceret in testem cujuslibet etiam levis detractionis, sic enim Deum faceret iniquitatis suæ coadjutorem: cum per ipsum alterius infamiam probabiliorem reddat ac certiorem, quod utique Deo graviter injuriosum est.

Quær. 5. Quid dicendum sit de imprecationibus, & aliis obscœnis expressionibus *B. F. Diab.*

℟. Graves imprecationes, seu maledicta, nedum in proximum, sed & in pecora, & res inanimitas jactata, ut *Asportet te Diabolus: Perdat te Deus: Auferat pestilentia:* juramenta sunt execratoria, proindeque gravissima peccata, nisi excusset iræ motus subitaneus, atque indeliberatus. Termini vero B. & F. in pecora conjecti ordinarie a mortali excusantur, cum verba sint impatientiæ, non vero juramenti. Si tamen in proximum conjiciantur, ut plurimum a mortali non excusantur ob gravem injuriam & fœditatem, graveque scandalum, quod sæpius important. Quoad terminum *Diab.* si per hunc Diabolum quis invocare intenderet, proculdubio peccatum esset mortale; sed cum sæpe sæpius nihil aliud sit, quam quædam impatientiæ interjectio, secluso scandalo a mortali excusatur.

Quær. 6. Quænam sit juramenti promissorii obligatio?

℟. Omne juramentum de re illicita non obligat, cum ipsum iniquitatis vinculum esse non possit; & qui illud, etiam in re levi, executioni mandat, mortaliter peccat; quia gravis Deo in-

fer-

fertur injuria, dum iniquitatis, vel leviſſimæ, fidejuſſor adducitur. 2. Non obligat de re impoſſibili juramentum, cum nullus ad impoſſibile teneatur. 3. Non obligat juramentum Deo factum de re ex ſe indifferenti, aut cujus oppoſitum melius eſt; cum hoc habeat rationem voti, quod non eſt niſi de meliori bono; quod ſi homini factum fuerit, validum eſt, quia licet res promiſſa de ſe minus ſit bona, homini tamen grata eſſe poteſt. 4. Jurans ſine animo ſe obligandi, licet ſtricte loquendo non vere juret, vi tamen juramenti externi ad promiſſum tenetur ob divini nominis atteſtationem, quam irritam facere non poteſt. 4. Juramentum etiam gravi metu extortum in foro conſcientiæ obligat, donec relaxetur; quia licet ſecundum quid involuntarium, ſimpliciter tamen eſt voluntarium. 6. Omnis dolus aut error, dans cauſam juramento, ita ut expreſſe juretur propter id, in quo quis decipitur, juramentum invalidat; ſive dolus & error verſentur circa ſubſtantiam, ſive circa qualitatem rei, quia ibi nullus eſt conſenſus. Qui juravit ad carcerem redire, ſive juſte ſive injuſte in illo detineatur, tenetur redire, etiamſi ſciat ſibi mortem imminere, quia prudenter juramentum illud fecit ut dimitteretur, alioquin non fuiſſet dimiſſus.

Quær. 7. Quomodo ceſſat juramenti obligatio?

R. Multipliciter tollitur. 1. Per *auctoritatem* illius, qui poteſtatem dominativam habet in jurantem, & in materiam juratam. 2. Per *remiſſionem* illius, in cujus favorem juramentum fuit præſtitum. 3. Per *diſpenſationem* legitimam Papæ in univerſa Eccleſia & Epiſcopi in ſua diœceſi, qui tamen diſpenſare non poſſunt in juramento in favorem alicujus præſtito, niſi bonum commune id exigat, aut gravis interceſſerit culpa ex parte promiſſorii. 4. Ceſſat juramenti obligatio ſi

ma-

materia facta sit vel moraliter, vel physice impossibilis, si notabiliter sit mutata, ut qui juravit ducere puellam, quæ postea fornicatur; vel si tandem cesset totaliter, & pro semper finis juramenti, ut qui juravit dare eleemosynam pro redemptione alicujus captivi, qui postea mortuus est.

Quær. 8. An liceat juramentum exigere a juraturo per falsos Deos, aut a pejeraturo?

R. Quamvis ab altero exigere non liceat, ut pejeret & per falsos Deos juret, cum hoc sit intrinsece malum, licet tamen ex justa causa, quæ gravis esse debet, a Pagano simpliciter juramentum exigere, etiamsi certo prævideamus ipsum per falsos Deos juraturum. Ita D. Aug. Ep. 154. Ratio est; quia jutamentum simpliciter exigere, est rem licitam postulare; quæ si male fiat, soli juranti est imputandum. Secus dicendum est ex eodem Aug. serm. 184. alias 28. de Verb. Apostol. de eo, quem pejeraturum credimus; nefas est enim homini privato juramentum exigere ab eo, quem certo sic pejeraturum; quia nulla utilitas aut commodum sperare potest ex tali juramento, utpote contra ipsum postulantem sit præstandum. Dixi *homini privato*; quia personæ publicæ id licitum est; dum id postular ordo juris, & aliunde ab altero litigantium id exigitur.

Quær. 9. Quid de adjuratione sit dicendum?

R. Breviter. Adjuratio est actus Religionis, quo per interpositionem divini nominis, aut alicujus rei sacræ, quempiam ad aliquid præstandum vel omittendum impellimus; fitque vel per modum imperii & compulsionis a Superioribus respectu inferiorum; vel per modum deprecationis, & tam a Superioribus quam ab inferioribus fieri potest. Adjuratio, ut licita sit, easdem ac juramentum exigit conditiones: nempe veritas,

judicium, & juſtitia: unde 1. Peccat graviter dives, qui ſimulans ſe pauperem petit eleemoſynam per *Viſcera Chriſti, amorem Dei* &c. 2. Qui alium adjurat per *nomen Chriſti*, ut actionem, etiam leviter malam, committat. 3. Qui ſine prudentia, & diſcretione alios per Dei & Sanctorum nomen adjurare conſuevit, ut dictum eſt de juramento.

QUÆSTIO II.

Quænam ſint vitia Religioni oppoſita.

REligio, utpote virtus moralis, quæ in medio conſiſtit, vitia habet per defectum, & per exceſſum oppoſita; non quod Divinitas nimium coli poſſit, ſed quod Divinitas, quæ non eſt colenda, vel quod ipſa indebito modo colatur. Vitium Religioni per exceſſum oppoſitum, dicitur ſuperſtitio, per defectum autem dicitur irreligioſitas. De quibus ſequentibus articulis.

ARTICULUS I.

De Superſtitione.

Not. DEfinitur communiter ſuperſtitio: *Cultus perverſus, quo vel falſus Deus colitur. vel verus indebito modo.* Primus dividitur in Idololatriam, Divinationem, & vanam Obſervantiam: ſecundus in Cultum falſum, ſuperfluum & indecentem. De his omnibus.

Quæſt. I. Quid ſit Idololatria, & quale peccatum?

℟. Idololatria eſt cultus divinus creaturæ, ut Divinitati, exhibitus. Alia eſt formalis & propria, quæ ſimul interior & exterior eſt, dum quis Idolum aut Dæmonem adorat, quia credit

aliquod esse numen, vel etsi non credat esse Deum, illi cultum exhibet, vel Sacrificio vel genuflexione &c. ut aliquid ab eo obtineat. Alia est materialis & solummodo exterior, dum quis simulate ex gravi metu Idolum exterius colit. Utraque gravissimum est peccatum, licet minus gravis sit secunda quam prima.

Quær. 2. Quid & quotuplex sit Divinatio, & quale peccatum?

R. Esse expressam vel tacitam Dæmonis invocationem, ut aliquid revelet occultum, quod humano modo cognosci non potest. Alia fit immediate per ipsamet Dæmonia, diciturque *Necromantia*, qua varie consuli possunt, non solum ipsa voce, sed & certis figuris, sacrificiis, precibus, unctionibus, suffumigationibus, speculis aliisque signis, quæ ipsimet Dæmones ad hoc instituerunt. Alia fit per astra diciturque *Astrologia judiciaria*, qua ex varia astrorum comminatione, situ & motu futura plane contingentia ac fortuita cognoscere, ac prævidere præsumitur. Alia fit per *somnia*, qua ex somniis prædicitur, aut creditur eventurum aliquid: alia per *sortilegia*; qua per sortes inquiritur, aut quid futurum, aut quid agendum sit. Satis perspicuum est, Necromantiam peccatum esse mortale & quidem gravissimum. Vetat enim distincte Apostolus 1. Cor. 10. *Ne fiamus Socii Dæmoniorum*, multo magis ne cultum illis exhibeamus. Quod spectat ad alias divinationis species, in quibus tacite tantummodo Dæmones invocantur, utendo scilicet vanis & naturaliter improportionatis ad aliquid cognoscendum signis, mortales quidem sunt ex genere suo, etiamsi plena his fides non adhibeatur; ad hoc siquidem sufficit ut adhibeatur fides aliqua, quæ nonnisi a Dæmone fundamentum habere potest: excusat tamen quandoque a mortali ignorantia, ac simplicitas.

Quær.

Quær. 3. Quid & quotuplex ſit vana obſervantia, & quale peccatum?

R. Eſſe expreſſam vel tacitam Dæmonis invocationem, qua quis utitur mediis nec a Deo nec a natura ordinatis, non ſolum ad occulta, per quod convenit cum divinatione; ſed etiam ad aliquem effectum externum producendum. Hæc dividitur in quatuor ſpecies.

1. Eſt *Ars notoria*, eſtque ſuperſtitio, qua ſine labore & ſtudio per quarumdam figurarum inſpectionem, orationem, jejunium, & cetera improportionata repentina expectatur ſcientiæ infuſio aut acquiſitio: quæ peccatum eſt graviſſimum cum ſaltem tacita Dæmonis ſit invocatio.

2. Eſt *Magia ſuperſtitioſa*, quæ verſatur circa corpora varie immutanda alioſque miros effectus ſupra ordinem naturæ, per quædam ſigna ope Dæmonis producendos. Quæ ſi exerceatur ad oſtenſionem virtutis aut potentiæ, ad proprium, vel alienum commodum, dicitur ſimpliciter *Magia*: ſi ad alteri nocendum, dicitur *Maleficium*. Ad hoc tollendum licitum eſt quidem amovere vel deſtruere ſigna magica, anulos, ligaturas &c. ad quorum præſentiam Dæmon nocumentum infert; cum id nullam cum Dæmone inferat ſocietatem, ſed potius oppoſitionem. Novo tamen maleficio, utpote intrinſece malo, id facere, ob quantumvis gravem neceſſitatem, numquam licet. Immo, ſi probabile aut dubium foret maleficium a maleſico, abſque nova operatione magica, diſſolvi non poſſe, peccaret mortaliter qui eum, quamvis paratum, ad hoc induceret; quia juxta Apoſtolum, *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*.

3. Eſt *Obſervantia eventuum*, quia quis ex rei impertinentis occurſu, bona, vel mala, ſibi aut aliis eventura credit, & inde actiones ſuas dirigit. Ut ſi quis ex eo quod ei occurrat ſerpens

in via, periculum ſibi imminere arbitretur, & nolit ultra procedere: Si nolit aſſidere menſe, ubi adſtant duodecim convivæ: Si lignum patibulare ſecum ferat, ad vitandum in ludo malam fortunam: Si nolit die Veneris nere, aut lixivium facere, &c.

4. *Obſervantia ſanitatum*, dum quis mediis utitur inanibus ac diſproportionatis, ad morbos hominum, aut brutorum, vel ſanandos, vel avertendos, ut characteribus, nominibus ignotis, involucris, & ceteris rebus inutilibus. Immo, qui preces quaſdam recitant, aut res ſacras geſtant, ex quibus propriam ſanitatem aut aliorum infallibiter expectant, in hoc vitium impingunt; quia cum certum ſit nihil, præter Sacramenta & Sacramentalia, ex ſacris rebus & verbis affectum habere infallibilem; qui illum expectant, nonniſi a Dæmone per tacitam invocationem expectare cenſentur. Porro materiæ levitas a gravi peccato vanam obſervantiam non excuſat; quia ſemper importat commercium cum Dæmone, ſaltem tacitum, ſicque maximam Deo infert injuriam: excuſari tamen quandoque poſſet ruſtica ac feminea ſimplicitas, & invincibilis ignorantia.

Quær. 4. Quid ſit ſuperſtitio Cultus falſi, ſuperflui & indecentis, & quale peccatum?

Ꝛ. Cultus dicitur *Falſus* in hoc quod falſum contineat, ut falſa miracula, falſas reliquias exponere, Deum mahumeticis aut judaicis cæremoniis honorare &c. *Superfluus* dicitur in hoc, quod ad colendum Deum adhibeantur cæremoniæ ineptæ, præter Eccleſiæ conſuetudinem, & ordinationem; tot v. g. candelas, taliter diſpoſitas in Miſſa adhibere, certas orationes in aliquo certo numero, tempore & ſitu recitare, pecora circa ſtatuam alicujus Sancti tot vicibus circumducere &c. *Indecens* dicitur, ſi quædam de ſe mala ad Cultum divinum adhibeantur, ut rem furtivam offerre, laſci-

laſcivis picturis templum ornare, cantus profanos in organis & muſica proferre &c. Hi omnes Cultus mortales ſunt ex genere ſuo; cum hoc diſcrimine, quod primus etiam in materia levi mortalis ſit, propter gravem injuriam Deo illatam: ſecundus autem, & tertius mortales ſint aut veniales, pro materiæ gravitate. Et in his plurimum excuſare poteſt bona intentio, ſimplicitas & ignorantia.

ARTICULUS II.

De Irreligioſitate.

Not. IRreligioſitas eſt defectus Cultus Deo debiti, quo Deus vel in ſe, vel in rebus ſacris inhonoratur. Sex communiter aſſignantur irreligioſitates. Tentatio Dei, Sacrilegium, Simonia, Perjurium, voti Violatio & Blaſphemia: de quatuor ultimis jam egimus, de duabus primis nobis agendum ſupereſt.

Quær. 1. Quid & quotuplex ſit Dei tentatio, & quale peccatum?

R. Tentatio eſt *Actus irreligioſitatis quo quis abſque juſta cauſa aliquid facit ad ſumendum de Deo experimentum, aut aliquam ex perfectionibus ejus explorandam*. Alia eſt expreſſa, alia tacita. Expreſſe Deum tentaret, qui dubitans de aliqua Dei perfectione petit miraculum, ut videat utrum Deus exiſtat, ſit omnipotens, aut verax; vel qui non dubitans de aliqua Dei perfectione, experiri tamen intendit utrum in illo caſu eam ſit manifeſtaturus. Tacite vero, & interpretative Deum tentat, qui nec dubitans de aliqua Dei perfectione, nec de illa experimentum quærens, ſine juſta cauſa miraculum a Deo petit, aut expectat, vel expreſſis verbis, vel facto aliquo extraordinario, quod citra miraculum felicem exitum habere

non poteſt: v. g. Si quis tali periculo mortis ſe committeret, a quo nonniſi per miraculum liberari poſſet. Item ſi quis abſque ſtudio Theologiam doceret, aut imparatus pulpitum aſcenderet, ſperans a Deo auxilium extraordinarium ſe acceptu-rum. Item ſi quis ægrotus ſpretis omnibus remediis a ſolo Deo ſanitatem expectaret.

Omnis Dei tentatio, tum expreſſa, tum tacita, peccatum eſt mortale ex genere ſuo, quia gravem audaciam gravemque erga Deum importat irreverentiam. Probatur exemplo Chriſti Domini, qui Diabolo ſuadenti ut ſe daret præcipitem, reſpondit: *Scriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum*: innuens non licere relictis mediis ordinariis citra neceſſitatem a Deo ſperare, vel inquirere ſingularis ejus protectionis ſignum extraordinarium. Ubi obſervandum eſt, quod expreſſa Dei tentatio ſemper ſit mortalis, etiam in materia levi, niſi excuſet ignorantia: tacita vero fieri poteſt venialis, propter parvitatem materiæ, vel quia res non eſt valde extraordinaria; modo tamen non formaliter abſque juſta cauſa petatur miraculum; quod ſemper grave cenſetur peccatum, ob niniam petentis audaciam & Deo illatam irreverentiam.

Quær. 2. Quid & quotuplex ſit Sacrilegium, & quale peccatum?

R. Sacrilegium eſt rei ſacræ, ſeu cultui divino depuratæ violatio, ſeu indigna tractatio: peccatum eſt mortale ex genere ſuo, eoque gravius quo res magis eſt ſacra, ſeu majorem habet ſanctitatem. Veniale eſſe poteſt ratione parvitatis materiæ, ut ſi quis in Templo rem furaretur leviſſimam, aut paulisper confabularetur.

Triplex eſt Sacrilegium. *Perſonale*, quo perſona Deo ſacra violatur, ut Clerici, aut Monachi percuſſio, & peccatum luxuriæ cum perſona Deo ſacra. *Reale*, quo res ſacra violatur, ut ſi quis

Sa-

Sacramenta, aut Sacramentalia indigne tractet, Vaſa conſecrata aut benedicta profanet, Sanctorum reliquias aut imagines dehoneſtet, Scriptura ſacra ad facetias abutatur, Veſtes religioſas ludibrio exponat, & his ad larvas utatur, jura Eccleſiæ defraudet, pia legata ſupprimet &c. *Locale*, quo locus pius ad cultum divinum publice deputatus violàtur, ut effractio & incendium Eccleſiæ, everſio Altaris, injurioſa ſanguinis, aut voluntaria ſeminis in Eccleſia effuſio &c. Porro obſervandum eſt, violationem voti circa ſolam materiam caſtitatis eſſe Sacrilegium, quia per caſtitatis votum Perſona cenſetur Deo conſecrata; in aliis autem materiis potius eſt peccatum contra fidelitatem quam Sacrilegium, cum nihil ſacrum violetur, ut patet in eo qui vovit jejunium, aut peregrinationem.

CAPUT V.

De Prudentia.

Not. PRudentiam ſumi dupliciter, 1. Late pro qualibet veri cognitione, quæ quovis modo voluntatem ad bonum dirigit; ſic fides Theologica & intelligentia dicuntur prudentia. 2. Proprie, & ſic ſumpta definitur: *Virtus moralis, qua dignoſcitur quid in quolibet negotio agendum vel fugiendum ſit.* Dicitur *qua dignoſcitur*, per quod ab aliis virtutibus moralibus differt, quæ in voluntate, non in intellectu tamquam in ſubjecto recipiuntur. Dicitur *in quolibet negotio*, per quod differt a virtutibus intellectualibus, quæ non circa actiones particulares, ſicut prudentia, ſed circa actiones humanas in communi, ut ſapientia & ſcientia, verſantur.

Quær. 1. Quid ſit objectum prudentiæ, tum materiale, tum formale?

R. Objectum materiale prudentiæ, ut mox dictum eſt, ſunt actiones humanæ particulares, de quibus judicat an honeſtæ ſint, aut turpes; ex quo judicio voluntatem inclinat ad eas amplectendas, aut fugiendas. Objectum formale eſt conformitas illius actionis cum veritate, hic & nunc practica. Prudentia ſiquidem, cum ſit judicium, ad intellectum ſpectat, cujus objectum ſola veritas eſſe poteſt. Nec obeſt, quod prudentia, cum virtus ſit moralis, pro objecto bonum habere debeat, non autem verum; quia non eſt virtus moralis niſi *directive*, quatenus nimirum judicat de agendis, aut non agendis. Non eſt autem moralis *elective*, cum de ſe nec bonum amet, nec malum fugiat, ſicut ceteræ virtutes morales.

Quær. 2. Utrum neceſſaria ſit prudentia?

R. Adeo prudentiam neceſſariam eſſe, ut abſque ea nulla ſit virtus, & in omnes alias influxum generalem habeat. Ratio eſt, quia nulla virtus eſſe poteſt abſque ordine, nec ullus ordo eſſe poteſt abſque prudentia, cujus eſt eligere & expendere media apta, & in qualibet circumſtantia convenienti, ad finem honeſtum conſequendum.

Quær. 3. Quænam ſint officia, & partes prudentiæ?

R. Primum prudentiæ officium eſt, de rebus agendis conſilium inire, inquirere, dare, vel accipere. 2. Judicare de mediis pro loco & tempore adhibendis. 3. Recte imperare, ſeu voluntatem movere ad agendum, vel non agendum. Partes autem prudentiæ ſunt, 1. *Memoria* præteritorum eventuum, & mediorum, per quæ negotia felicem aut infelicem exitum habuerunt. 2. *Intelligentia*, ſeu accurata conſideratio, qua percipitur quid decens aut utile ſit, quidque indecens ac nocivum. 3. *Prævidentia*, qua futurum prævidetur. 4. *Solertia*, qua ſtatim invenitur quid in caſu improviſo ſit agendum. 5. *Docilitas*, qua

quis

quis paratus eſt ad aliorum conſilia ſuſcipienda. 6. *Ratiocinatio*, qua ex præteritis colligitur quid tunc ſit agendum. 7. *Circumſpectio*, qua accurate conſideratur quid conveniens ſit, habita ratione temporis, loci, & perſonatum. 8. *Cautio* impedimentorum conſecutionis finis adverſantium. 9. *Sollicitudo*, ſeu animi vigilantia, ad proſequenda media ad finem conducentia.

CAPUT VI.

De Juſtitia.

OMiſſis variis juſtitiæ acceptionibus, juſtitia pro virtute morali ſumpta definitur: *Voluntas conſtans, & perpetua jus ſuum unicuique tribuendi.* Dicitur *voluntas*, quæ hic non ſumitur pro animæ potentia, nec pro actu tranſeunte, ſed pro animi propenſione, qua inclinamur ad reddendum unicuique debitum. Dicitur *conſtans & perpetua*; quia, cum virtus debeat eſſe difficulter mobilis, pluribus actibus diuturnis ac ſæpius repetitis debet eſſe firmata. Dicitur *jus ſuum*, & id quidem ex ſtricta obligatione ita debitum, ut in reddendo ſervetur æqualitas, per quod juſtitia differt a Religione, & pietate, quæ æqualitatem non ſervant, cum nec Deo nec parentibus tantum poſſimus reddere, quantum debemus. Dicitur *unicuique tribuendi*, per quod notatur diſtinctio inter debitorem, & creditorem; nulla ſiquidem proprie eſt juſtitia ad ſe ipſum, ſed ad alterum.

Dividitur juſtitia in commutativam, diſtributivam, & legalem. Totuplex eſt enim juſtitia, quotuplex eſt ordo, ubi ſtatui poteſt æqualitas. Triplex eſt autem hujuſmodi ordo in Republica: Totius nimirum ad partes, ad quem reſpicit juſtitia diſtributiva, quæ præmia ac ſupplicia pro merito aut demerito diſpenſat: Partium ad totum,

pro quo inſtituitur juſtitia legalis, per quam quælibet pars ſe gerit prout bono totius expedit; & demum Partium ad invicem, juxta quem juſtitiam habemus commutativam, qua pars comparti quod ejus eſt retribuit.

Juſtitia commutativa alteri jus ſuum diſtribuit ſecundum proportionem Arithmeticam, attendendo ſcilicet æqualitatem rei ad rem inter debitum & creditum, nulla habita ratione ad dignitatem aut conditionem perſonæ, cui fit ſolutio: unde ſi recepiſti centum, teneris ex illa juſtitia reddere centum, tam ignobili quam nobili, tam diviti quam pauperi. Juſtitia autem diſtributiva jus ſuum alteri tribuit juxta proportionem Geometricam; id eſt, non ſecundum æqualitatem rei ad rem, ſed proportionis ad proportionem, meriti ſcilicet perſonarum, quibus fit diſtributio: ſic reportata ab hoſtibus ſpolia militibus diſtribuuntur, ſecundum quod majorem vel minorem habent proportionem ad victoriam; plus tribuendo v. g. Ducibus quam Gregario militi, digniori quam minus digno. Juſtitia vero legalis ſic dicitur, non quod agat conformiter ad Leges, cum id ſit cuilibet juſtitiæ commune; ſed quia membrum tribuit Reipublicæ quod ipſi debetur, juxta boni communis proportionem per Legum obſervantiam, etiam cum præjudicio boni particularis. Quoad juſtitiam vindicativam, ipſa potius ad diſtributivam quam ad commutativam reducitur; tum quia in ea proportio Arithmetica non ſervatur, ſed Geometrica; tum quia delinquens proprie jus non habet ad pœnam accipiendam; nec Superior eam ipſi non infligens eidem facit injuriam, prout non facit injuriam digniori, cui non confert Beneficium ipſi ſtricto jure non debitum. Quocirca.

Obſervandum eſt, juſtitiam commutativam differre a diſtributiva, quod hæc ſola ſit juſtitia proprie dicta, reddens alteri quod ſtricto jure illi de-

debetur: unde ex ea ſola oritur reſtitutionis obligatio, non autem ex diſtributiva, niſi quatenus commutativæ ſociatur. Sic Princeps, qui minus dignis, modo tamen dignis officia diſtribueret, peccaret quidem ob injuſtam Perſonarum acceptionem; ſed ad reſtitutionem non teneretur, quia ſtricto jure non tenetur utiliſſima quæque Reipublicæ procurare, modo neceſſaria eidem ſubminiſtret. Quod ſi vero officia indignis conferret, damna inde Reipublicæ emergentia reſarcire teneretur; quia, cum ſtricto jure Reipub. neceſſaria ſubminiſtrare teneatur, tunc ſimul peccaret contra juſtitiam diſtributivam & commutativam. Idem, propter eamdem rationem, dicendum eſt de Præfecto, cui a Rege mandatum eſt ut onera & veſtigalia ad æqualitatem diſtribuat, juxta cujuslibet commoditatis proportionem. Si quoſdam plus æquo oneret, aut exoneret, ad reſtitutionem tenebitur; quia cum Princeps ſtricte mandaverit talem ſervari proportionem, contra utramque juſtitiam diſtributivam & commutativam peccavit eam non ſervando.

Porro objectum materiale juſtitiæ ſunt actiones omnes, quibus cuique redditur quod ſuum eſt; formale vero eſt æqualitas debiti; nec enim circa has actiones verſatur juſtitia, niſi ut illam ſervet æqualitatem, & ut alienum ſervet integrum. Ex quo concludunt Theologi nullam perfectam juſtitiam eſſe poſſe, ſed tantum imperfectam inter Deum & creaturas, Patrem & Filium, Mancipium & Dominum; quia inter eos, prout tales, nulla reperitur æqualitas, cum nec creaturæ Deo, nec Filii Parentibus, nec Mancipia Dominis æquales ſint, aut æqualia reddere poſſint.

Ceterum cum juſtitia jus alienum reſpiciat, ſciendum eſt quid Jus, & juſtitiæ fundamentum; & quid Injuria, fundamentum reſtitutionis. Utrumque ſequentibus exponemus quæſtionibus.

QUÆSTIO I.

De Jure, & Juſtitia.

JUS tripliciter ſumitur. 1. Pro Lege, ſic dicitur jus naturale; jus divinum poſitivum, humanum, &c. 2. Pro eo quod juſtum eſt, & ſic eſt ipſamet virtus juſtitiæ ſuperius a nobis definita. 3. Sumitur hic pro *facultate legitima aliquid vel faciendi, vel prohibendi, vel obtinendi, vel retinendi, vel eo utendi, vel de eo diſponendi, quam facultatem nullus abſque injuria impedire poteſt.*

Dicitur *Facultàs legitima*, conceſſa ſcilicet per Legem ſive naturalem, ſive divinam, ſive humanam, facultas ſiquidem contra Legem non eſt jus, ſed injuria.

Dicitur *aliquid vel faciendi*, circa nimirum rem alinam in ſuum commodum, ſalva ejus ſubſtantia, v. g. Per alterius fundum tranſeundi, ad proprium aquam ducendi, &c. quæ facultas jus ſervitutis nuncupatur.

Dicitur *aliquid prohibendi*, ne ver. gr. domus vicini altius attollatur; aut feneſtra apetiatur, &c.

Dicitur *aliquid obtinendi*, v. g. Beneficium, quia quis graduatus eſt; aut hereditatem; quia proximus eſt conſanguineus.

Dicitur *aliquid retinendi*, in ſecuritatem debiti; & inde ſolutionem accipiendi, ſi debitor non ſolvat, ut in jure Hypothecæ & Pignoris.

Dicitur *aliqua re utendi*, ſeu fruendi, ſalva ejus ſubſtantia, & uſus juris appellatur.

Dicitur *de aliqua re diſponendi*, tamquam ſua in proprium commodum, quantum Lege permittitur, & *Dominium* vocitatur.

Dividitur autem jus, in jus in re, & jus ad rem. Jus in re, quod perfectum & completum dici-

tur,

tur, est illud quod immediate respicit rem ipsam, & in eam tribuit realem actionem; ita ut ad quemcumque devenerit, illam obligatam & devinctam faciat ei, qui in ea jus habet. Sic commodatarius & depositarius, & qui pignus accepit aut hypothecam, aut prætendit servitutem, licet dominium non habeant rei commodatæ, depositæ, in pignus aut hypothecam concessæ, aut servituti subjectæ, in ipsam *jus in re* habent; quia eam actione reali repetere possunt, ad quemcumque devenerit. Jus ad rem, quod imperfectum, & inchoatum dicitur, est illud, quod non respicit immediate rem ipsam, sed rei possessorem, nec tribuit realem actionem in ipsam rem, sed tantum in personam. Tale est jus donatarii & emptoris ad rem donatam & emptam, ante ejus traditionem: item & jus præsentati ac legitime electi ad Officium vel Beneficium, ante institutionem & possessionem.

Assignata juris definitione ac divisione, duas præcipuas juris species, ad quas ceteræ reduci possunt, usus nimirum ac dominium, sequentibus Articulis exponemus, quibus alterum adjiciemus de Contractibus, per quos maxime transfertur aut acquiritur dominium.

ARTICULUS II.

De Usu.

Not. 1. DUplicem esse usum, juris scilicet, & facti. Usus Juris est *Jus vel solummodo utendi, vel utendi simul vel fruendi re aliena, salva ejus substantia.* Dicitur, *vel solummodo utendi, vel utendi simul & fruendi*: nam qui habet solummodo Jus utendi re aliena, ipse uti non potest, nisi pro se aut suis, quantum quotidiana requirit necessitas, & jus istud vocatur

sim-

ſimplex Uſus Juris. Qui autem ſimul habet jus re aliena utendi ſimul & fruendi, poteſt etiam de fructibus ex re aliena perceptis lucrum reportare, ipſos vendendo, alienando, &c. & jus iſtud vocatur *Uſus fructus*. Dicitur, *re aliena*, per quod uſus diſtinguitur a dominio, quo quis re utitur tamquam ſua. Dicitur *ſalva ejus ſubſtantia*, quia nullus proprie eſt uſus juris circa res unico uſu conſumptibiles, ut panis, vinum, oleum, quorum poſt uſum ſubſtantia non remanet.

Not. 2. Uſus facti nihil eſt aliud, quam ipſemet actus utendi, ſeu actualis uſus, abſque ſtricto jure utendi; & ita ab altero dependens, ut ab eo, prout voluerit, ſit ſemper revocabilis. Per quod diſtinguitur ab uſu juris, qui non tantum facultatem præbet ea re utendi, ſed ea re utendi quodammodo devincit; ita ut illam proprio nomine applicare poſſit ad uſum ſuum, & ſi ab eo impeditur, veram patiatur injuriam, de qua conqueri valeat, ipſam tamquam ſuam, etſi aliena ſit, repetendo aut perſequendo; quæ dici non poſſunt de ſimplici uſu facti, ubi utens non habet ſtrictum jus utendi, quod dominium ſaltem utile ac indirectum importat.

Not. 3. Hinc celebrem ortam eſſe quæſtionem, occaſione Regulæ Fratrum Minorum, quorum Regula ſic habet cap. 6. *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem*. Utrum ſcilicet ſimplex uſus facti diſtinguatur a dominio in rebus unico uſu conſumptilibus. Dixi *unico uſu*; nam concedunt omnes, in rebus quæ non unico uſu, ſeu actibus plurimis conſumuntur, ut Veſtes, Libri, &c. dominium ab uſu ſeparari poſſe; cum quotidie harum rerum Domini uſum ipſarum aliis concedant, reſervato ſibi dominio. Sed agitur tantummodo de rebus, quæ unico actu conſumuntur, ut panis, vinum, oleum, &c. Circa quod

Di-

Dico: In rebus unico actu conſumptibilibus ſeparabilis eſt uſus facti a dominio.

Prob. 1. Auctoritate Sum. Pontif. Nicol. III. cap. *Exiit qui ſeminat*, de verb. ſignifi. in 6. Clem. V. Clementina: *Exivi de Paradiſo*. Alex. IV. Bull. *Uberes fructus*. Martin. V. Eug. IV. Nicol. V. Paul. II. Sixt. IV. affirmantium, Minoritas rerum unico uſu conſumptibilium, uſum tantum ſimplicem habere, earumque dominium penes donantes ſe habere; vel ſi dominium abdicaverint, penes Sedem Apoſtolicam exiſtere.

Prob. 2. Ratione multiplici. 1. Supradicti Pontifices affirmaverunt Franciſcanos paupertatem obſervare altiſſimam, qua major nequeat obſervari. Atqui major eſt paupertas, nullum jus habendi in rebus quibus utimur, ita ut pro libitu donantis revocari poſſit, quam aliquod jus his rebus utendi habere; Ergo. 2. Religioſus cujuſvis Ordinis, famuli in omni familia, ad prandium invitati habent tantummodo uſum facti, abſque ullo jure ac dominio ciborum ſibi oblatorum, cum uſus iſte ſit revocabilis ad nutum Superioris, Heri, ac invitantis; & eorum ciborum dominium proculdubio penes Religioſam Communitatem, Heros, ac invitantes, remaneat uſque ad ipſorum conſummationem. 3. Nullus poteſt eſſe alicujus rei donatæ dominus niſi voluerit. Atqui FF. Minores publice proteſtantur ac profitentur nullius rei, etiam unico uſu conſumptibilis, dominos eſſe velle. Ergo, &c.

ARTICULUS III.

De Dominio.

DOminium communiter definitur: *Jus ſeu facultas diſponendi de re tamquam ſua, quantum Lege permittitur.* Dicitur *Jus ſeu facultas*,

per

per quod convenit cum uſu, & aliis poſſeſſionibus, quia is qui uſum rei habet, in eam facultatem aliquam habet, aut poteſtatem. Dicitur *diſponendi de re tamquam ſua*; quia res, quæ poſſidetur, alio jure quam per dominium nec conſumi, nec diſtrahi, nec vendi, nec dari poteſt. Dicitur *quantum Lege permittitur*, per quod excluditur diſpoſitio rei contra Leges. Licet enim Pupillus ſit vere rerum ſuarum dominus, non poteſt tamen ante legitimam ætatem de his pro libitu diſponere.

Multipliciter dividitur Dominium. 1. Aliud eſt dominium proprietatis, de quo mox; aliud Juriſdictionis, quod eſt poteſtas legitima ſubditos liberos regendi. 2. Aliud eſt plenum & perfectum, quo quis proprietatem rei, & ejus emolumentorum habet, ita ut de ipſa re ac fructibus ejus diſponere poſſit; aliud imperfectum, quo quis habet ſolam proprietatem rei ſine uſu aut fructu rei, vel ſola rei emolumenta habet, ſine proprietate rei. Primus diſponere poteſt de ſubſtantia rei, eam donando, vendendo, &c. ſed non de fructibus ejus, idque dicitur dominium directum. Secundus diſponere poteſt de fructibus rei, ſed non de ipſa rei ſubſtantia, idque dicitur dominium utile ac indirectum.

De dominio exponendum eſt: Quinam, & quarum rerum dominium habeant; & quomodo acquiratur aut transferatur dominium, ſequentibus Paragraphis.

§. 1. *Quinam, & quarum rerum Dominium habeant.*

Not. SAtis eſt evidens, ſolum & omnem hominem dominii eſſe capacem, cum ſolus & omnis homo ratione ac libero arbitrio, quæ totius dominii fundamentum ſunt, ſit præditus, & ipſis mediantibus capax ſit, ſaltem in actu primo,

mo, de rebus externis tamquam ſuis diſponere. Dixi *ſaltem in actu primo*; nam actualis rationis uſus ad dominium non requiritur, quia parvuli ac perpetuo amentes bonorum ſuorum veri ſunt domini, licet eorum adminiſtrationem non habeant, juxta illud Gal. 4. *Quanto tempore heres parvulus eſt, nihil differt a ſervo, cum ſit Dominus omnium.* Exponendum igitur tantummodo ſupereſt quarum rerum homo ſit dominus. Circa quod

Quær. 1. Quarum rerum homo, prout homo, ſit dominus?

R. Homo innocens a Domino omnium creaturarum inferiorum accepit dominium, juxta illud Gen. 1. *Faciamus hominem, ut præſit, &c.* Sed poſt peccatum dominium iſtud remanſit quidem in genere humano, ſed non in quolibet individuo; quia poſt peccatum facta fuit rerum diviſio, quam Leges humanæ & conſuetudo firmaverunt. Quod ſi Diabolus Princeps hujus mundi dicatur in Evangelio, non eſt Princeps ut Judex & dominus, ſed velut tortor & carnifex ad electorum probationem.

Quær. 2. Utrum homo dominus ſit perſonæ ſuæ, famæ, vitæ, ac membrorum ſuorum?

R. 1. Hominem de libertate ſua poſſe pro libitu diſponere, ut patet Exod. 21. & Deut. 15. ubi conceditur Iſraelitis, ut alteri in ſervum perpetuum ſe tradant, & S. Paulinus in ſervum ſe obtulit, ad filium viduæ redimendum: & D. Petrus 1. Epiſt. c. 2. præcipit ut ſervi ad fidem converſi dominis, etiam diſcolis, morem gerant. Accedit quod plurimi poſſint eſſe legitimi tituli ſervitutis. 1. Titulus belli juſti; cum enim bellum jus conferat hoſtes interficiendi, cur non eos in ſervitutem redigendi? 2. Nativitatis titulus, quando quis ex matre ſerva naſcitur; *Partus ſiquidem ſequitur ventrem.* 3. Titulus damnationis ob delicta, quorum quis reus eſt.

4. Ti-

4. Titulus emptionis aut donationis, &c. Ergo ſervitus juri naturali minime repugnat, proindeque poteſt quilibet pro libitu ei ſe mancipare.

℟. 2. Homo dominus eſt ſuæ famæ, ut patet exemplo plurimorum Sanctorum, maxime Aug. lib. Confeſſionum, qui occulta peccata ſua manifeſtaverunt. Ratio eſt, quia homo actus præcipuos domini reſpectu famæ ſuæ exercere poteſt; nempe ipſam proprio labore comparare & augere, ablatam proprio nomine coram judice repetere, & ejus reſtitutionem condonare. Ergo hujus perfectus eſt dominus, modo tamen ipſius detrimentum non vergat in alterius detrimentum, quo ſenſu dicitur Eccli. 41. *Curam habe de bono nomine.*

℟. Homo in vitam ſuam & in membris ſuis imperfectum tantummodo dominium, non perfectum, habet; uſumfructum ſcilicet ſibi a Deo conceſſum, cum obligatione ſervandi rei ſubſtantiam; ſolus ſiquidem Deus vitæ & necis eſt Dominus. Ratio eſt, quia dominium perfectum importat ſuperioritatem, quam nullus in ſe ipſum habere poteſt: ex quo concluditur, nullum ſe ipſum occidere aut mutilare poſſe, nec ſemen proprium, quod vere eſt pars hominis præcipua, extra Matrimonium profundere, aut quaſi ex ſemetipſo præſcindere.

Quær. 3. Quarum rerum Filii familias dominium habere poſſint?

Antequam reſpondeam, ſciendum eſt quadruplicia bona Filiis familias competere poſſe. 1. *Caſtrenſia*, quæ in militia aut ipſius occaſione acquiruntur. 2. *Quaſi Caſtrenſia*, quæ Filiis familias obveniunt ratione Beneficii, vel Officii publici, vel profeſſionis ſcientiæ, aut cujuslibet artis liberalis, non autem mechanicæ. 3. *Adventitia*, quæ nec a Patre, nec intuitu Patris obveniunt Filio, ut ex labore comparata, aut caſu inventa, aut acquiſita per maternam hereditatem, teſtamentum, dona-

tio-

tionem, &c. 4. *Profectitia*, quæ Filio proveniunt vel a Patre vivente, vel ab occaſione Patris, principaliter. Quo poſito,

℟. Filios familias bonorum Caſtrenſium & quaſi Caſtrenſium plenum ac perfectum, directum ſimul & utile dominium habere. Adventitiorum autem habent quidem dominium directum, ſed Pater eorum uſumfructum & adminiſtrationem, niſi forte vel Pater huic adminiſtrationi renunciaverit, vel hæc bona data ſint Filio ea conditione, ne uſus fructus Patri concedatur. Quoad Profectitia, eorum dominium, tam directum quam utile, eſt penes Parentes.

Quær. 4. Quarum rerum dominium uxores habere poſſint?

℟. Earum bona triplicis eſſe generis. 1. *Paraphernalia*, quæ ab uxore adferuntur ultra dotem, cum ea ſaltem intentione implicita illa ſibi reſervandi. Horum bonorum dominium & adminiſtrationem habere poteſt. 2. *Dotalia*, quæ uxor tradit marito ad ſuſtentanda Matrimonii onera. 3. *Communia*, quæ tempore Matrimonii communi labore & induſtria acquiruntur. Iſtorum bonorum, dotalium, inquam, & communium, dominium quidem, ſed non adminiſtrationem habet.

Quær. 5. Utrum bona a Filiisfamilias in domo Paterna proprio labore comparata, profectitia ſint, an adventitia?

℟. Si Filiusfamilia in domo Patris remanens, aliquid lucratus fuerit ex ejus bonis ejuſque nomine & auctoritate negotiando, illud lucrum pertinet ad Patrem, tamquam profectitium, maxime ſi filius non declaraverit ſe nolle gratis laborare; quia tunc cenſetur ex pietate Patris negotia peragere. Ideo poſt obitum Patris nihil ex his bonis retinere poteſt in detrimentum heredum. Quod ſi ex ſolis operibus artificialibus lucrum reportaverit, illud tamquam adventitium re-

retinere poterit, si sic cum Patre convenerit, deductis tamen alimentis a Patre susceptis.

§. 2. *Quomodo acquiratur aut transferatur Dominium.*

Not. Circa hanc quæstionem, bona quælibet duplicis esse generis. Vel enim sub alicujus dominio sunt, vel non sunt. Quæ sub alicujus dominio sunt, acquiruntur Donatione, Venditione, aliisque Contractibus, sententia Judicis ob crimen perpetratum, Jure gentium, ratione scilicet Belli justi, & tandem Possessione & Præscriptione. Quæ autem sub nullius dominio sunt, vel numquam dominum habuerunt, ut animalia omnino silvestria & libera; vel aliquando habuerunt, ut bona a propriis Dominis derelicta. His notatis, multa quæruntur hic breviter exponenda.

Circa bona, quæ sub alicujus Dominio sunt.

Quær. 1. Quid & quotuplex sit Possessio?

R. Dupliciter sumitur possessio. 1. Pro facultate possidendi, & vocatur possessio Juris. 2. Pro ipsomet possidendi actu, & vocatur possessio facti. Prima definitur: *Jus instituendi rei tamquam suæ non prohibitæ possideri*. Dicitur *tamquam suæ*, non alterius: unde Tutor insistens rebus Pupilli non est possessor. Dicitur *non prohibitæ*; quia ubi Lex possessionem prohibet, nullum est jus possidendi; sic Laicus Decimas possidendi jus acquirere nequit. Possessio facti est *occupatio rei corporis, animi, & juris adminiculo*. Dicitur *occupatio*, id est inchoata vel continuata rei apprehensio, quæ dum realiter apprehenditur aut pedibus, aut manibus, dicitur vera: dum res quidem ipsa realiter non apprehenditur, sed aliquid fit per quod res censetur apprehensa, ut clavium traditio; ædium

inspe-

inſpectio, dicitur falſa. Dicitur *animi*, id eſt cum intentione rem apprehenſam retinendi; per quod excluditur naturalis tantum poſſeſſio, qualis reperitur in depoſitario, qui non ſibi, ſed deponenti rem depoſitam detinet; & ſola admittitur civilis poſſeſſio, quæ fit cum animo rem ut ſuam retinendi. Dicitur *& juris*, quia jure poſſeſſionem reprobante nulla eſt poſſeſſio, ut patet in exemplo rerum ſacratum, quæ a Laico poſſideri nequeunt. Non requiritur tamen ad rationem poſſeſſionis, quod ſit juſta, id eſt quod fundetur in legitimo titulo: Fur enim rem ablatam poſſidet poſſeſſione facti, quatenus res de ſe non eſt prohibita poſſideri, licet eam injuſte poſſideat.

Quær. 2. Quid ſit Præſcriptio?

R. Præſcriptio, ſeu uſucapio, quæ proprie dicitur de rebus mobilibus (præſcriptio enim de ſolis immobilibus dicitur) definitur; *Acquiſitio dominii alicujus rei per continuationem poſſeſſionis bonæ fidei, certo temporis ſpatio per legem determinato*. Ex qua definitione colligitur quinque requiri conditiones ad præſcriptionem.

1. Eſt Poſſeſſio, & ipſa non ſollummodo naturalis, ſed & civilis rei non prohibitæ: quo fit, ut omnis & ſolus capax proprio nomine poſſidendi ſibi præſcribere poſſit. Unde nec Religioſus, nec Tutor, nec Depoſitarius, nec Emphiteuta, &c. qui civiliter non poſſident, ſibi præſcribere poſſunt: nullaque dari poteſt præſcriptio rerum ſacrarum, quæ a Laicis naturaliter poſſidentur, nec rerum publicis uſibus deputatarum, viæ, pontes, &c. nec ſervitutis hominis liberi, nec obedientiæ Superioribus debitæ, &c.

2. Eſt Poſſeſſionis continuatio, quæ ſi interrumpatur, vel per horam, tempus effluxum ad præſcribendum erit inutile; unde non præſcribit, qui paulo ante temporis neceſſarii effluxum rem alienat,

nat, licet ſtatim poſt alienationem iterum illam compararet.

3. Eſt titulus præſumptus, donationis v. g. emptionis, ſucceſſionis, &c. Nec neceſſe eſt ut ſit verus, ſufficit quod bona fide credatur validus. Certus ſiquidem & verus citra præſcriptionem ſufficit ad dominium transferendum. Ubi notandum eſt in præſcriptionibus longiſſimi temporis, triginta ſcilicet aut 40. annorum, titulum non requiri, tum propter probationis difficultatem, tum quia præſumitur titulum adfuiſſe, niſi aliqua in contrarium habeatur præſumptio, & jus contradicat.

4. Eſt tempus a Lege definitum; nam pro rebus mobilibus cum titulo, tres anni inter præſentes, & quatuor inter abſentes; & ſine titulo, triginta anni. Præſentes cenſentur, qui in eadem Provincia & ſub eodem regimine commorantur; abſentes e contra. Pro rebus immobilibus contra privatum cum titulo requiruntur inter præſentes decem anni, & viginti inter abſentes: ſine titulo autem 30. anni, ut de rebus mobilibus dictum eſt. Contra Eccleſiam Romanam, & Summ. Pontificem in rebus immobilibus requiruntur 100. anni. Contra alias Eccleſias, Monaſteria, Hoſpitalia, Pias cauſas pro neceſſitate publica 40. anni: cetera videantur apud Juriſtas.

5. Eſt bona fides; id eſt judicium prudens, & fundatum, quo quis propter aliquem titulum invincibiliter ut verum apprehenſum, credit rem eſſe ſuam, & ut talem, incipit eam poſſidere: ubi notandum eſt 1. Poſſeſſor ſucceſſoribus ſuis fidem ſuam bonam aut malam tranſmittit, ſive eam noverit, ſivenon; proindeque heres, vel emptor rei, 10. annis bona fide poſſeſſæ, additis 20. annis Præſcritionem complet. E contra heres vel emptor rei, mala fide 10. annis poſſeſſæ, non præſcribit, niſi poſtquam ipſemet bona fide 30. annis

nis ipſam rem poſſedit. 2. Ignorantia facti præſumptioni non officit, bene quidem ignorantia juris clari, licet inculpata, v. g. Si emas aliquid a Pupillo, putans invincibiliter bona ſua abſque Tutoris auctoritate alienare poſſe, præſcribere non potes. 3. Dubium non officit præſcriptioni, ſi ſuperveniat poſſeſſioni bona fide inchoatæ, & moralis adhibita fuerit diligentia ad veritatem cognoſcendam: ſi autem adfuerit dum quis poſſidere incepit, aut ſi moralis non adhibita fuerit diligentia, dum poſt poſſeſſionis inchoationem dubium ſupervenit, non currit præſcriptio; quia tunc peccat, & bonam fidem amittit, proindeque legitimam præſcriptionem interrumpit.

Quær. 3. Utrum præſcriptio bonæ fidei dominium transferat in foro conſcientiæ?

R. Præſcriptionem bonæ fidei vere dominium in foro conſcientiæ transferre, ita ut, licet completa præſcriptione cognoſcas rem fuiſſe alienam, ad eam reſtituendam minime tenearis. Ratio eſt, quia non minor eſt legum auctoritas ad transferendum dominium per præſcriptionem, quam ad illud aſſignandum per bonorum diviſionem. Atqui auctoritate Legum legitime ac valide facta fuit rerum diviſio, & bona cuilibet fuere aſſignata, quæ jure naturali erant communia. Ergo Leges humanæ legitime ac valide, poſita præſcriptione, dominium transferre potuerunt. Deinde Eccleſia præſcriptionem bonæ fidei approbat, ut patet Cap. *Vigilanti*, Cap. *Ad aures*. Immo Cap. *Sanctor*, ſtatuitur, ut poſſeſſiones 30. annorum quiete teneantur. Ergo valida eſt præſcriptio in foro conſcientiæ, alias Eccleſia numquam eam approbaſſet, quia tuta conſcientia obſervari non poſſet.

Quær. 4. An poſſeſſor bonæ fidei faciat omnes fructus ſuos rei poſſeſſæ?

Ante reſponſionem obſerva primo, Fructus rei quaduplicis eſſe generis. 1. Quidam ſunt naturales,

les, quos natura ſponte ſua producit ſine ulla vel cum modica hominis induſtria, ut Poma Nuces, Ficus, &c. 2. Quidam mere induſtriales qui totaliter ex induſtria prodeunt, ut negotiat ex pecunia, quæ de ſe ſterilis eſt. 3. Nonnu ſunt partim induſtriales, partim naturales, qui pa tim ex induſtria, partim ex natura procedunt, ſegetes. 4. Alii tandem ſunt civiles qui ex jur diſpoſitione, & inſtituto ob rei uſum oriuntur, domorum aut jumentorum locatio. His notatis.

℟. 1. Poſſeſſor bonæ fidei, cum titulo ration biliter præſumpto, omnes facit fructus ſuos ex poſſeſſa ortos, etiam eos quo nondum conſumpſit

℟. 2. Poſſeſſor bonæ fidei, ſine titulo, nulle facit fructus ſuos (exceptis tamen mere induſtria libus) adhuc extantes, aut nondum conſumptos eoſque reſtituere tenetur, deductis tamen labor bus ſuis, & expenſis; quia fructus illos non fec ſuos irrevocabiliter, ſed tantum pro tempore bo næ fidei. Quoad eos quos jam conſumpſit, ipſe reſtituere non tenetur, niſi quatenus ex his factu eſt ditior. Ditior autem factus cenſetur, dum oc caſione rei poſſeſſæ Patrimonium auxit, vel ex c debita ſolvit, vel ſumptibus parcendo ordinarii rem in uſus domeſticos conſumpſit; ſed ditio non factus cenſetur, dum propterea latius, quan alias vixiſſet, vixit.

℟. 3. Malæ fidei poſſeſſor nullos (exceptis me re induſtrialibus) facit fructus ſuos, eoſque reſti tuere tenetur, ſive eos conſumpſerit, ſive non Immo quamvis nullos perceperit, ſi tamen Do minus eos percepiſſet, tenetur ei ſolvere pro rat ratione ad ſpem lucri probabilem, detractis tame expenſis ab ipſo Domino ad lucrum reportandum faciendis. Quod ſi res melior evaſerit, tenetu eam reſtituere ſicut tunc ſe habet, deductis tame expenſis a Domino faciendis, ut rem ſuam melio raret. Facta vero deteriore, tenetur Domino reſti

tuere

tuere in eodem ſtatu quo erat dum ei fuit oblata, vel æquivalens reddere.

Circa bona quæ ſub nullius ſunt Dominio.

Quær. 1. Quænam bona dicantur ſub nullius eſſe dominio, & quomodo acquirantur?

R. Plurima recenſentur. 1. Animalia ſilveſtria & libera, & piſces in aquis. 2. Gemmæ pretioſæ, theſauri antiquo tempore ſub terra occulti. 3. Silvæ communes. 4. Quælibet bona voluntarie a Dominis ſuis derelicta. Acquiruntur autem hæc bona, ſpectato Jure gentium, *Occupatione*, ſuntque invenientis, & primi occupantis. Sed de ſingulis enucleatim, breviter tamen, hic nobis eſt diſſerendum.

Quær. 2. Quid de animalibus ſilveſtribus & piſcibus ſit dicendum?

R. Animalia ſilveſtria omnino libera in publico loco, & non circumſepto vagantia (idem dic de Piſcibus) ſiunt primi occupantis, etiam contra voluntatem Principis venationem aut piſcationem prohibentis; licet enim venatores aut piſcatores quandoque graviter peccent, tranſgredicndo Legem juſtam Principis; fiunt tamen domini prædæ ſuæ, nec ad reſtitutionem tenentur. Dixi, *in loco non circumſepto*; ſi enim ſit circumſeptus, piſces & feræ cenſentur eſſe Domini illius loci. Aliud eſt de animalibus natura manſuetis & domeſticis, aut de animalibus natura quidem ſilveſtribus, ſed arte manſuefactis, & ad domum redire ſolitis. Hæc non fiunt primi occupantis, & Dominum ſuum retinent, etiamſi longius e domo Domini ſui evadant; niſi tamen diuturna vagatione indolem ferinam imbuerint, aut conſuetudinem redeundi amiſerint, tunc fiunt primi occupantis, quia libera ſunt. Porro fera vulnerata eſt vulnerantis, eam inſequentis cum morali certitudine

quod eam sit apprehensurus. Quod si eam non i sequatur, nec moraliter certus sit quod eam apprehensurus, primi occupantis est, non vulne rantis. Item fera aut piscis inextricabiliter laque inhærens, est laqueum ponentis; si vero extrica biliter laqueo inhæreat, sit primi occupantis.

Quær. 3. Quid de gemmis, & thesauris sit d cendum?

R. Licet Thesaurus dicatur in jure *Vetus quæ dam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria ut jam Dominum non habeat*; sub nomine tame Thesauri comprehenduntur pretiosa mobilia, u Vasa, Annuli, Gemmæ &c. Hæc omnia jure qui dem naturæ fiunt inventoris ac primi occupantis quia nullius esse censentur, sed jure civili statu tum est, ut Thesaurus quidem in fundo propri inventus, totus sit inventoris; inventus autem i fundo alieno, publico, aut sacro, vel inventu est fortuito, vel ex industria quæsitus est, absqu consensu Domini, Principis, aut Prælati. Si pri mum, media pars sit inventoris, & altera Domi ni fundi, aut Principis, aut Prælati, aut Eccle siæ, etiam ante Judicis sententiam: quia juris di spositio censetur sic divisisse ac determinasse do minium ac proprietatem. Si secundum, tot Thesaurus adjudicatur Domino fundi, Principi aut Prælato, idque in pœnam inventoris, in mes sem alienam falcem mittentis. Ideoque, ante Ju dicis sententiam, non tenetur inventor totum Thesaurum Domino fundi restituere; sed dumta xat mediam partem illi debitam, ratione alterius legis non pœnalis, eam Domino loci adjudicantis & dominium dividentis.

Quod si vero Thesaurum quis arte magica in fundo proprio invenerit, totus est Fisci; in alieno autem media pars fisci, altera pars fundi Domini, sed post Judicis sententiam: quia lex id statuens non est lata; sed ferendæ sententiæ, in pœnam criminis.

Pro-

Porro ſciens in agro alieno Theſaurum eſſe abſconditum, eum eodem pretio emere poteſt ac ſi ibidem non lateret, & empto agro totum Theſaurum retinere, nihil augendo de pretio agri, quia Theſaurus latens nec fructus eſt, nec pars ſubſtantiæ agri: ideoque nullius eſſe cenſetur, donec eruatur. Secus dicendum eſt de venis metallicis, & lapidicinis; quia cum naſcantur in fundo, ejus pars cenſentur, proindeque ad Dominum fundi pertinent.

Quær. 4. Quid dicendum ſit de pecunia in angulo domus inventa, cujus depoſitio non videtur antiqua?

R. Eam invenientis aut primo occupantis non eſſe; cum verus non ſit Theſaurus, nec jus naturale, nec civile in eam dominium inventi conferat. Unde ſi hæc pecunia continua ſucceſſione in eadem familia diuturno tempore manſerit, heredibus eſt reſtituenda; quia præſumitur ipſam ab aliquo ex hac familia fuiſſe occultatam. Quod ſi vero locatores plurimi in eadem permanſerint domo, ut in magnis Civitatibus contingit, nec ulla acquiri poſſit præſumptio ad quam familiam inventa pecunia pertineat, ſervanda videtur regula juris (L. *Omnes*) *Si peregrini inteſtati deceſſerint, ad hoſpitem nihil perveniet, ſed bona ipſius per manus Epiſcopi loci, ſi fieri poteſt, heredibus tradantur, vel in pias cauſas erogentur.*

Quær. 5. Quid de ſilvis communibus ſit dicendum?

R. Silvæ communes dicuntur eæ, quæ pro alicujus loci incolis ſunt deſtinatæ, ſicut deſtinata ſunt loca communia pro paſcendis illorum animalibus. Peccant mortaliter, & ad reſtitutionem tenentur extranei in his ſilvis lignantes; immo & incolæ, ſi lignentur tempore prohibito, aut cædant arbores prohibitas, aut animalia in eas ſilvas introducant contra prohibitionem. Excuſantur ta-

tamen, saltem a mortali, pauperes, si ex his præcise necessaria usibus suis asportent, nec damnum notabile inferant, quia Communitas censetur id pauperibus membris suis indulgere.

Quær. 6. Quid de bonis derelictis sit dicendum?

R. Certum est quidem, omnia bona derelicta esse primo occupantis; sed non omnia, quorum amissa est possessio, censenda sunt derelicta. Nam

1. Bona naufragorum non censentur derelicta, cum non sponte, sed metu naufragii fuerunt abjecta; unde si ab aliquo recuperentur, ipse illa Domino restituere tenetur, deductis tamen expensis pro eorum recuperatione factis. Nec obstat quod alias periissent hæc bona, quia res semper manet Domino suo, licet periclitetur.

2. Nec bona incerta furto sublata inter derelicta sunt censenda, sed ad pias causas sunt applicanda. Nulli siquidem iniquitas patrocinari debet; & Domini intentio præsumitur, quod velit nomine suo bona sibi sublata, quæ realiter recuperare nequit, eo meliori modo quo sibi prodesse poterunt, expendantur. Quod si post eorum bonorum distributionem appareat Dominus, hi quibus erogata sunt, ad restitutionem tenentur, si adhuc extent: si vero non extent, nihil restituere tenentur, nisi in quantum hinc facti sunt ditiores.

3. Nec res recenter perditæ pro derelictis sunt habendæ, nec fiunt primo occupantis. Debet igitur inventor Dominum earum diligenter inquirere, ac ipsi cognito, si commode fieri potest, restituere, deductis expensis, tum ad rei conservationem, tum ad ejus traductionem factis. Quod si non inveniatur Dominus, in pias causas sunt expendendæ. Ratio est, quia inventor nullo titulo, nulloque juris adminiculo harum rerum dominium acquirere potest; & quandiu extant, Domino suo, licet per accidens ignoto, semper clamare dicuntur; nec enim accidens istud ipsi dominium

nium aufert, aut alteri transfert. Ideo de his rebus diſponendum eſt juxta præſumptam ejus intentionem, eo ſcilicet meliori modo, quo ipſi prodeſſe poterit. Ubi tamen obſervandum eſt, inventorem, ſi pauper fuerit, rem inventam, cujus Dominus eſt ignotus, ſibimet applicare poſſe, cum præferentiam utique mereatur.

ARTICULUS III.

De Contractibus.

COntractus actus ſunt præcipui, quibus juſtitia exercetur, & dominium transfertur. De his nobis eſt agendum, tum in communi, tum in particulari, ſequentibus Paragraphis.

§. I. *De contractibus in communi.*

Not. CContractus ſic dictus, quod ſimul trahat partium voluntates, definitur: *Conſenſus duorum vel plurium ſigno ſenſibili expreſſus, quo mutuo libere ac legitime ſe obligant, vel ſaltem una pars alteri parti acceptanti ſe obligat*: unde contractus

Dividitur 1. in improprie ſeu late dictum, qui ex una tantum parte obligat, & dicitur *gratioſus*, quia per eum aliquid recipitur, & nihil rependitur: ut ſimplex donatio, promiſſio, depoſitum &c. & in proprie ſeu ſtricte dictum, qui ex utraque parte obligat; & dicitur *oneroſus*: ut emptio, locatio &c.

2. Dividitur in explicitum ſeu formalem, qui verbis aut ſignis utriusque contrahentis conſenſum exprimentibus perficitur: & in implicitum ſeu virtualem, qui fit tacita partium conventione, ut dum officium aliquod Tutoris ver. gr. Judicis &c. traditur & acceptatur.

3. Dividitur in nominatum, qui nomen habet proprium; ut venditio, locatio &c. & innominatum, qui nomen non habet proprium, ſed tantum generale conventionis, & quadruplex aſſignatur. 1. *Do ut des*: do tibi veſtem, ut tu des mihi equum. 2. *Do ut facias*: do tibi mille aureos, ut mihi domum ædifices. 3. *Facio ut facias*: coquam panem tuum, ut colas agrum meum. 4. *Facio ut des*: ſerviam tibi, ut des mihi alimenta: ubi ſub affirmatione negatio etiam comprehenditur, ver. gr. *facio ut non facias, do ut non des*. Hi contractus id proprium habent, quod ab eis pars contrahens reſilire poſſit, etiamſi eos ex ſua parte expleverit, ſi non impleverit altera: ver. gr. Dedi tibi pecuniam, ut ires Romam. Jure civili repetere poſſum pecuniam, ſi nondum ieris Romam, neque expenſis te ad iter præparaveris. In contractibus autem nominatis abſolute inſiſtendum eſt, dum ex una parte expleti ſunt, nec niſi mutuo conſenſu ſolvi poſſunt.

4. Dividitur in nudum, qui in mera conventione conſiſtit, nec ullo juris robore firmatur: ut donatio ſimplex ante traditionem, & in veſtitum, qui aliquo juris robore fulcitur, v. gr. traditione, juramento, ſcriptura &c. Contractus nudus ordinarie quidem non parit obligationem civilem; poſito tamen quod ſit verus, non minus obligat in foro conſcientiæ, quam veſtitus.

5. Dividitur in contractum bonæ fidei, ſic dictum, quia licitum eſt Judici nonnulla ex æquo moderari, licet contrahentes id non expreſſerint, ut locatio, conductio &c. & in contractum ſtricti juris, in quo Judex tenetur ſolis contrahentium verbis inſiſtere: ut cenſus, feudum &c. De Contractibus in genere,

Quær. 1. Quinam contrahere poſſint?

R. Omnis & ſolus capax eſt contractum ineundi oneroſum, qui capax eſt dominii in actu primo;

mo, & ſecundo, ſeu qui non impeditam habet bonorum ſuorum adminiſtrationem. Ideo ex his Contractibus ineundis excluduntur Amentes, Pueri, Religioſi, Pupilli, Minores, &c. quæ videri poſſunt apud Juriſtas. Dixi *Contractum oneroſum*: nam certum eſt hoc non requiri in contractu gratioſo ex parte gratificati, cum poſſit Pupillus, aut Minor rem datam, aut promiſſam acceptare.

Quær. 2. Utrum validus ſit Contractus abſque interno conſenſu, aut ſine animo ſe obligandi?

R. Hunc Contractum validum non eſſe, nec coram Deo obligatorium. Ratio eſt, quia tota vis contractus e contrahentium voluntate deſumitur: ut patet in Matrimonium ficte contrahente, qui juxta omnes Doctores toties fornicationis peccatum committeret, quoties cum prætenſa uxore ſua rem haberet. Nec obſtat quod inde ſequeretur neminem certum eſſe poſſe de donatione ulla aut promiſſione ſibi facta; quia nullus ſinceram donatoris aut promittentis intentionem penetrare poteſt. Nam libenter conceditur neminem ea de re certum eſſe poſſe certitudine phyſica, ſed ſufficit certitudo moralis, ut apud homines contractus rati habeantur.

Quær. 3. An Contractus errore initus ſit validus?

Antequam reſpondeam, notandum eſt 1. Duplicem eſſe errorem: alius eſt circa ſubſtantiam, dum non ponitur ſubſtantia rei, de qua factum fuit pactum, ut ſi loco auri detur auricalcum: alius circa qualitatem, dum res qualitatem non habet quam unus contrahentium ſperabat; ut ſi detur puella pauper, quæ putabatur dives. 2. Alius eſt error antecedens, qui ita eſt cauſa contractus, ut ſi non adeſſet, contractus non iniretur: ut ſi vinum recens tradatur emptori, qui credit eſſe vetus, & alias ipſum non eſſet emptutus: alius eſt error concomitans, qui non dat cauſam con-

tractui, ſed tantum ad contrahendum impellit; & contrahens ita cenſetur diſpoſitus, ut etiam e rore cognito adhuc contraheret, ſed non ita b benter. His poſitis,

R. 2. Error circa ſubſtantiam, qualiſcumqu ſit, etiam concomitans, contractum penitus irri tat; quia nullus eſt contractus ubi nullus eſt con ſenſus, nec ullus eſt conſenſus in rem ignotam aut non apprehenſam. Atqui errans, etiam con comitanter, circa rei ſubſtantiam, ipſam nec agno ſcit, nec apprehendit. Ergo in eam minime con ſentit. Nec refert, qu[illegible] conſentire ſit diſpoſitus cum neceſſe ſit ad contractus validitatem, ut fa cto conſenſerit.

R. 2. Error antecedens circa qualitatem rei contractum reddit invalidum, dum nempe quali tas, falſo apprehenſa, eſt motivum principale ſeu ratio finalis contrahendi: ut ſi quis ſumman pecuniæ alteri ſubſtituat, quod pauper eſt, ve ipſius conſanguineus, qui tamen dives foret, aut danti extraneus, donatio nulla eſſet; quia cum donantis animus non feratur in rei ſubſtantiam, niſi quatenus hæc circumſtantia eſt veſtita, ſi non adſit illa qualitas, nullus eſſe poteſt verus con ſenſus.

R. 3. Error concomitans circa qualitatem rei, contractum non irritat; dum qualitas in ſubſtan tiam rei non redundat, nec eſt ratio finalis, ſed tantum cauſa impulſiva contrahendi; ut ſi quis eleemoſynam daret pauperi improbo, quem pro bum credebat, valet eleemoſyna, licet forte ei non dediſſet, ſi improbitatem ejus agnoviſſet; quia tunc adeſt verus, & abſolutus conſenſus circa ip ſam rem, nec animi affectio dantis eleemoſynam non efficit quominus hic & nunc conſentiat, ſed dumtaxat quod non conſenſiſſet.

Quær. 4. Quo pacto dignoſci poſſit, qualitatem rei falſo apprehenſam, cauſam eſſe contractus

prin-

principalem & finalem, aut tantummodo impulſivam?

R. Error circa qualitatem cenſetur eſſe cauſa contractus principalis, & in rei ſubſtantiam redundare, ſi contrahens de errore cogitans, exterius vel interius ac ſerio diceret ſe nolle contrahere, niſi ſtante tali qualitate; quia tunc contractus eſſet conditionatus, & deficiente conditione non ſubſiſteret. Quod ſi de errore ne quidem cogitaret, aut ſi de eo cogitans nihil interius, aut exterius proferret; tunc error cenſeretur eſſe tantum cauſa contractus impulſiva, in ſubſtantiam rei minime redundans: ſic qui non cogitaret an equus, quem emit, ſit ſanus aut infirmus; an puella, quam ducit, ſit nobilis, aut ignobilis; dives aut pauper; vel ſi in contrahendo de his quidem cogitaret, ſed nihil determinatum proferret, validi eſſent contractus emptionis, aut Matrimonii, licet contractum non iniiſſet, ſi equum eſſe infirmum, & puellam ignobilem, & pauperem cognoviſſet. Econtra ſi ſerio proteſtatus eſt, ſe non velle emere equum, niſi ſuppoſito quod ſit ſanus, aut nubere niſi Puellæ diviti ac nobili, nulla eſt emptio, nec validum eſt Matrimonium.

Quæſt. 5. Utrum validus ſit contractus fraude vel dolo initus?

R. Ex ſupra dictis patet, fraudem circa rei ſubſtantiam & circa qualitatem in rei ſubſtantiam redundantem, irritum reddere contractum; non vero fraudem, quæ non fuit cauſa finalis contrahendi, quia, ut jam dictum eſt, fraus illa, vel dolus conſenſum circa ſubſtantiam rei non aufert. Ideo ſi pars decepta hunc contractum ratum habere velit, deceptor ab eo reſilire non poteſt. Deceptus autem illum reſcindere poteſt, & injuriam ſibi illatam a ſe excutere, etiam ante omnem Judicis ſententiam. Quod tamen locum non habet ubi contractus non eſt diſſolubilis qualis

est Matrimonialis. Quod si fraus vel dolus a nullo contrahentium, sed a tertio quodam fuerit illatus, valet quidem contractus, sed damnum hinc vel inde illatum unusquisque contrahentium resarcire tenetur, & rem ad æqualitatem adducere.

Quær. 6. An validus sit contractus, gravi metu initus?

Prius quam respondeam, observandum est, metum oriri posse vel ab intrinseco, ut metus Gehennæ, vel ab extrinseco naturali, ut metus naufragii, vel ab extrinseco libero juste incutiente, ut metus mortis latronibus a Magistratu incussus, vel ab extrinseco libero injuste incutiente, ut metus mortis aut expoliationis viatori a sicario incussus. Hoc notato,

R. 1. Metum gravem ab intrinseco, & ab extrinseco naturali, & ab extrinseco juste incusso ortum, contractum non irritare. Quia, licet hi contractus sint secundum quid involuntarii, sunt tamen, ut alibi probatum est, absolute & simpliciter voluntarii, sic qui peregrinationem vovit ut e naufragio eriperetur, validum est votum: sic qui promittit transeunti 100. aureos, ut eum e sicariorum manibus eripiat, tenetur in conscientia solvere: sic qui ob inita sponsalia metu excommunicationis ad Matrimonium ineundum compellitur, validum est Matrimonium, &c.

R. 2. Contractus ex metu gravi ab extrinseco injuste incusso initus, juro quidem naturæ validus est, sed rescindibilis est ad arbitrium vexati, modo non sit juramento firmatus. Dixi 1. quod jure naturæ sit validus, quia simpliciter & absolute est voluntarius: unde si ob metum gravem emptionis contractus fuisset initus, vexatus invito vexante huic insistere posset, & vexans ab eo resilire non valeret. Dixi 2. quod ad arbitrium vexati sit rescindibilis, & hoc auctoritate propria, ante cu-

cujuslibet Judicis ſententiam, quia ſicut vexans tenetur in conſcientia injuſte vexatum indemnizare, ita damnum paſſus poteſt per contractus reſciſſionem indemnem ſe reddere. Dixi 3. *modo non ſit juramento firmatus*, ob ſummam divino nomini debitam reverentiam.

Ex hac generali regula excipiuntur Matrimonium, Profeſſio Religioſa, votum, contractus dotalis, &c. qui metu gravi initi jure poſitivo ſunt irriti. Item excipiuntur contractus gratioſi, promiſſio, donatio, &c. qui ipſo jure naturæ ſunt irriti; quia liberatio ab injuſta vexatione vendi non poteſt ab eo, qui alium vexat injuſte; cum ipſa vexatio ſit debita, & ipſe jus habeat ut a vexatione liberetur: quo fit, ut qui liberationem a vexatione injuſta alteri venderet; id eſt, qui aliquid exigeret aut reciperet, ut alium non vexaret, venderet utique quod ſuum non eſt, cum alteri ſcilicet vexato ſit debitum. Venditio autem rei non ſuæ, & emptori jam debitæ, jure naturæ eſt irrita. Unde ſi volenti domum tuam incendere, aut te occidere, des aut promittas ſummam pecuniæ ut a propoſito deſiſtat, nulla eſt jure naturæ donatio aut promiſſio.

Quær. 7. Quid de contractu ſub conditione inito ſit dicendum?

Adverte prius conditiones multiplicis eſſe generis. 1. Alia eſt de præterito, alia de præſenti, alia de futuro. 2. Alia eſt contingens, ut promitto tibi 100. dupliones, ſi fratrem tuum adeas; alia neceſſaria, ſi cras ſol oriatur; alia impoſſibilis, ſi digito Cœlum tangas. 3. Contingens conditio, alia eſt in poteſtate illius cui imponitur: alia, quæ non eſt in ejus poteſtate: alia demum quæ partim eſt in ejus poteſtate, partim non; ut promitto tibi 100. numinos, ſi huic mulieri ſuadeas mecum nubere. 4. Conditio alia eſt honeſta, alia indifferens, alia turpis, quæ vel rem malam con-

tinet, vel eſt impedimento boni, vel obligationi præcedenti adverſatur. His notatis

℟. 1. Conditio de præſenti, vel præterito contractum non ſuſpendit; ideo ſtatim ac eſt initus vim habet, ſuppoſita conditionis exiſtentia: quod ſi vero non adfuerit, ſtatim nullus eſt. Idem dicendum eſt de conditione, de futuro neceſſario, cognito ut tali, quia æquivalet conditioni de præſenti.

℟. 2. Conditio de futuro contingenti ſuſpendit contractum uſque ad illius eventum, niſi velint contrahentes contractum ab initio valere, poſito quod conditio eventura ſit; quo caſu verus eſſem ab initio dominus rei mihi traditæ: quæ ſi fructificaret ante conditionis exiſtentiam, fructus ejus mihi facerem.

℟. 3. Conditio impoſſibilis & turpis contractum irritat, tum quia in conditione impoſſibili contractus purificari nequit, id eſt non poteſt impleri hæc conditio; tum quia nullus obligare vel obligari poteſt ad turpe. Excipiuntur tamen ultimæ voluntates, Teſtamentum, & Matrimonium, in quibus conditiones turpes vel impoſſibiles, ſi non ſint contra contractus ſubſtantiam, ex diſpoſitione juris & præſumptione habentur ut non adjectæ, quia ſcilicet Teſtator non præſumitur velle heredibus illudere, & nubens ſacrilegium perpetrare.

℟. 4. Contractus ſub conditione poſſibili & licita de futuro, poſita conditione, ſtatim abſque novo conſenſu obligationem parit; quia ipſa poſita purus ſit & abſolutus. Quod ſi dicatur conſenſum non amplius exiſtere; reſpondendum eſt, non exiſtere quidem phyſice, ſed moraliter, quod proculdubio ſufficit ad cujuslibet contractus validitatem. Excipitur tamen Matrimonium, cujus celebratio a Parocho præſente non admittitur, niſi celebretur pure & abſolute, remotis omnibus conditionibus.

Quæ-

Quær. 8. Utrum validus ſit in conſcientia contractus jure civili nullus?

R. Negative. Ratio eſt, quia Leges civiles obligant in conſcientia. Ergo ſi Leges contractum tali ſolemnitate deſtitutum, irritum declarantes, rei de qua facta eſt conventio, prohibeant dominium, ſubditi ad illius ceſſionem in conſcientia tenentur. Deinde ſi homines privati ſuis conventionibus quaſdam conditiones poſſunt apponere, quibus deficientibus non ſtabunt conventiones; cur id non poſſent ſupremi Principes erga ſubditorum ſuorum contractus propter bonum commune? Hic tamen breviter notandum eſt, nonnullos eſſe contractus, quos etſi Leges civiles non foveant, eos tamen nec condemnant, nec irritant, proindeque ipſos in foro conſcientiæ validos eſſe, licet in foro civili nullam actionem conferant; talia ſunt nuda pacta plurima, quæ licet nullis veſtiantur ſolemnitatibus, ſubſiſtunt tamen in foro conſcientiæ, propter naturalem quam quiſque habet obligationem conventiones bona fide initas obſervandi.

§. II. *De Contractibus in particulari.*

DE omnibus enucleatim Contractibus mens noſtra non eſt hic agendi; ne contra brevitatem propoſitam, quaſi in immenſum excreſcat Opuſculum iſtud. De magis obviis ad praxim neceſſariis breviter hic ſermonem faciemus, & primo,

De Promiſſione.

Quær. 1. Quid ſit vera, obligans, ac proprie dicta Promiſſio?

R. Promiſſio eſt *ſincera, deliberata, ſpontanea, & gratuita fidei obligatio, alteri facta, de re licita,*

cita, possibili, ipsique grata & ab eo acceptata. Dicitur *Sincera*; nam ficta sine animo se obligandi, non obligat vi promissionis, licet fictus promittens teneatur damnum, quod patitur promissarius ratione fictionis. Dicitur *deliberata*; unde semiplene deliberata nullatenus obligat, quia nullus vellet se obligare, nisi plene deliberans. Dicitur *spontanea*; id est libera a metu aut violentia; alias vel nulla esset, vel saltem rescindibilis. Dicitur *gratuita*; ut distinguatur a promissionibus onerosis, ubi promissio est reciproca. Dicitur *de re licita & possibili*; quia ad malum aut impossibile nullus teneri potest. Dicitur *ipsi grata*; quia cum fiat in gratiam & utilitatem promissarii, si executio futura sit ei noxia vel ingrata, cessat obligatio. Dicitur *acceptata*; quia secluſa acceptatione tacita vel expressa non dicitur promissio, sed simplex pollicitatio, obligans quidem ex veracitate, non autem ex justitia; quia promissio ante acceptationem promissarii nondum est conventio, seu duorum consensus in idem; obligatio autem ex justitia non oritur nisi ex mutuo duorum consensu.

Quær. 2. Quanta sit promissionis obligatio?

Re. Cui ficta promissio obliget tantum ex veracitate, regulariter sub mortali non obligat, sed sub veniali; quia si violetur, erit dumtaxat leve mendacium. Dixi *regulariter*; nam si promissarius inde damnum notabile pateretur, si nempe propter eam bona quædam alienasset, aut ex sua parte aliquid impleſſet, violans promissionem peccaret mortaliter, & ad indemnizationem teneretur. Sincera autem, & acceptata promissio, cum obliget ex justitia, obligat sub mortali in materia gravi; quæ materia in promissione duplo, aut etiam, juxta multos Doctores, quadruplo major esse debet quam in furto, ad mortale peccatum constituendum. Siquidem censetur major injuria

juris alicui, ſi ei aureum unum auferatur, quam ſi eidem tres aut quatuor liberaliter promiſſi non ſolvantur.

Quær. 3. Quandonam ceſſet promiſſionis obligatio?

℟. Multipliciter. Dum promiſſarius promittendi obligationem remittit. 2. Dum res promiſſa facta eſt illicita aut impoſſibilis. 3. Dum nociva facta fuit aut inutilis promiſſario. 4. Dum promittens novit non extare cauſam principalem, propter quam promittit, quod v. g. non accepit Beneficium, quod a promiſſario accepiſſe credebat. 5. Dum abſque promittentis culpa ſupervenit talis mutatio aut circumſtantia, quæ prævideri non potuit; quamque ſi promittens prævidiſſet, merito noluiſſet promittere, v. g. ſi promiſſarius factus eſt promittentis hoſtis capitalis; ſi puella cui promittens ſponſalia duxit, facta ſit meretrix, aut fuit corrupta.

De Donatione.

Quær. 1. Quid & quotuplex ſit donatio?

℟. Donatio eſt *rei aut juris alicujus gratuita conceſſio*. Præcipue dividitur in donationem inter vivos, & donationem cauſa mortis. Per priorem donator in donatarium rei datæ dominium transfert; per poſteriorem donatarius hujus rei dominium nonniſi poſt mortem donatoris acquirit. Prior reſcindi non poteſt, niſi propter gravem donatarii ingratitudinem, ſi nempe donatorem gravibus affecit injuriis, ſi grave damnum in illius bona, & perſonam intulerit, ſi ad victum neceſſaria eidem denegaverit. Porro donatio inter vivos ſola traditione perficitur, qua nondum extante donatarius habet tantum jus ad rem & actionem in perſonam donantis, non autem jus in re & completum.

Quær. 2. Quænam ad validitatem donationis conditiones ſint neceſſariæ?

℟. Ne-

R. Neceſſe eſt 1. Ut donator rei, quam vi dare, dominium atque adminiſtrationem habeat lege non prohibitam. 2. Ut donatarius eam rec pere poſſit. 3. Ut res donata non ſit obligat 4. Ut fiat cum debitis ſolemnitatibus a jure r quiſitis, quas apud Juriſtas videre licet.

De Teſtamentis.

Quær. 1. Quid ſit Teſtamentum, & quæ ſi ejus ſpecies?

R. Teſtamentum in genere eſt *quælibet ultri voluntas, ſeu diſpoſitio de eo, quod quis poſt m rem ſuam vult fieri*. Hujus quinque ſunt ſpecie 1. Teſtamentum ſtricte ſumptum, quod definit *voluntatis juſta ſententia*; id eſt, cum debitis ſ lemnitatibus, numero ſcilicet Teſtium, & Hei dis inſtitutione, *de eo quod quis poſt mortem vu fieri*. 2. Codicillus, quo circa Teſtamentum al quid explicatur, additur, demitur, aut immut tur. 3. Legatum, quo Teſtator ex his quæ fore heredis, aliquid alteri confert. 4. Fideicommi ſum, quo Teſtator ſui hæredis fidei aliquid con mittit alteri tribuendum. 5. Donatio mortis ca ſa, de qua mox diximus.

Quær. 2. Utrum Teſtamentum non ſolemn id eſt abſque juris ſolemnitatibus celebratum, v leat tùm ad pias, tum ad profanas cauſas?

R. Nonnulli cenſent Theologi Teſtamenta exc pi debere a regula generali ſtatuente contractus ju re civili irritos, nec in foro conſcientiæ valere Sed immerito; tum quia Teſtamenta Principu Legibus non minus ſubjiciuntur, quam ceteri cot tractus; tum quia ratio, propter quam alii co tractus non ſolemnes a Legibus irritantur, nc minus urget erga Teſtamenta, quam erga ali contractus; nempe ut vitentur fraudes, & ſerv tur familiarum pax & Reipublicæ tranquillitas.

Nec

Nec obſtat 1. quod juri naturali ſit contrarium quod homo, licet morti proximus, de rebus ſuis pro libitu ſuo diſponere non poſſit ob quarumdam ſolemnitatum defectum, quas aliquando obſervare non poteſt. Reſp. enim omnino juri naturali conforme eſſe, ut quilibet juſtis Reip. Legibus ſubjiciatur, & pars de ſuis bonis non diſponat contra Legum ſtatuta in detrimentum boni communis.

Nec obſtat 2. Teſtamentum non ſolemne celebratum fuiſſe abſque ulla vel leviſſima fraudis ſuſpicione. Siquidem ſufficit, ut fraus adeſſe potuerit, nec Lex, ut alibi dictum eſt, fundatur in præſumptione facti particularis, ſed in generali præſumptione periculi fraudis.

Secus dicendum eſt de Teſtamentis ad pias cauſas, quæ licet juris civilis ſolemnitatibus ſint deſtituta, obligant in conſcientia, modo omnia jure naturali requiſita habeant; quia Leges civiles, ſi quæ ſint circa hæc Teſtamenta, nullam vim obtinere poſſunt ad impedienda bona opera in ſalutem animarum vergentia. Dixi, *ſi quæ ſint*; nam in Gallicis Legibus cautum eſt, ut Heredes ad inteſtato legata in pias cauſas ſolvant, quamvis irritum ſit Teſtamentum defectu debiti numeri teſtium.

Quær. 3. Utrum Heres per fideicommiſſum poſſit tuta conſcientia hereditatem tradere fideicommiſſario, quem Leges a ſucceſſione excludunt?

R. Negative ob rationem generalem; quia Leges juſtæ non in foro tantum exteriori, ſed & in foro conſcientiæ obligant. Unde qui per fideicommiſſum hereditatem aut legatum accepit filio naturali aut Conjugi ubi id a Lege vetitum eſt, deferenda, tenetur in conſcientia hereditatem aut legatum deferre heredibus ab inteſtato; & Filii aut Conjuges a Lege prohibiti hæc bona juſte retinere non poſſunt.

De Depoſito, Commodato, & Mandato.

Quær. 1. Quid horum contractuum nomine intelligatur?

R. Depoſitum eſt *contractus, quo res aliqua cuſtodienda alteri traditur, & ab altero ſic acceptatur.* Commodatum eſt *contractus, quo alicujus rei uſus alteri gratuito conceditur, uſque ad certum tempus, ante quod repeti non poteſt.* Precarium dicitur, *dum uſus conceſſus quovis tempore eſt revocabilis.* Mandatum eſt *commiſſio alicujus rei gratis gerendæ, facta alteri gratis acceptanti.*

Quær. 2. Quænam ſint obligationes horum Contractuum?

R. Depoſitarius, 1. Tenetur rem integram reſtituere. 2. Nihil retinere poteſt pro rei cuſtodia, niſi vi alterius contractus. 3. Non poteſt rem depoſitam in ſuos uſus convertere, nec ex ea fructus percipere, niſi deponens in hoc tacite vel expreſſe conſentiat. 4. Ad reſtitutionem tenetur, ſi gravi ejus culpa res perierit; immo ſi ex levi, cum aut indemnizationem promiſit, aut de pretio pro illius cuſtodia convenit, aut cum a deponente repetita fuit, ſed non reddita, fortuito perit, vel deterioris facta fuit conditionis.

Commodatarius, 1. Tenetur rem eadem cura, qua ſuam, conſervare. 2. Non poteſt uti re ad alium uſum, quam pro quo commodatur. 3. Tenetur rem præfixo tempore reſtituere. 4. Si res gravi ſua culpa, immo & levi (cum ſit in ejus commodum) periit, ad reſtitutionem tenetur; non autem ſi fortuito, quia tunc perit domino ſuo. Commodans autem, ſi intempeſtive commodatum revocaſſet, aut rem vitioſam non detecto vitio commodaſſet, ex quo alter damnum incurriſſet, ad indemnizationem teneretur.

Mandatarius tenetur, 1. Mandatum fideliter adim-

adimplere; ita ut mandato male peracto, vel non peracto, teneatur Mandantem indemnizare, nisi rempestive mandati acceptionem revocaverit. 2. Non potest Mandantis fines excedere, alioquin damnum inde ortum tenetur sustinere. 3. Nullam mercedem ex opera sua gratis promissa absque injustitia exigere aut retinere potest. Mandans autem Mandatarium indemnem reddere tenetur in his, quæ occasione Mandati expendit, & in quibus fortuito damnificatus est. Item tenetur Mandans ratum habere, quod a Mandatario bona fide ac prudenter gestum est.

De Locatione, & Conductione.

Quær. 1. Quid sint Locatio & Conductio?

R. Locatio est *Contractus, quo res vel persona ad usum, vel ad fructum pro pretio conceditur.* Conductio vero est *contractus, quo merces conceditur pro re, vel persona ad usum vel fructum.*

Quo fit ut idem contractus, qui ex parte rem locantis est locatio, sit conductio ex parte rem accipientis. Dicitur *pro mercede*, quæ debet esse pecunia; alioquin non esset locatio conductio, sed quilibet alius contractus innominatus.

Quæ. 2. Quænam sint Locatoris obligationes?

R. Eas esse multiplices. 1. Tenetur rei locatæ periculum sustinere, cum sit verus ejus dominus, nisi aliter conventum fuerit. 2. Tenetur detegere rei locatæ vitia, etiam occulta, quæ locatario seu conductori damno esse possent: immo tenetur rem locatam probare, utrum sit vitiata, sin minus damna resarcire. 3. Tenetur remittere, vel saltem minuere, agri v. gr. locati pretium, si fortuito nullus ex eo, vel modicus fructus collectus; nisi tamen ubertas præcedentis, vel subsequentis anni valeat præsentis sterilitatem compensare.

ſare. 4. Non poteſt domum ſuam locare Meretricibus, uſurariis publicis, Comœdis, & hoſpitibus cubicula exhibentibus ad chartarum, & alearum ludos, quin omnibus eorum peccatis communicet. 5. Famulus, qui famulatum ſuum locavit Hero, ab ejus ſervitio abſque rationabili cauſa, ante tempus definitum, diſcedere non poteſt; & ſi diſcedat, nihil ei debetur, immo de damnis ex deſertione ſecutis Herum indemnem ſervare tenetur; niſi forte in periculo mortaliter peccandi per malitiam Heri ſui conſtituatur. 6. Artifex, qui operas ſuas locavit, tenetur de pretio reſtituere quod plus accepit, quam valent operæ impenſæ.

Quær. 3. Quænam ſint Conductoris ſeu locatarii obligationes?

R. Tenetur 1. eamdem numero rem in bono ſtatu locatori reſignare. 2. Non poteſt rem locatam ante tempus conſtitutum deſerere, ſicut viciſſim nec locator poteſt a conductore ante tempus repetere, alias uterque damna tenetur reſarcire. 3. Si conductor ab uſu rei locatæ impediatur caſu fortuito, cui cauſam non dedit, a penſione ſolvenda excuſatur; non vero ſi huic impedimento dederit cauſam. 4. Conductor famuli non poteſt abſque gravi cauſa famulum conductum e ſervitio ſuo expellere ante tempus definitum; ſin autem tenetur totius temporis ſalarium ipſi retribuere, ſuppoſito quod dimiſſus aliud ſimile comparare non poſſit. 5. Si quis pro aliquo opificio conduxit Artificem, qui ignoranter vel imprudenter laboris ſui juſtum non petiit pretium, tenetur ex juſtitia illud augere, ut mox dicetur.

De Emptione, & Venditione.

Quær. 1. Quid ſit Emptio, & Venditio?

R. *Eſſe contractum, quo Merx commutatur pro pretio determinato.* Merx eſt omnis res vendibilis

ſeu

ſeu pretio æſtimabilis; ut ſunt res omnes mobiles & immobiles, quæ hominum poteſtati & uſibus ſubjacent: item actiones & jura, quæ pecunia ſolent comparari. Pretium autem eſt pecunia, per quod emptio venditio differt a permutatione, qua res datur pro alia re.

Quær. Quomodo rei venditæ transferatur dominium?

R. Cum per ſolum conſenſum hic contractus perficiatur, ita ut ſimul ac duo de pretio convenerunt, neuter reſilire poſſit; ubi res determinata vendita fuit, licet nondum fuerit tradita, nec ſoluta, per ſolam venditionem fit emptoris, ipſique perit, ſi caſu fortuitoque abſque culpa venditoris pereat. Dixi *re determinata*; ſi enim indeterminata ſit, v. g. Ovis una ex pluribus, aut modium non menſuratum ex acervo tritici; Ovis ante ejus traditionem, & modium ante menſurationem venditori perit, ſi emptor non ſit in culpa. Quia rem indeterminatam aut ad menſuram nullus emit, niſi ſub hac tacita conditione, ſi res tradita fuerit vel menſurata, vel ponderata. Porro cum hujuſce contractus juſtitia in eo ſit, quod inter mercem & pretium ſervetur æqualitas,

Quær. 3. Quotuplex ſit juſtum pretium?

R. Duplex eſſe juſtum pretium: legale ſcilicet, quod a Lege aliqua determinatum eſt; & naturale ſeu vulgare, quod prudenti hominum æſtimatione ſtatuitur. Prius in indiviſibili poſitum eſt; unde venditori & emptori, abſque rationabili cauſa, illud augere non licet. Poſterius autem aliquam habet latitudinem, & dividitur in ſummum ſeu rigoroſum, ultra quod juſte altius provehi non poteſt: medium ſeu moderatum, ultra quod vel infra juſte provehi, aut deprimi poteſt; & infimum ſeu pium, infra quod juſte deprimi non poteſt. Ita ut ſi medium pretium ſit centum, infimum poterit eſſe nonaginta quinque, & ſum-

mum

mum circiter centum & quinque, juxta prudentum exiſtimationem. Si quis igitur, etiam ſeclusa fraude, & dolo, carius vendiderit, aut vilius emerit quam ferat ſummum aut infimum pretium, juxta communem prudentum exiſtimationem ad reſtitutionem tenetur. Circa quod

Quær. 4. Undenam vulgare rerum pretium peti debeat?

R. 1. Illud pretium peti ex variis circumſtantiis. 1. Ex penuria vel copia mercium, emptorum, venditorum, aut pecuniæ. 2. Propter damnum ex venditione emergens, aut lucrum ceſſans, aut verum atque extraordinarium ſortis periculum: modo ea de re venditor emptorem moneat. 3. Propter modum vendendi, ſecluſa fraude vel dolo, ſi res vendantur ſub haſta, in diſceſſu, minutatim, &c.

R. 2. Pretium illud non peti 1. ex ſola emptoris utilitate aut venditoris neceſſitate; quia alienum commodum aut neceſſitas dominio noſtro non ſubjacent. 2. Nec ex præterito venditoris damno, quod non ex venditione oritur, ſed ex ſua culpa, imprudentia, aut fortuito infortunio ipſi evenit; quia damnum illud, ab ipſa venditione non oriens, emptor compenſare minime tenetur. 3. Nec ex eo quod præſens numeretur pecunia, vel promittatur tantum, niſi ab ipſa venditione oriatur damnum emergens, & lucrum ceſſans, & periculum ſortis extraordinarium, pretio æſtimabile; quia ſolutionis expectatio eſt mutuum, a quo nihil licet recipere. 4. Nec ex brevi futura mercium copia vel inopia; quia pretium ſumi debet ex præſenti rerum ſtatu, non autem ex futuro. Unde mercator, qui triticum detulit ad locum ubi adeſt frumenti inopia, poteſt allatum vendere juxta præſens commune pretium; licet certo ſciat multos alios mercatores brevi ingentem copiam allaturos eſſe.

Cete-

Ceterum Famulus aut Proxeneta, aut quilibet alius, qui rem pro altero vendendam aut emendam ſuſcepit, nihil ſibi retinere poteſt abſque Domini conſenſu, ſi rem aut emerit vilius, aut carius vendiderit quam ſperabat, quia nullo titulo id ei debetur. 1. Non ratione mercis venditæ aut pretii exhibiti, quorum non eſt dominus. 2. Nec ratione laboris aut induſtriæ, cum pro hac Famulus, & Proxeneta mercedem habeant, & teneantur ex officio domini negotia, tamquam ſua peragere. 3. Nec etiam ex eo quod mercator vel Famulo vel Proxenetæ tamquam ſibi noto, & amico, rem vilius quam alteri vendidiſſet, vendiderit, aut carius emerit, quia non præſumitur mercatorem rem vilius, quam par eſt, voluiſſe vendere, aut carius emere.

Quær. 5. Quid ſit Monopolium?

R. Monopolium eſt *conventio unius vel plurium Mercatorum ſimul conſpirantium, ut ipſi ſoli vendant vel emant eo quo voluerint pretio*. Pretium enim, de quo Mercatores convenerunt, vel injuſtum eſt, vel juſtum quidem, ſed ſummum in vendendo, & infimum in emendo. Si primum, evidens eſt eos contra juſtitiam peccare, cum æqualitatem inter merces & pretium non ſervent: ſi ſecundum, probabilius eſt etiam contra juſtitiam peccare, & ad reſtitutionem teneri; cum abſque gravi injuria cogere non poſſint emptores ad emendum ſummo pretio, & venditores ad vendendum infimo.

Porro Mercatores hanc Reipublicæ violentiam atque injuriam inferunt duplici modo. 1. Dum omnes merces comparant aut comparatas conſervant in aliud tempus, ut ea ratione carius divendant. 2. Dum vi aut fraudibus ac dolis ſuis impediunt ne aliunde merces adveniant. Uterque modus illicitus eſt atque injuſtus, obligationem reſtitutionis pariens. Primus; quia non ſola venditorum

rum paucitas, vel mercium raritas caritatem inducit. Ergo cum eorum adsit copia, nullum carius vendendi titulum habere possunt. Ab hac tamen injustitia excusaretur Mercator, qui tempore messis annonas emeret, carius postea venditurus, ut sic honestum pro opera sua lucrum reportaret, modo per hoc earum pretium notabiliter non excresceret. Secundus modus magis illicitus est & injustus, quia & Mercatores habent jus merces suas in Civitatem inferendi, & Civitas easdem merces intra justi pretii latitudinem emendi. Unde qui eos hoc jure vi aut dolo privant, ad restitutionem tenentur, tum erga Communitatem, tum erga ipsos Mercatores, quibus injustum gravamen inferunt.

Quær. 6. An venditor teneatur ex justitia rei vitium emptori occultum detegere, & vicissim emptor venditori indicare merces esse majoris pretii, quam ipse putet?

R. Si vitium sit periculosum, venditor tenetur ex justitia illud emptori indicare, etiam non rogatus, & hoc sub obligatione non solum compensandi rei defectum quanti minoris valet, sed etiam damna ex hac deceptione provenientia. Quod si ex hoc rei vitio nullum emptori periculum immineat, eoque non obstante, usus rei emptori sit conveniens, de hoc venditor non interrogatus non tenetur emptori illud manifestare, modo propter ejusmodi vitium detrahat quantum par est de pretio. Quoad emptorem, non absimili ratione ex justitia tenetur rei virtutem ac præstantiam sibi notam venditori ignotam manifestare, dum per hanc, juxta communem existimationem, ejusmodi rei pretium augeretur, aut saltem tenetur pretium æquivalens solvere, quia ad hujus contractus justitiam omnino necesse est ut inter mercem & pretium semper & ubique servetur æqualitas. Excipe tamen ex hac regula, si quis forte alicujus rei præstantiam

tiam ac virtutem particularem cognoſceret, communiter hujus artis peritis ignotam, tunc illam poſſet emere juxta communem eorum exiſtimationem, ex qua ſola pretii juſtitia deſumitur.

Quær. tandem, Quænam ſit venditionis & emptionis materia?

R. 1. Illicite ſimul & invalide venditur & emitur quidquid venditoris dominio & adminiſtrationi minime ſubjacet, cum translatio dominii emptioni & venditioni ſit eſſentialis, nec ullus earum rerum, in quas plenum non habet dominium, alteri transferre valeat. Hinc reſolvitur, emptorem, qui etiam bona fide rem alienam a fure emit, eam detinere non poſſe, ubi verum ejus agnovit dominum, a quo pretium quod perſolvit, repetere non poteſt, niſi ſciens alienam eſſe, eo fine emerit, ut Domino, cui alioquin periiſſet, redderet. Idem dicendum eſt de emptionibus initis cum Filiis familias, Religioſis, uxoribus &c. qui bonorum ſuorum adminiſtrationem non habent.

R. 2. Illicite venditur quidquid in corporale vel ſpirituale proximi detrimentum vergit. Sic graviter contra charitatem peccant Bibliopolæ libros vendentes amatorios, Pictores pingentes ac vendentes obſcœnas tabellas, Caupones vinum his quos ſe ſe inebriaturos prævident.

De Mutuo, & Uſura.

Quær. 1. Quid ſit Mutuum?

R. Mutuum, quaſi ex meo tuum, eſt *Contractus, quo res numero, pondere vel menſura conſtans, alteri in dominium & uſum traditur; ea lege, ut poſtea ſimile ejuſdem generis & qualitatis ſit redditurus.* Dicitur *res numero, pondere, vel menſura conſtans*, id eſt, quæ communiter vel ad pondus ut carnes, vel ad numerum ut pecunia, vel ad menſuram ut triticum tradantur. Domus ſiqui-

dem ager, equus, &c. quæ ſic tradi non ſolent, hujus contractus materia non cenſetur. Porro hæc res a Juriſtis *fungibilis* vocitatur, quia ratione mutui res una ſubſtituitur pro altera, & vice illius fungitur. Dicitur *alteri in dominium & uſum traditur*, ex quo ſequitur rem mutuo datam mutuatario perire, & omnes fructus ejusdem mutuatarii, non mutuantis, eſſe. Dicitur *ea lege*, quia mutuum obligat ſemper & generaliter mutuatarium ad reſtitutionem, niſi juris privilegio excipiatur, ſiquidem Minores, & Filiifamilias, qui etiam poſtquam ſui juris facti ſunt, rem mutuo acceptam, ſaltem in foro externo, reſtituere non tenentur, niſi in quantum facti ſunt ditiores, quia nullus alieno diteſcere debet. Dixi *in foro externo*, quia probabilius eſt ipſos teneri in foro conſcientiæ: licet enim Leges actionem mutuanti denegent, hos tamen contractus non irritant. Dicitur *poſtea*, id eſt vel tempore determinato, ante quod mutuans rem mutuatam repetere non poteſt, & quo finito mutuatarius reſtituere tenetur, alias damna evenientia reſarcire, vel ſi nullum tempus eſt præfixum, tenetur reſtituere quoties a mutuante attenta rei natura interpellabitur. Dicitur *ſimilem ejusdem ſpeciei*, tum quia, licet mutuatarius eamdem rem numero reſtituere poſſit, ad id tamen non tenetur vi mutui, per quod mutuum a commodato aut locato differt, tum quia ſi res diverſa ſit ſpecie, ut oleum pro vino, permutatio eſt, non mutuum. Dicitur *qualitatis*, ita ut res eadem intrinſeca bonitate ſit prædita, cum redditur, ac cum mutuo fuit accepta, ut vinum vetus pro veteri, non autem novum pro veteri. Dixi *intrinſeca bonitate*, non extrinſeca. Si enim dolium vini mutuo acceperis, non teneris vi mutui juxta valorem extrinſecum majorem vel minorem illud reſtituere; modo æqualiter bonum reſtituas, niſi aliter fuerit conventum; quia dum

nihil

nihil fuit expreſſum, tacite cenſetur per mutuum conventum fuiſſe de reddendo modium pro modio. In pecunia vero, niſi aliter fuit determinatum, cenſetur mens contrahentium fuiſſe, ut redderetur tantumdem quoad valorem, ſive in eadem, ſive in alia monetæ ſpecie.

Quær. 2. Quid ſit uſura?

R. Uſuram ſumi dupliciter, tum pro lucro ex mutuo ſuſcepto, vocaturque *fœnus* aut *auctarium*, tum pro ipſomet contractu uſurario & definitur *contractus, quo ex vi mutui aliquid ultra ſortem exigitur, tamquam debitum*. Dicitur, *ex vi mutui*, quia ſi alio juſto titulo aliquid exigatur, nempe propter lucrum ceſſans, aut damnum emergens, non eſt uſura, ſed indemnizatio. Dicitur *ultra ſortem*, id eſt ultra capitale mutuo traditum, ut ſi data fuerint 100. recipiantur 105. Dicitur *aliquid*, quodcumque illud ſit pretio æſtimabile, vel non, ita ut mutuatario ſit onus, quod alias non haberet: ut molendi in molendino mutuantis, merces ejus emendi &c. Dicitur *exigitur*, vel expreſſe, vel tacite, vel tantum mentaliter. Triplex eſt enim uſura. Realis & expreſſa, dum intercedit pactum expreſſum dandi vel accipiendi aliquid ultra ſortem: Implicita aut palliata, dum fit verbis implicite aut indirecte ad uſuram inducentibus, vel dum ſub aliorum contractuum pallio, ſocietate, venditione &c. occultatur: ut ſi ob dilatam ſolutionem, ſine alio damno, carius vendas: & Mentalis, dum mutuando intendis aliquid excipere, tamquam debitum, intentionem tuam nullo exteriori ſigno manifeſtando. Dicitur *tamquam debitum*; ſive ex juſtitia, ſive ex gratitudine, benevolentia, aut amicitia, ut definivit Innoc. XI. prop. 42. modo vera obligatione habeatur plus quam datum eſt. Dixi *ex vera obligatione*; ſi enim aliquid non exactum recipitur, ex mera mutuatarii liberalita-

te, non eſt uſura; quia ſi id ab alio recipi poteſt, cur non ab eo, qui beneficium contulit?

Quær. 3. Quo jure prohibita ſit uſura?

R. Omni jure, divino ſcilicet, humano, tum canonico, tum civili, & etiam naturali.

1. Jure Divino prohibetur uſura, ſcriptum eſt enim, Levit. 25. *Pecuniam tuam non dabis ad uſuram*: & Exod. 22. *Nec uſuris opprimes populum meum*. Et Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde ſperantes*. Et conſtat ex Lateran. Conc. ſub Leone X. verum hoc eſſe Chriſti Domini præceptum. Quod ſi legatur in Deuter. 23. *Non fœneraberis fratri tuo ad uſuram, ſed alieno*; dicendum eſt de mandato Domini permiſſum fuiſſe Judæis ab alienis, tamquam ab inimicis, uſuram accipere, ſicut permiſit ab Ægyptiis ſpolia reportare.

2. Jure Civili prohibetur uſura. Teſte D. Aug. Epiſt. ad Maced. *Quid dicam*, inquit, *de uſuris, quas etiam ipſæ Leges & Judices reddi jubent?* quatenus ſcilicet male partas. In Gallia autem ſæpius prohibitæ ſunt a Conſtitutionibus Philip. IV. an. 1311. Philip. VI. 1349. Franc. I. Carol. IX. Henr. III. an. 1576. Agnoſcentes uſuram non ſolum juri naturali, ſed etiam divino & canonico contrariam, ipſique Reip. ac privatis hominibus perniciosam eſſe. Quod ſi nonnullæ Leges uſuras moderatas concedere videantur; reſpondendum eſt cum D. Th. 2. 2. q. 78. a. 1. meram eſſe, ad majus malum vitandum, tolerantiam, non autem veram ac proprie dictam conceſſionem aut facultatem.

3. Jure Canonico, ut patet ex multis Sum. Pontificum & Conciliorum Decretis, Later. ſub Leo. X. Item Later. ſub Alexand. III. Lugdunen. ſub Gregor. X. Ven. ſub Clement. V. & ceteris, uſurarios publicos Laicos excommunicantibus, & clericos ſuſpendentibus; quæ tamen cenſuræ latæ non ſunt, ſed ferendæ ſententiæ.

4. Ju-

4. Jure naturali. 1. Quia non ſervatur æqualitas, cum plus accipiatur quam detur. 2. Quia unum & idem ſemel & iterum venditur, nempe centum v. g. pro centum, & iterum idem centum pro auctario. 3. Quia mutuans quod ſuum non eſt vendit, nempe uſum juris rei mutuatæ, qui in pecunia & aliis uſu conſumptibilibus a dominio ipſiuſmet rei minime diſtinguitur. Unde uſura ab ipſomet furto non diſtinguitur, & Ezechiel. 18. non minus *ad uſuram dantem & amplius accipientem*, quam *rapinas rapientem* a vita æterna excludit. Immo D. Ambros. lib. *de Tobia* dicit, Nihil fœneratoribus iniquius eſſe, qui lucra ſua aliena damna arbitrantur.

Quær. 4. Quinam ſint prætenſi tituli aliquid ultra ſortem exigendi?

R. Uſurarios varios ad ſuam iniquitatem palliandam adinvenire titulos, quos hic breviter refellere neceſſe eſt.

1. Non ratione uſus rei mutuatæ, ut mox dictum eſt; quia iniquum eſt aliquid accipere pro rei non uſu ſuæ. Excipe tamen, ſi ageretur de uſu extraordinario; ut ſi quis pecuniam ſuam in ordine ad oſtentationem elocaret, aliquid pro tali uſu ſuſcipere poſſet; quia tunc pecuniæ ſuæ, ſicut ſit in vero mutuo, dominium non transferret.

2. Non ratione temporis ad ſolutionem conceſſi: tum quia tempus eſt omnibus commune, nec eſt proprium mutuanti; quo fit, ut ſi quid uſurarius ſuſciperet pro tempore, ſuſciperet aliquid ex re non ſua: tum quia tempus quod conceditur, eſt intrinſecum mutuo, quod non niſi pro aliquo tempore datur.

3. Non ex eo quod præſens pecunia pluris valeat, quam abſens & futura; quia de ſe pluris non valet, ſed tantum per accidens, omnino ab ipſo

mutuante independens, ex quo consequenter nullum suscipere potest emolumentum.

4. Non ex utilitate vel commoditate, quam inde suscipit mutuatarius; quia hæc proprie ab ipsa non oritur pecunia, de se non fructifera, sed ex mutuatarii industria; ideoque si mutuans inde fructum perciperet, meteret ubi non seminasset.

5. Non ex labore pecuniam numerandi; cum labor iste mutuo sit intrinsecus.

6. Non ex difficultate sortem recuperandi; quia si hoc esset, plus exigi posset a paupere quam a divite, quod omnino absurdum est. Deinde si ex difficultate damnum emergat, tunc adest titulus sortem exigendi, ut mox dicetur; si nullum damnum emergat, nullus adest titulus.

7. Non ex eo quod mutuans sua privetur pecunia: quia id mutuo est essentiale.

8. Non ex Fidejussione, per quam quis alienam obligationem in se suscipit; quia Fidejussio est actus amicitiæ, nullo pretio æstimabilis.

Quær. 5. Quinam sint veri ac legitimi tituli aliquid ultra sortem exigendi?

Tres posse numerari, modo bene explicentur: damnum emergens, lucrum cessans, & periculum sortis.

1. Damnum emergens est detrimentum quod patitur creditor ratione mutui: v. g. quod defectu pecuniæ cogatur res suas vilius vendere, aut sibi necessarias carius emere, aliis creditoribus annuos redditus solvere, ædificii quod reparare non potest, ruinam sustinere, &c. Hunc titulum legitimum esse probatur; quia postulat æquitas, ut si tibi mutuando faciam expensas, easdem solvere satagas, & indemnitati meæ consulas, ut undequaque servetur æqualitas. Conditiones tamen quatuor requiruntur ad istius tituli validitatem. 1. Quod ipsummet mutuum vera sit causa damni emergen-

gen-

gentis, saltem verisimiliter ex ipso imminentis. Si enim ex alia causa oriatur, injustum est plane ab ipso compensationem exigere. 2. Quod summa quæ exigitur, non sit major damno emergente, alias non servaretur æqualitas. 3. Quod mutuans de damno ex mutuo sibi verisimiliter imminente præmoneat mutuatarium; ut ab alio qui absque damno sibi mutuare posset, mutuum, si libuerit, postulet & accipiat; quia hac libertate absque injustitia privari non potest. 4. Quod mutuans mutuatarium non cogat ut secum paciscatur de certo pretio pro damni periculo; sed ab eo tantummodo exigat damni obventuri indemnizationem, citra quam nihil juste exigere potest. Quod si vero mutuatarius eventum expectare nolit, tunc cum ipso paciſci licet, modo id candide ac bona fide fiat.

1. Lucrum cessans, alius est aliquid supra sortem exigendi legitimus titulus; quia perinde est a consecutione alicujus rei impedire, ac ipsam perdere: utrumque pretio est æstimabile, nec minus injustum est ut aliquo privatus sim honesto lucro, ut tibi præstem beneficium, quam si tibi benefaciendo aliquid juste comparandum amitterem. Requiruntur tamen sequentes conditiones. Quod mutuans admoneat mutuatarium de lucro cessante, libereque consentiat auctarium solvere, ratione lucri cessantis, ut mox dictum est de damno emergente. 2. Quod mutuum vera sit causa lucri cessantis. Unde si lucrum ex pecunia speratum, sit tantum possibile sive quia occasio lucrandi non est præsens, sive quia mutuans eam ad lucrum faciendum proxime non destinavit, sive quia hanc pecuniam alio modo aliave industria ad lucrum applicare non potest; tunc prorsus futilis est ex lucro cessante titulus, quia tunc lucrum non cessat mutuanti ratione mutui; sed quia vel non vult, vel non potest commode

pecuniam ad lucrum applicare. 3. Quod in compenſatione lucri ceſſantis & ſperati, deducantur expenſæ faciendæ, & pericula incurrenda; cum minus valeat lucrum abſens, quam præſens. 4. Quod lucri ceſſantis compenſatio non exigatur ſtatim ab initio mutuationis; ut ſi quis centum mutuando, ſtatim decem ſub lucri ceſſantis periculo ex his retineret, & ſic de facto nonaginta tantum mutuaret. Ideoque poſthac centum exigendo manifeſtam injuſtitiam committeret, cum minus lucrum ex nonaginta quam ex centum ſperare & exigere deberet.

3. Periculum ſortis amittendæ duplex eſt. 1. Commune & ordinarium, quod & ab omni mutuo eſt inſeparabile. 2. Particulare & extraordinarium, quod ab ipſo ſeparari poteſt, & de facto ſeparatur per fidejuſſionem, pignus, vel hypothecam: & tale cenſetur eſſe, dum pecunia mutuo traditur litigioſo, prodigo, naviganti in mari periculoſo, deferenti merces per hoſtium caſtra, aut eas gabellariis non denuncianti, &c. Certum eſt apud omnes, periculum ſortis amittendæ commune & ordinarium non eſſe titulum legitimum aliquid ultra ſortem ſuſcipiendi; tum quia omni mutuo eſt intrinſecum, tum quia plus liceret a pauperibus quam a divitibus exigere, contra expreſſam ac ſæpius inculcatam Scripturæ inhibitionem: tum quia nulla unquam fieri poſſet uſura cum nullum bonum ab hoc periculo poſſit eſſe immune.

Quoad periculum extraordinarium, licet ſpeculative ſpectatum, legitimus ſit aliquid ultra ſortem exigendi titulus, cum a mutuo ſit ſeparabile ac pretio æſtimabile; vix unquam realiter admitti poteſt, quia vix unquam ſervantur requiſitæ conditiones. 1. Quod mutuatarius Fidejuſſorem, aut Pignus nec dederit, nec obtulerit. 2. Quod defectu Fidejuſſoris aut Pignoris mutuans rei pe-

ri-

riculum in ſe ſuſcipiat, ita ut ſi pereat, ſibi ipſi pereat, nec mutuatarius ſimilem teneatur ei reſtituere. 3. Quod mutuans non cogat mutuatarium, ipſum pro Fidejuſſore ſuſcipiat, alioquin mutuum non daturus, ut hoc prætenſo titulo aliquid ultra ſortem exigat. 4. Quod non plus exigat quam poſtulat gravitas periculi, & quam ipſemet alteri daret ad ſeſe a ſimili periculo redimendum. 5. Demum quod abſit omnino intentio lucrandi ex mutuo, quæ conditio ſemper & ubique, & erga omnes titulos neceſſaria eſt; quæque ſi deſit, ut plerumque contingit in his qui numquam mutuarent, ſi lucrum ex mutuo non ſperarent, mentalis erit & peccaminoſa uſura.

Quær. 6. Utrum, ſecluſis omnibus his titulis, aliqua poſſit eſſe uſura licita?

R. Præter uſuram lucratoriam, quæ abſque titulo legitimo ſuſcipitur, & compenſatoriam quæ propter juſtum intereſſe exigitur, alia dicitur pœnalis, dum ſcilicet mutuans & mutuatarius conveniunt inter ſe, quod iſte talem ſolvet pecuniam, ſi in mora ſit mutuum reſtituendi tempore aſſignato. Hanc uſuram licitam eſſe, concurrentibus nonnullis conditionibus, cenſent omnes Doctores; cum jus naturale ac civile omnibus hominibus, etiam privatis, permittant ut in contrahendo onera ſibi invicem imponant, ad fidelitatem utrobique ſervandam. Conditiones autem neceſſariæ ſunt ſequentes. 1. Quod pœna candide & bona fide ſit appoſita, non ut ſuſcipiatur lucrum ex mutuo, ſed ut debitum determinato tempore ſolvatur, ad damnum veriſimiliter eventurum vitandum. 2. Quod mora ſit culpabilis ac notabilis, juxta viri prudentis ac timorati judicium. 3. Quod mulcta ſit moderata & culpæ proportionata. 4. Quod qui deficit in media ſolutionis parte, medietatem tantum pœnæ ſubeat.

Porro licet pœnam conventionalem ſolvere non te-

teneatur mutuatarius, nisi dum eam mutuator exigit, ad id tamen tenetur in conscientia, ante quamlibet Judicis sententiam.

Quær. 7. An usurarii vere fiant usurarum Domini?

℟. Negative. 1. Quia licet mutuatarius voluntarie tradere videatur auctarium mutuanti, non tamen intendit in illud plus juris concedere, quam de facto habeat: ideo cum nullum sit a parte rei, nullum ei conceditur. 2. Quia omnis contractus usurarius ex legibus est irritus, proindeque ad dominii translationem insufficiens. 3. Quia nuda traditio, citra titulum, dominium minime transfert. Atqui ibi nullus est titulus, nec donationis, cum auctarium, ut supponitur, gratis non detur, nec emptionis, nec venditionis. Ergo &c. Hinc concluditur non solum jure canonico & civili, ut concedunt omnes, sed & jure naturali usurarios, eorum heredes, & cooperatores, nimirum Proxenetæ, Ministri, Factores, Procuratores, Notarii &c. in solidum ad restitutionem usurarum directe teneri.

Quær. 8. Utrum usurarius mentalis ad restitutionem teneatur?

℟. Ad restitutionem teneri, si mutuatarius augmentum dederit, tamquam debitum, non ex mera gratitudine & pura liberalitate, quoquomodo mutuans illud acceperit, vel tamquam donum, vel tamquam debitum. Ratio est, quia cum non adsit titulus gratuitæ donationis, nulla omnino adesse censetur, sicque dominium mutuanti non fuit translatum. In dubio autem, utrum auctarium datum fuerit liberaliter vel non, tutior pars est eligenda.

Observa in fine Tomi hujus n. II.

De Cambio.

Quær. 1. Quid & quotuplex ſit Cambium?

R. Cambium eſt *pecuniæ permutatio cum altera pecuniæ campſori lucroſa*. Dividitur in fictum, & reale. Cambium fictum quod ſiccum dicitur, quia humorem ſeu titulum non habet, eſt illud quod Cambii imaginem præ ſe fert, eſtque verum mutuum palliatum; quia nec datur pecunia præſens pro præſenti, nec præſens pro diſtanti; ſed datur ſimpliciter pecunia poſthac cum lucro abſque titulo recipienda. Hoc cambium tamquam veram uſuram damnavit Sanctus Pius V. in Bulla quæ incipit: *In eam pro noſtro*. Cambium reale ſeu verum eſt illud, in quo revera pecunia præſens cum præſenti, vel præſens cum diſtanti permutatur. Reale autem cambium ſubdividitur in minutum locale, & temporale. Minutum eſt permutatio pecuniæ majoris valoris cum alia minoris, vel e contra, & hæc in eodem loco facta. Locale ſeu per litteras eſt mutatio pecuniæ præſentis cum diſtanti; ut dum Campſor dat pecuniam Lugduni, ut eam a Campſario recipiat Pariſiis; vel dum Campſarius pecuniam numerat Lugduni, ut eam recipiat a Campſore Pariſiis. Temporale ſeu ad certum tempus eſt illud, quo datur pecunia hodie v. g. centum, ut intra tres aut quatuor menſes recipiantur centum & duo.

Quær. 3. Quale Cambium, & quomodo ſit licitum?

R. Licitum eſſe campſoris officium, tum circa locale, cum circa minutum cambium exercitum. Ratio eſt, quia illud *plus* quod accipitur a campſoribus, non accipitur ratione pecuniæ, quæ de ſe eſt invendibilis: ſed ratione periculi, vel induſtriæ, vel intereſſe, ut ſubveniatur ſalariis Miniſtrorum, locationi domorum & aliis expenſis. Cavendum eſt tamen, ne plus exigatur quam quod juſtum reputatur inter Campſores timoratos, vel quod a viris prudentibus aut a Republica fuit taxatum.

Campſor autem particularis, qui talis non eſt ex officio, lucrum ex cambio reportare juſte non poteſt, niſi ratione lucri ceſſantis aut damni emergentis, aut forſan ratione utilitatis aut commoditatis, qua fortaſſis ipſemet privatur, hanc aut illam ſibi vel aliis numerando pecuniam, aut denum ratione periculi non ficti, ſed veri, quod incurrit in translatione pecuniæ de Regno in Regnum, vel de Provincia in Provinciam; quæ cum rariſſime contingant erga Campſorem particularem, dicendum eſt lucrum ex hoc cambio reportatum, ut plurimum, illicitum eſſe atque uſurarium. Idem dicendum eſt de Cambio temporali quod verum eſt mutuum, etſi ibi nihil intervenit, quam pecuniæ carentia ad certum tempus, & hunc titulum inſufficientem eſſe ſuperius oſtendimus.

Obſerva in fine Tomi hujus (N. III.)

De Cenſu.

Quær. 1. Quid & quotuplex ſit Cenſus?

R. Eſſe contractum, *quo emitur & venditur jus certis temporibus penſionem aliquam percipiendi ex re aut perſona alterius frugifera.* Si enim eſſet ſterilis, ut pecunia, ad percipiendos fructus ex ea nullum jus comparare poſſemus, eſſetque jus fictitium & uſura palliata.

Dividitur 1. Cenſus in reſervativum & conſignativum, ſeu conſervativum. Reſervativus eſt contractus, quo quis alteri transfert rei ſuæ dominium utile & directum, retento ſibi jure penſionem aliquam percipiendi. Conſignativus eſt contractus, quo quis retento rei ſuæ uſu ac dominio, conſignat aut aſſignat alteri jus ad penſionem annuam, vel in fructibus, & dicitur cenſus fructuarius; vel in pecunia, & dicitur pecuniarius.

2. Dividitur in realem, perſonalem & mixtum. Realis, qui & dicitur Prædiarius, aut Fundarius,

rius, fundatur ſuper aliqua re, ex qua penſio debeat ſolvi, quo fit ut ſi pereat, pereat & cenſus; aut ſi ſubſiſtat, ſubſiſtat & cenſus, ad quemlibet illa pervenerit. Perſonalis vero fundatur in perſona, quæ ſe ſe obligat ad penſionem ſolvendam ex omnibus operibus ſuis, labore, induſtria aut officio ſuo: & mixtus tandem fundatur ſuper re & perſona ſimul, ita ut licet res pereat, perſona ſemper obligata maneat.

3. Dividitur in temporalem, & perpetuum. Primus expirat certo tempore: quod ſi illud tempus determinatum eſt, dicitur ſimpliciter temporalis; quod ſi fuerit indeterminatum, ad vitam v. g. alicujus perſonæ, vocatur vitalitius. Secundus non terminatur certo annorum curriculo; ſed vi contractus ſemper durat, eſtque vel redimibilis, quatenus ex toto vel ex parte extingui poteſt per ſummæ capitalis refuſionem; vel irredimibilis, qui extingui non poteſt.

Quær. 2. Utrum hic contractus ſit licitus?

℟. Nemini dubium eſt cenſum reſervativum licitum eſſe; cum poſſit quilibet rem ſuam in alium transferre, & ex ea modicam ſibi penſionem reſervare. Quæſtio igitur ſola eſſe poteſt de cenſu conſignativo, pecuniario, reali, perſonali & vitalitio, quos ſub quibusdam conditionibus licitos eſſe, cum communi Theologorum ſententia dicimus, & probatur.

1. De cenſu conſignativo pecuniario reali, auctoritate Sum. Pontificum Mart. V. Calliſt. III. Paul. III. & Pii V. qui hunc in Bullis ſuis approbavere contractum, legitime factum: & ratio eſt, quia hic contractus nihil aliud eſt quam emptio venditio rei pretio æſtimabilis. Nec minus licitum videtur emere jus percipiendi frumentum, vel pecuniam frumento æquivalentem ex agro alieno, quam emere jus per hunc agrum tranſeundi, cum utrumque ſit pretio æſtimabile.

Nec

Nec obstat, quod pensio illa accipiatur ex pecunia data, sicut & in mutuo; quia non recipitur ex pecunia data, nisi mediate, & immediate ex jure empto, quod est prætio æstimabile, ideoque vendibile: unde sicut qui emit agrum, fructus ex ipso, legitime per pecuniam suam empto, juste percipere potest, licet ex pecunia sua eos mediate percipiat: ita qui emit censum juste pensionem percipit, licet ex pecunia sua eam mediate percipiat.

2. De censu personali probatur; tum quia persona æque frugifera esse potest ac ipsius bona; tum quia omnino licitum est operas suas ac industriam elocare, ergo & vendere jus ad fructus inde speratos; tum quia si decimæ ac tributa personæ juste a Principibus imponantur, nihil vetat quominus quilibet sibi imponat ob justum pretium obligationem redditus alteri solvendi. Quod si dicas, eodem titulo usuram legitime posse committi, dum quis scilicet pecuniam alteri mutuans lucrum ex eo reportare intenderet, non quidem ratione mutui, sed ratione operæ ac industriæ mutuatarii: Resp. usuram naturalem, quæ ab intentione pendet, sic facile committi posse, ideoque contractum istum ab omnibus videri suspectum ac periculosum; sed si candide procedatur, est legitimus, cum adsit verus titulus. Adde quod mutuans, non autem censuista, pro libitu sortem repetere possit, sicque omnia inter ipsos non sunt paria.

3. De censu vitalitio probatur; tum ex praxi ubique recepta, tum ex eo quod sicut in supra dictis censibus intervenit emptio & venditio rei pretio æstimabilis: tum quia si vendi possit usus-fructus alicujus fundi frugiferi ad vitam usufructuarii, cur non vendi potest ad vitam censuistæ jus percipiendi pensionem ex re frugifera?

Nec obstat quod pensiones annuæ tandem excede-

derent ſortem pro cenſu datam, Idipſum enim accidit in qualibet emptione, ubi fructus agri poſt aliquot annos excedunt pretium pro agro datum: emptio tamen injuſtus non eſt contractus.

Quær. 3. Quænam ſint conditiones requiſitæ ad hujus contractus juſtitiam?

R. Varias a variis Pontificibus aſſignatas fuiſſe; ſed cum eorum Bullæ in omnibus regionibus, maxime in Gallia, uſu non ſint receptæ, conditiones ſolummodo ex jure naturæ requiſitas, & ubique receptas hic breviter ſubjiciemus.

1. Requiritur ut ſit juſtum pretium, tum juxta Legum ſtatuta, tum, ſi deſint, juxta timoratorum prudentem exiſtimationem. 2. Ut cenſus creetur numerata jam pecunia; quia jus præſens fructus ex re aliqua percipiendi, abſente pecunia comparare non juſtum eſt 3. Ut res, ſupra quam cenſus conſtituitur, ſit in libera diſpoſitione conſtituentis, cum nemo plus juris alteri concedere poſſit, quam ipſe habeat, 4. Ut ceſſet cenſus obligatio, vel in toto, vel in parte, dum res, ſupra quam cenſus conſtitutus eſt, in toto, aut in parte periit aut ſterilis evaſit: ex qua conditione cenſus immunis eſt ab uſura, cujus iniquitatis in eo ſita eſt, quod ex re non frugifera mutuans ultra ſortem aliquid accipiat. 5. Ut cenſuarius non cogatur ad ſolutionem penſionis anticipatam, ſed tantummodo pro rata ratione temporis elapſi; quia, cum hæc ſolutionis anticipatio pretio ſit æſtimabilis, plus ſolveretur quam cenſus valet. 6. Ut in cenſu conſignativo non imponatur *pœna commiſſi*; id eſt, quod res cenſui ſubjecta in dominium cenſuiſtæ tranſeat, ſi cenſuarius ſit in mora ſolvendi, quia pœna eſſet exorbitans. 7. Ut non cogatur cenſuarius cenſum redimere intra certum tempus, & ſummam capitalem reſtituere, ſed id ejus relin-

qua-

quatur arbitrio; alias nonnullæ uſuræ ſub hoc pallio committi poſſent.

Obſerva in fine hujus Tomi (N. IV.)

De Societatis contractu.

Quær. 1. Quid ſit Societatis contractus?

R. Eſſe *Conventionem duorum vel plurium ſuam partem ad negotiationem conferentium ad commune lucrum vel damnum inde proveniens, inter ſe dividendum*. Dicitur *conventio*; quia qui ſine conventione, pecunia aut induſtria ſua Mercatorem adjuvat, legitime non poteſt ejus lucri particeps fieri. Dicitur *ſuam partem*, &c. id eſt ſive pecuniam, ſive laborem, ſive induſtriam, ſive inſtrumentum, aut aliud quodcunque prætio æſtimabile. Dicitur *ad lucrum aut damnum commune*; nam ſi totum lucrum obveniret illi ver. gr. qui pecuniam ſubminiſtravit, alteri vero qui contulit induſtriam, ſtipendium pro ſua induſtria aſſignaretur, non foret ſocietas, ſed potius locatio conductio.

Quær. 2. Quænam conditiones ſint requiſitæ ad hujus contractus juſtitiam?

R. Requiritur 1. Ut ſinguli ſocii aliquid in commune conferant; ſi enim unus tantum pecuniam v. gr. conferat ac tradat cuidam non Mercatori, qui legitima lucrandi arte caret, purum eſt mutuum, ex quo lucrum reportare uſurarium eſt. 2. Ut quod a ſingulis confertur, in ſingulorum cedat dominium; ita ut quilibet ſocius fiat totius ſortis, in unum collatæ, partialiter dominus, pro rata parte, quam in ſocietate contulit. Secus enim aliquis ſocius lucrum facere poſſet, & nihil perdere. In ſocietate ver. gr. ubi unus pecuniam intulit, & alter laborem & induſtriam: ſi pecunia utique non fieret communis, primus recipere poſſet totum capitale ſimul cum lucro;

& ſe-

& ſecundus nonniſi partem lucri; ideoque capitale ſuum perderet, laborem ſcilicet & induſtriam quam contulit, quod injuſtum eſſet atque uſurarium. 3. Ut lucrum, damnum & periculum ex ſocietate provenientia ſociis ſint communia, pro rata parte, quam quilibet contulit. Unde ſi pecunia ab uno ex ſociis collata pereat, ſine levi culpa alterius, perit ei qui eam contulit: ſicut vice verſa, ſi ſalva unius pecunia labores alterius fructu careant, labores ſuos perdit qui laboravit. 4. Ut lucri diviſio fiat ſecundum propottionem capitalis a ſingulis collati, ver. gr. unus contulit nonaginta libras, & alter laborem & induſtriam, triginta libris æquivalentem; ſicque ſocietatis capitale erit 120. cui ſi lucrum 40. accedat, tota ſumma ad 160. libras perveniet. Ex hac ſumma qui laborem & induſtriam contulit, ſtatim reportare debet quartam partem lucri, ſcilicet 10. libras, & deinde quartam partem capitalis ſcilicet 30. ſicque alteri, qui pecuniam contulit; ſuperérunt 120. libræ. Idem dicendum eſt de expenſis ac damnis, quæ cum eadem proportione dividere neceſſe eſt.

Quær. 3. Quid ſit triplex contractus, & utrum licitus?

R. 1. Per triplicem contractum intelligimus. 1. Contractum ſocietatis. 2. Aſſecurationis ſortis in ſocietatem collatæ. 3. Venditionis lucri majoris ſperati, & incerti, pro certo, ſed minori. V. Gr. Petrus ſocietatem init cum Paulo, & ſimul in unum quilibet confert mille aureos ad negotiationem: ſed Petrus timens ne ſui mille aurei caſu pereant, paciſcitur eum Paulo de eorum aſſecuratione, ſub pretio 50. aureorum. Et iterum volens lucrum negotiationis ſibi aſſecurare, eidem Paulo vendit lucrum a ſe ſperatum, puta 200. aureorum, pro 60. ſicque Petrus certus eſt 1. de capitali a ſe collocato, quod ab

omni

omni periculo ſit immune. 2. de quodam lucro, quod in omni eventu ſuſcipere debet.

R. 2. Hunc contractum illicitum eſſe ac uſurarium; quod probatur Auctorit. Sixti V. qui in Bulla *Deteſtabilis* edita anno 1586. condemnavit hos & ſimiles contractus, tamquam *uſurarios, & æquitati ſocietatis contrarios*. Necnon & auctoritate Facultatis Pariſienſis, qui ann. 1664. propoſitionem ubi aſſerebatur hunc contractum eſſe licitum, damnavit tamquam falſam, ſcandaloſam, ad uſuras inducentem, &c. Ratio eſt 1. Quia per ſortis aſſecurationem tollitur ratio eſſentialis ſocietatis, & contractus degenerat in mutuum; cum pecunia ſic aſſecurata in dominium tranſeat aſſecurantis: illius ſiquidem rei vetus eſt dominus, qui de ea pro libitu diſponere poteſt; ita ut ſi perierit, ipſi pereat. Certum eſt autem nullum ex mutuo lucrum niſi uſurarium reportari poſſe. 2. Quia in hoc contractu deeſt præcipua conditio ad legitimam ſocietatem requiſita, nempe quod lucrum & damnum omnibus ſociis ſint communia. 3. Quia ſi hic contractus eſſet licitus, ſequeretur quod qui a ſocio pecuniam reciperet ad negotiandum ex laboribus & induſtria ſua, duplex damnum pati poſſet, nimirum operarum ſuarum amiſſarum, & pecuniæ a ſe receptæ; & pecuniam conferens nullum damnum pateretur, cum in omni eventu ſuam haberet pecuniam integram, quod manifeſte injuſtum eſt. Unde jure ac merito tamquam injuſta ac uſuraria damnatur a Sixto V. ſocietas animalium, ubi grex 100. ovium traditur Ruſtico ab eo paſcendus, cum hac conditione, ut totus exhibeatur ſalvus, totusque reparetur, etiamſi caſu perierit, & inſuper ſolvatur aliquid certi pro fructibus ejus.

Dices 1. Hic contractus cum diverſis perſonis initus, eſt licitus; ne ſi Petrus det pecuniam ad ſocietatem Paulo, & Joannes Petro capitale aſſe-

cu-

curet. Ergo licitus eſt cum eadem perſona, cum diverſitas perſonæ aſſecurantis rationem illius contractus non mutet.

℟. Negatur conſequentia, & ratio diſparitatis eſt; quod contractus ſocietatis degeneraret in mutuum, quando fit cum eadem perſona, non autem cum diverſa. Nam in primo caſu eadem perſona fit pecuniæ dominus, cum illam recipiat; ipſi ſoli præeat, & de illa pro libitu diſponat; quod dici non poteſt in ſecundo caſu de aliena perſona tantummodo aſſecurante.

Dices 1. In contractu commodati & locationis partes convenire poſſunt inter ſe, ut commodatarius aut locatarius rem commodatam aut locatam domino ejus aſſecuret, & ipſius rei ſumat in ſe periculum. Ergo idem fieri poteſt in ſocietate.

℟. Illam conventionem eſſe præter, non contra naturam contractuum commodati, & locationis; ſed omnino eſt contraria naturæ ſocietatis, ubi fraterna ſervari debet æqualitas, proindeque lucra & damna debent eſſe æqualia. Huc accedit, quod commodatarius & locatarius non poſſint de re commodata & locata diſponere, bene quidem ſocius ſortem aſſecurans: unde iſte verus cenſetur dominus rei aſſecuratæ, non autem alii.

Quær. 4. Quid ſit contractus Mohatra, an ſit licitus?

℟. Eſt *contractus venditionis ſub uno pretio, cum pacto retrovenditionis pretio infirmo*. Aliquis, verbi gratia, pecunia indigens, quam dives ei mutuo dare non vult; ſed ut ipſius neceſſitati ſubveniat, ipſi credito vendit quaſdam merces ſummo pretio 109. libris. Sed quia iſte non mercibus, ſed pecunia indiget, ſtatim eas eidem Mercatori revendit, ſcilicet 100. libris, quas Mercator ipſi tunc numerat, & cum obligatione reddendi infra

an-

annum novem vel decem libras. Iſte contractus ab Innocentio XI. damnatus eſt, & jure merito, quia cum fiat ſimul & de induſtria inter eaſdem perſonas, cum intentione lucri, nihil aliud eſt quam mutuum 100. librarum, cum obligatione poſthac reſtituendi 100. & 10.

De Ludo.

Quær. 1. Quid & quotuplex ſit ludus, & an licitus?

R. Ludus eſt *contractus, quo de certo pretio victori ſolvendo inter ſe ludentes conveniunt*. Alius eſt, qui a ſola fortuna regitur: alius, qui ſolo ingenio ſolaque induſtria regitur: alius, qui partim induſtria partim fortuna regitur ut alibi dictum eſt. Nullus ludus jure naturæ per ſe illicitus eſt; tum quia non fit, ut ſupponitur, contra liberam legitimi Domini voluntatem; tum quia cuilibet licitum eſt rem ſuam periculo exponere, ut patet in contractu ſocietatis; tum quia non eſt contra rationem ſpem lucri fortunæ committere, cum nullum Chriſtianum lateat quod nomine fortunæ Dei providentia intelligatur.

Dixi 1. *Jure naturæ*: nam jure poſitivo, tum canonico, tum civili, ludus qui a ſola fortuna aut modica induſtria regitur, ludus ſcilicet Alearum, tam Laicis, quam Clericis eſt prohibitus. Ut patet ex Can. Epiſt. 2. Diſt. 35. & ex Cod. l. 3. *de Aleatoribus*, & ex multis Regum Franciæ edictis, maxime Henr. III. an. 1577. & Ludov. XIII. an. 1611. Et cum pœnæ contra Aleatores, in his Decretis ac Edictis latæ, ſint graviſſimæ, *privatio* ſcilicet *communionis*, &c. ſignum eſt Aleatores quoslibet peccati mortalis eſſe reos; niſi tamen a mortali excuſet tum intentionis ſimplicitas, qua quis non ſerio, ſed jocoſe ludit; tum brevitas temporis in ludo conſumpti, tum parvitas pecuniæ ludo expoſitæ.

Di-

Dixi 2. *Per ſe*, quia per accidens ludus etiam qui ſola induſtria regitur, poteſt eſſe illicitus & mortaliter peccaminoſus: 1. Dum quis ludit non ex intentione honeſte ſe ſe recreandi, ſed ex gravi avaritia, & vehementi lucrandi deſiderio: 2. Dum ludo notabilis quoad ſtatum ſuum ſumma exponitur. 3. Dum in eo notabile tempus conſumit. 4. Dum propter eam a debitis officiis notabiliter ſe retrahit. 5. Dum graviter peccandi propter eum periculo ſe committit. 6. Dum conditiones ex juſtitia in ludo requiſitas non ſervat.

Quær. 2. Quænam ſint in ludo conditiones requiſitæ?

R. Septem aſſignari poſſunt. 1. Quod colludentes liberam adminiſtrationem habeant bonorum quæ ludo exponunt, alioquin neuter colludentium lucrari poteſt; & ſi lucrum faciat, ad reſtitutionem tenetur. 2. Quod ſerventur leges, quas vel ipſi colludentes, vel conſuetudo ſtatuit. 3. Quod in ludo abſit omnis fraus vel dolus. 4. Quod nullus aut vi, aut minis, aut precibus importunis ad ludum cogatur, ſive in principio ludi; ſive poſtquam colludens lucratus eſt; alioquin ſocius cogens perdere quidem poterit, cum contractus ex parte ejus ſit voluntarius, non vero lucrari. 5. Quod qui defectu pecuniæ perdere non poteſt, nec etiam lucrari valeat. 6. Quod utrinque ſit perdendi æquale periculum: unde qui de victoria certus eſt, nihil lucrari poteſt; ſi vicerit, ad reſtitutionem tenetur. Idem dicendum eſt de eo qui in ludo inexpertum ſe ſimulans, alium ad ludum fraudulenter attrahit, quia fraus & dolus nemini patrocinantur.

Quær. 3. Utrum bona per ludum Aleatum comparata, ante Judicis ſententiam ſint reſtituenda?

R. Concedunt omnes Doctores hæc bona, non ſolum poſt Judicis ſententiam eſſe reſtituenda, ſed

ſed & eum qui ludo Alearum aliquid perdidit & non ſolvit, ad ſolutionem minime teneri; quia, cum poſſit juxta Leges in Aleatores latas ſummam perditam coram Judice repetere, poteſt etiam nondum ſolutam denegare, cum juxta regulam juris: Cui conceditur actio repetendi, datur & exceptio ne det exigenti. Sola igitur quæſtio eſt, utrum per ludum Alearum, a legibus prohibitum, vere lucranti transferatur dominium. Probabilius videtur non transferri in Gallia, & lucrantem ad reſtitutionem teneri (non quidem colludenti, qui Leges infringendo reſtitutionis indignus eſt, ſed pauperibus) ante judicis ſententiam; quia Leges Galliæ non ſolum hunc ludum prohibent, ſed & vere irritant, ut videre eſt in Edicto Ludov. XIII. edito an. 1611. ubi ſic legitur: *Declarons toutes dettes contractees par le jeu nulles, & toutes obligations faites par le jeu, quelques deguiſees qu' elles ſoient, nulles & de nul effet, & dechargees de toutes obligations civilles & naturelles.* Ideo cum Leges poſitivæ contractus, alioquin jure naturali validos, nullos reddere poſſint propter bonum commune; conſequens eſt invalidum eſſe Alearum ludum, & per hunc contractum dominium rei lucratæ colluſori lucranti minime transferri.

QUÆSTIO II.

De Injuria.

INjuria, prout hic ſumitur, quatenus ſcilicet juri eſt oppoſita, recte definitur *Alterius juris violatio abſque cauſa legitima.*

Dicitur 1. *Alterius juris violatio*; Juris nimirum vel in re, vel ad rem: unde non minus contra juſtitiam peccaret, nec reſtitutioni minus eſſet obnoxius, qui aliquem impediret a conſecutione

Of-

Officii aut dignitatis, ad quam præſentatus aut electus eſt, quam ſi jam eam pacifice poſſideret. Immo licet quis nullum prorſus jus ſtrictum vel in re, vel ad rem haberet, ſed meram tantummodo eam impetrandi poteſtatem, abſque vera injuſtitia ad reſtitutionem obligante, ab ejus conſecutione vi, dolo, fraudibus, minis aut precibus moleſtis ac importunis impediri non poſſet. Quæ reſtitutio facienda eſt juxta ſpem majorem vel minorem doni obtinendi, attentis omnibus circumſtantiis. Dixi, *vi, dolo, fraudibus, &c.* Qui enim conſilio tantum, moderatis precibus, ſuaſione, blanditiis alterum induceret, ut bonum quod Petro v. g. dare decreverat, ſibi aut amico conferat, nihil reſtituere tenetur; cum libertatem dare volentis minime per hoc læderet: peccaret tamen contra charitatem, ſi ex odio aut vindicta id faceret, ut patet.

Dicitur 2. *Abſque cauſa legitima*: quia ſi adeſſet legitima, nulla prorſus eſſet injuria; ut ſi a furibundo gladium auferas, vel apud te retineas. Item ex regula juris: *Scienti & ſponte volenti, ac valenti juri ſuo cedere non fit injuria.* Quæ verba diligenter ſunt notanda. Nam 1. Qui ex errore vel ignorantia jus ſuum violari permitteret. 2. Qui neceſſitate tantum vel metu conſentiret, prout in ſolvente uſuras, aut burſam latroni porrigente contingit. 3. Qui dominium plenum in bona ſua non haberet, ut Pupillus; his omnibus, licet quodammodo volentibus & conſentientibus, vera inferretur injuria, & eorum bona auferentes ad reſtitutionem tenerentur.

Porro cum ex vera ac proprie dicta injuria ſuboriatur reſtitutionis obligatio, de injuria & reſtitutione hic nobis eſt agendum, tum in communi, tum in particulari.

A R-

ARTICULUS I.

De Injuria & Reſtitutione in communi.

REſtitutio, quæ idem ſonat ac alicujus r priſtinum repoſitio, proprie ſumpta d tur: *Actus juſtitiæ commutativæ, quo res al redditur, vel damnum ei illatum reparatur.*

Dicitur 1. *Juſtitiæ commutativæ*; quia in tutione ſervari debet æqualitas rei ad rem, ut tantum reddatur aut reparetur, quantum tum fuit aut damnificatum.

Dicitur 2. *Res alterius*, per quod differt a ſatisfactione proprie dicta, quæ perſonam c ſam reſpicit, nec rigidam exigit æqualitat tum a ſolutione ſtricte ſumpta, cum fiat ex prio ſolventis, reſtitutio vero ex proprio recip tis. Unde pretii exhibitio pro æquo, proprie ſolutio, non autem reſtitutio: e contra dep redditio reſtitutio eſt, non ſolutio.

Dicitur 3. *Damnum illatum reparatur*; quia minus violatur juſtitia alienum deſtruendo, q alienum auferendo, proindeque juſtitia non m exigit ut proximus in rei ſuæ damnificatione demnizetur, quam in ejuſdem ablatione aut tentione. De reſtitutione inquirendum eſt, 1. quibus oriatur capitibus. 2. Quænam ſint circumſtantiæ. 3. Qualis ſit ejus neceſſitas.

§. 1. *Ex quibus capitibus oriatur Reſtitutionis obligatio.*

Not. 1. TRes recenſeri poſſe titulos reſtit nis proprie dictæ, 1. Injuſta ptio; dum quis furto abſtulit rem alienam, ſive ſibi ſervet, ſive alteri tradat, ſive eam diſſipe

destruat. 2. Injusta retentio; dum quis rem quam novit esse alienam apud se retinet, sive sua culpa, sive titulo apparenter justo eam obtinuerit. 3. Injusta damnificatio; dum quis culpabiliter damnum proximo intulit, domum ejus incendendo, segetes vastando, &c. quia licet per hoc sibi non profuerit, alteri tamen nocuit, & perinde se habet erga illum, ac si ejus bona in sui commodum abstuliffet.

Not. 2. Restitutionis late sumptæ pro solutione, duo recensentur tituli: 1. Est contractus, secundum quem teneris ex justitia cum altero contrahente æqualitatem servare. 2. Est munus aut officium aliquod, quod juste & recte erga alios teneris exercere; ut officium Tutoris, Advocati, Consiliarii, Pastoris, Confessarii, Medici, Chirurgi aut Artificis.

Not. 3. Cum omnis restitutionis obligatio fundetur in quadam injuria vel culpa, sciendum est quotuplex sit culpa ad restitutionem obligans. Alia dicitur Theologica seu Moralis contra Legem Dei, quæ vere peccatum est mortale aut veniale: alia dicitur Civilis seu juridica; estque nonnulla incircunspectio seu negligentia, ex qua damnum oritur proximo, sive per hanc Deus offendatur, sive non. Porro triplex est culpa juridica. 1. Lata & crassa, quæ est omissio diligentiæ ab hominibus hujus artis aut conditionis passim & communiter adhibitæ; ut si quis rem sibi commodatam in loco exponat publico, ex quo a transeunte subripiatur. 2. Levis, quæ est omissio diligentiæ, quam prudentiores solent adhibere; ut si quis rem commodatam relinquat in cella sua, non clauso ostio. 3. Levissima, quæ est omissio diligentiæ a prudentissimis ac vigilantissimis adhibitæ, ut si quis cellæ suæ claudat quidem ostium, sed non observet utrum sera bene fuerit inducta. His notatis, nonnulla quæruntur breviter exponenda.

Quær. 2. Utrum grave damnum ex culpa levi Theologica illatum in integrum restituere teneamur? Dixi, *ex culpa levi*; nam si nulla adsit culpa, nos ad nihil teneri; aut si gravis fuerit, ad totum damnum resarciendum teneri, ultro omnes concedunt.

R. Totum damnum ex levi nostra culpa illatum cum proprio nostro incommodo resarcire nos non teneri; sed tantummodo partem ejus pro rata ratione gravitatis culpæ. Ratio est, quia non tenemur damnum alterius reparare, nisi in quantum nobis est imputabile. Ergo si leviter nobis est imputabile, nulla esse potest nisi levis obligatio. Deinde ubi nulla est injustitia, nulla est restituendi obligatio, & ubi gravis est injustitia, item gravis est restituendi obligatio. Ergo ubi levis est injustitia, levis erit hujusmodi obligatio; cum restitutionis obligatio in injustitia sit fundata.

Dixi *cum Proprio nostro incommodo*. Nam si totum damnum commode resarcire possimus, ratio postulat ut proximum penitus indemnizare satagamus. Ubi obiter observandum est, rarissime contingere, quod peccetur tantum venialiter per actionem grave damnum proximo inferentem; tum quia in actibus externis, quæ fortius animum pulsant, adest ut plurimum advertentia ad peccatum mortale sufficiens; tum quia ad mortale sufficit confusa periculi cognitio, vel diligentius advertendi obligatio, quæ per actum notabilem facile in mente excitatur: unde ordinarie præsumendum est actionem grave damnum proximo inferentem mortalem esse.

Quær. 1. Ex qua culpa oriatur in contractu restitutionis obligatio.

R. Non solum ex culpa Theologica, sed & ex sola juridica oritur in contractibus restitutionis obligatio, quia contrahentes contractuum Legibus in conscientia stare tenentur; utpote qui contrahendo

hendo has Leges tacite saltem acceptaverint. Hæ autem Leges tales sunt.

1. Si contractus cedat in solius recipientis utilitatem, ut Commodatum, recipiens eam restituere tenetur, si perierit ex sua culpa, etiam levissima, non autem ex casu fortuito; nisi aut pactum speciale, aut mora restituendi intercesserit. Quod si *precarium* fuerit, recipiens restituere non tenetur, nisi ex sua culpa lata, quæ in jure dolo æquivalet, perierit. In mutuo autem res perit mutuatario, etiam absque sua qualibet colpa: quia vi mutui hujus rei factus est dominus, & rem domino suo perire necesse est.

2. Si contractus in gratiam solius dantis cedat, ut depositum; rei detentor ad restitutionem non tenetur, nisi ex culpa lata; nisi pro depósito se se obtulerit, vel de pretio pro re deposita custodienda convenerit; quia tunc ex culpa, etiam levi, teneretur restituere. Immo si a deponente repetita fuerit, & non reddita, detentor ad restitutionem teneretur si fortuito casu periret, quia tunc esset in culpa.

3. Si contractus in utriusque cedat utilitatem ut locatio; locatarius ad restitutionem tenetur ex culpa lata & levi, non vero ex levissima, nisi ex alio contractu virtuali aliter sit statutum, ut in Nautis, Aurigis, Tabellariis, & Hospitibus contingit, qui adventantium ac viatorum bona custodire teneantur: hi omnes restitutioni sunt obnoxii, etiam ex culpa levissima.

Quær. 3. Ex qua culpa oriatur restitutionis obligatio ratione Officii?

R. Cum distinctione: vel enim Officiales munus suum exercent pro stipendio & ex justitia, vel gratis & ex sola charitate. Si primum, restituere aut damnum resarcire tenentur ex culpa lata, & levi, non vero ex levissima, nisi tamquam in sua arte peritissimos quærenti sese obtulerint

tunc enim tenentur restituere etiam ex culpa levissima, ob pactum saltem implicitum majoris solito diligentiæ adhibendæ. Si secundum, tenentur tantummodo damnum resarcire ex lata culpa illatum. Quæ omnia constant ex Legibus præallatis de Contractibus, tum ex una parte, tum utrinque gratiosis.

§. 2. *De Restitutionis circumstantiis.*

Not. SEptem vulgo numerantur restitutionis circumstantiæ: *Qui*, *Cui*, *Quid*, *Quantum*, *Ubi*, *Quomodo*, *Quando restituere teneatur*. Quæ omnia seorsum exponemus. Igitur

Quær. 1. Quis restituere teneatur?

℟. Ultra principalem damnificantem, ad restitutionem tenetur quicumque directe vel indirecte, positive vel privative damno cooperatur; ita ut ejudem causa sit vel physica, vel moralis, juxta illud Apostoli Rom. 2. *Non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Efficaces autem cooperatores, his versibus comprehenduntur.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, Mutus, non Obstans, non Manifestans.

Jubens, seu Mandans tenetur ad restitutionem, sive expresse mandaverit, sive tacite tantum, aut implicite, ut si vir præpotens ostenderit violentiam aut injuriam sibi gratam futuram. Item sive mandans præcipiendi auctoritate polleat, sive non; uno verbo, quovis mandet modo in damnum illatum efficaciter influenti, ita ut mandatum sit causa illius. Immo taliter mandans non tantum tenetur ad damnum resarciendum; quod de facto jussit, sed etiam ad illud quod prævidere poterat; ut si jussisset Petrum fustibus tantum graviter

viter cædi, qui tamen occiſus fuit. Quod ſi mandatum efficaciter revocaſſet, ad reſtitutionem non teneretur; quia tunc mandatarius non vi mandati, ſed propria malitia damnum intuliſſe cenſeretur. Dixi *efficaciter*; nam ſi defectu nuntii, v. g. mandatarius revocationem non recepit, & interim mandatum exequatur; mandans de damno ſecuto tenetur, cum ejus mandatum in damnum illatum de facto influxerit.

Conſulens; id eſt, quicumque ad damnificationem alterum movet & allicit, damnificationis media, utilitatem, facilitatem, ſecuritatem, aut juſtitiam proponendo; is æque ac mandans ad reſtitutionem tenetur, cum non minus ad damnificationem conſilium influat, quam mandatum. Inter utrumque tamen illud diſcriminis intercedit, quod licet conſulens conſilium ſuum revocaverit a damnorum reſtitutione minime liberatur, ſicut dictum eſt ſupra de mandante. Ratio diſparitatis eſt, quod mandatarius non agat ſuo, ſed mandantis nomine; ideo mandato jam revocato mandans non cenſetur amplius in actionem influere. Qui vero recepit conſilium, non agit conſulentis nomine, ſed ſuo; unde licet conſulens conſilium revocet, ſi tamen motivum operandi ab ipſo propoſitum in mente damnificantis, uti ſæpe contingit, remaneat, & illum ad damnificationem inducat, conſulens cenſetur cauſa illius.

Conſentiens; id eſt, favens, approbans, ſuffragium ferens, reſtitutioni eſt obnoxius, dum ab ejus conſenſu, favore, approbatione, vel ſuffragio pendet ut injuſta actio fiat, vel non fiat. Ejus generis ſunt. 1. Principum conſiliarii, qui ſuffragium ferunt pro bello injuſto. 2. Duces, qui militibus vici aut familiæ deprædationem injuſte poſtulantibus permittunt. 3. Magiſtratus, qui annonas carius quam par eſt, publice vendi permittunt. 4. Judices qui damnationi innocentis etiam

ultimi, id est completo suffragiorum numero requisito, subscribunt, qui tenentur collegas suos ab injusta sententia, in quantum possunt, revocare, &c.

Palpo seu adulator, qui laudando, applaudendo, commendando, offensum irridendo, ignaviam exprobrando, injuriam exaggerando, nobilitatem exponendo, &c. alterum impellit ad damnum inferendum, ad restitutionem tenetur, si ejus adulatio in damnificationem efficaciter influat. Nec opus est, quod per hanc adulationem ad damnificationem alterum impellere non proposuerit; sufficit enim, quod præviderit aut prævidere debuerit ex sua adulatione secuturam esse aut natam esse damnificationem.

Recursum præbens, seu receptator malefactoris, restitutioni est obnoxius, si ipsi, quatenus malefactori, patrocinium præstiterit, ipsum protegendo, hospitio recipiendo, instrumenta servando, prædas emendo aut custodiendo, &c. Dixi, *quatenus malefactori*; nam qui malefactorem reciperet, ut quemlibet alium, titulo amicitiæ aut officii publici, immo qui compassionis motivo eumdem a satellitibus quæsitum absconderet, ad restitutionem non teneretur, quia sic recipiens nullatenus est causa acceptionis vel detentionis injustæ, nec in eam influit. Excipe tamen, si recipiens ex officio teneretur malefactorem apprehendere; vel nisi constaret malefactorem sumpturum inde occasionem nova damna inferendi; vel nisi fugeret malefactor, ne restitutionem facere cogeretur.

Participans ad restitutionem tenetur, non solum is qui in crimine participat, scalas deferendo, claves adulterinas fabricando, excubias agendo, &c. sed & qui partem prædæ, quam furtivam novit, recipit, aut consumit, mortaliter peccat & ad restitutionem tenetur partis a se consumptæ, licet ex ea non factus sit ditior.

Mutus, qui tacet, cum loquendo, strepitum eden-

edendo, consilium aut præceptum dando, impedire potest ne alteri damnum inferatur.

Non obstans, qui auxilium & operam ad damnum impediendum præstare omittit. *Non manifestans*, qui commissum aut committendum latrocinium non detegit, sive ut damnum impediatur, sive ut reparetur: hi omnes ad restitutionem tenentur. 1. Si ex justitia loqui, obstare, aut manifestare tenentur. 2. Si re ipsa damnum non impedierint. 3. Si rationabiliter impedire potuerint, & absque imminenti & gravi aut rerum suarum aut vitæ periculo. Hinc

Resolv. Teneri ad restitutionem 1. Custodes silvarum, vinearum, gabellarum; &c. permittentes auferri aut deprædari suæ custodiæ commissa. 2. Belli duces, Magistratus, Patres familias, aut alii Superiores non impedientes rapinas, usuras, fraudes, monopolia, furta suorum subditorum. 3. Famuli latrocinia conservorum suorum aut aliorum non manifestantes. 4. Permittentes animalia sua proximi bonis damnum inferre, &c. Porro hi omnes novem cooperatores ad restitutionem in solidum tenentur, cum in injustam rei alienæ vel acceptionem, vel detentionem, vel damnificationem influant; licet nonnulli magis ad eam quam alii teneantur. Circa quod

Quær. 2. Quo ordine cooperatores ad restitutionem teneantur?

Antequam respondeam, observandum est, eum dici primo loco teneri ad restitutionem, qui sic ad eam tenetur, ut ipso restituente ceteri a restitutionis onere fiant immunes; & alio restituente, ipse eidem, quod solvit, refundere teneatur. Secundo autem loco teneri dicitur, qui cum jam restitutionem fecit, ceteri fiant immunes, excepto primo, & sic de aliis. Demum in eodem gradu teneri dicuntur, qui æqualiter obligantur; ita ut si nullus deficiat, teneantur singuli ad aliquam

partem; aut si aliquis eorum totum restituat, alii singuli ejusdem ordinis huic refundere teneantur eam partem, quam debeant pro ratione influxus sui. Hoc notato,

IV. Circa hanc quæstionem nonnullas assignari regulas ab omnibus receptas, quarum

Prima est: quod ante omnes alios is restituere teneatur, apud quem extat res ablata; quia onus restituendi ratione rei acceptæ primum semper est ac naturale, cum res ubicumque sit, semper clamet domino suo.

1. Ubi plures adsunt æqualiter damnificantes, ut plures præcipientes, plures mandantes, plures exequentes, &c. tenentur ad restitutionem in eodem ordine; quia nulla est ratio, ut supponitur, cur unus ad plus teneatur quam alius.

3. Inter eos qui æqualiter damnum intulerunt, primo loco tenetur Præcipiens, quia licet physice non operetur, communi tamen hominum existimatione censetur principalis auctor, & ceteri ejus tantummodo quasi instrumenta. Idem dicendum est de eo, qui minis, fraude, precibus importuni, pretio coegit aut induxit ad damnum alteri inferendum; cum in actione principalis agens censeatur.

Post præcipientem subsequitur exequens, qui consulentem, & alios præcedit, cum egerit physice, & respectu eorum proprio nomine damnum intulerit.

5. Post istum accedunt positive cooperatores, Consulens scilicet, Consentiens, Palpo, & Receptans, qui omnes in eodem ordine ad restitutionem tenentur, cum eodem modo in damnificationem influant. Sive enim consulas, sive consentias, sive adueris, aut receptes, nihil aliud facis quam animare, incitare, & impellere executorem ut suo nomine damnum inferat. Æquum tamen est, ut inter hos cooperatores qui fortius

ef-

efficaciuſve exequentem movit, ad majorem reſtitutionis partem teneatur. Quoad Participantem, ſi in præda participaverit, tenetur, ut dictum eſt, ad eam partem, quam participavit. Quod ſi participaverit in actione damnificativa, pari modo obligatur ac exequens, ut patet.

6. Subſequuntur negative cooperantes, Mutus, non Obſtans, non Manifeſtans. Evidens eſt enim prius reſtitutionem competere ei, qui poſitive actionem injuſtam poſuit, quam qui eam non impedivit. Porro hi omnes negative cooperatores pari gradu & ordine ad reſtitutionem tenentur; quia ſive quis taceat videntem farem, ſive non obſtet, ſive non manifeſtet, nihil aliud facit quam poſitionem operis, quod impedire tenebatur, permittere. Certum eſt tamen cuſtodes particulares, quibus cura rerum immediatius competit, prius ad reſtitutionem teneri, quam cuſtodes generales, Prætores ſcilicet aut Magiſtratus.

Quær. 3. Cui, quod, quantum ſit reſtituendum?

℟. Satis patet domino, vel dominum repræſentanti, vel poſſeſſori juſto v. g. Depoſitario, Commodatario, &c. reſtituendum eſſe, quod ablatum, injuſte retentum aut damnificatum eſt, & hoc quidem ad juſtam æqualitatem; immo & damnum emergens ac lucrum ceſſans, ſi ex illata injuria ſecutum fuerit. Nec qui rem furtivam, etiam bona fide, emit, ubi furtivam eſſe cognovit, furi reddere poteſt ad pretium recuperandum; ſed ipſius rei domino, a quo nihil exigere poteſt, quia res ubicumque ſit, clamat domino ſuo, nec abſque injuria res ipſius in ſtatu deteriori poni poteſt, poneretur autem in ſtatu deteriori, ſi redderetur furi. Ergo, &c.

Quær. 4. Ubi, quomodo, & quando ſit reſtituendum?

℟. Injuſtus rei detentor propriis expenſis reſti-

tuere tenetur rem sic detentam, in loco ubi dominus eam erat possessurus; non per partes, sed totam simul, si possit, simul restituere debet; prius restituere tenetur, ceteris paribus, anterioribus quam posterioribus damnificatis, prius indigentibus quam non indigentibus, &c. & hoc quidem quam primum fieri potest, absque longe gravioris incommodo, quod pateretur damnificatus.

§. 3. *De Restitutionis necessitate.*

Not. 1. REstitutionem ita necessariam esse necessitate præcepti, ut sine ea, dum culpabiliter omittitur, salus obtineri nequeat, juxta Domini præceptum Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, & D. Aug. oraculum Epist. 55. ad Maced. *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. Ex quo sequitur, restitutionem de die in diem procrastinantes, absque justa causa, versari in continuo peccato, quod singulis crescit momentis, tenerique ad omne interesse, inde domino emergens; immo quoties alicui menti occurrit se alienum detinere, & non solvere aut reddere proponit, toties novum mortale peccatum committi.

Not. 2. Restitutionem necessitate medii non esse necessariam; nam qui vel invincibiliter ignorat se ad restitutionem teneri, vel factus est impotens, absque ea salutem obtinere potest, si desiderium efficax restituendi in corde retineat: unde in textu Aug. mox citati additur: *Sed ut dixi, cum restitui potest.* Circa quod

Quær. 1. Quænam sint causæ legitimæ a restitutionis onere eximentes?

R. Quinque assignari posse: Impotentia, non solum physica, sed & moralis: Grave detrimentum ipsiusmet Creditoris, aut alicujus tertii: Detrimentum proprii boni superioris ordinis: Creditoris remissio: Bonorum suorum cessio. Igitur

1. Mo-

1. Moralis impotentia, quamdiu perſeverat, a reſtitutione excuſat; dum ſcilicet fieri non poteſt quin debitor longe majus detrimentum ex ea patiatur, quam creditor ex ejus dilatione. Ratio eſt, quia tunc creditor rationabiliter eſſet invitus, cum juſte vellet ut ita ſecum ageretur, ſi eſſet debitor. Hinc

Reſolv. Non teneri debitorem domum aut villam multo minoris vendere quam valeat, ad debita ſolvenda; nec ſtatus ſui jacturam notabilem incurrere, ſi ſtatus juſte fuit acquiſitus, non uſuris, fraudibus & ſimilibus. Tenetur tamen quilibet debitor diligenter adlaborare, & ad honeſtam mediocritatem ſe ſe reducere, ut debita quam primum ſolvere poſſit. Quod ſi vero ex reſtitutionis dilatione tantum patiatur creditor quantum ex reſtitutione debitor, iſte ſtatim reſtituere tenetur; cum potior ſit creditoris, quam debitoris conditio.

2. Grave detrimentum ipſiuſmet creditoris, aut alicujus tertii a reſtitutione excuſat. Si v. gr. quis debitum repeteret, ad peccandum vel contra caſtitatem, vel contra charitatem, vel contra juſtitiam, &c.

3. Detrimentum notabile proprii boni ſuperioris ordinis, famæ ſcilicet, vitæ, corporis ſanitatis, aut libertatis, a reſtitutione excuſat. Unde nec mulier adultera, nec falſus teſtis, &c. crimen ſuum aperire tenentur, ad damnum illatum reparandum; ſi metus ſit, ne ex hac revelatione ipſimet grave detrimentum in fama, fortunæ bonis, &c. patiantur.

4. Creditoris remiſſio ab onere reſtitutionis eximit, modo vere ſit libera; ita ut nulla intercedat violentia, metus, fraus, vexatio, timor reverentialis, moleſtia creditoris, auctoritas, aut timor totum debitum perdendi, niſi ad aliquam partem fiat compoſitio. Remiſſio ſiquidem, utpote

quædam donatio, debet esse omnino liberalis & gratuita; quæ si non sit, remanet semper restitutionis obligatio, dum creditor ad fortunam pinguiorem redierit.

5. Bonorum cessio, qua quis, debitis omnibus solvendis insufficiens, bona sua creditoribus dividenda reliquit, a restitutione liberat; modo creditores in id libere consentiant, ac sincere residuæ solutioni renuntient. Sed cum ordinarie nisi semicoacti id faciant, hæc bonorum cessio non impedit, quominus debitores teneantur pro sua conditione laborare ut integre debita solvant, ex bonis, magis favente fortuna, de novo a se comparatis; extractis tamen prius, pro sua suorumque honesta sustentatione, necessariis.

Quær. 2. Utrum restitutio, commissa personæ non suspectæ, a facienda secunda restitutione liberet, si res ad verum Dominum non pervenerit?

R. Cum distinctione, vel res bona fide fuit detenta, vel injuste accepta. Si primum, debitor a secunda restitutione est immunis, modo nullam fortuito casui, restitutionem impedienti, causam præbuerit: excepto tamen mutuo, quod dominio debitoris semper subjacet, donec ad Mutuatorem pervenerit; res autem, ut sæpius dictum est, perit Domino suo; nisi forsan ipsemet Mutuator personam, per quam res sibi remitteretur, elegerit, quia tum causa est cur perierit. Si secundum, inquit D. Antoninus, & alii, debitor a secunda restitutione facienda non est immunis; quia qui rem injuste detinet aut subripuit, culpabiliter casibus fortuitis se se commisit. Excipe tamen casum, quo rem domino tempore, locoque opportuno obtulisset, & ille recipere noluisset. Plura, si libuerit, apud auctores videantur.

ARTICULUS II.

De Injuria, & Restitutione in particulari.

INferri potest injuria, proindeque restitutionis obligatio nobis incumbere potest ratione multiplici, videlicet ratione secreti proditi, ratione mendacii, ratione bonorum, tum animæ, tum corporis, tum fortunæ, tum denique famæ, aut honoris. De quibus sequentibus Paragraphis hic nobis breviter restat agendum.

§. 1. *De Injuriæ, & Restitutione ratione Secreti proditi.*

Not. VIolari secretum, non solum dum res aliqua expresse, vel tacite sub secreto commissa est, aut audiens secretum promisit; sed etiam dum absque commissione aut promissione alicujus rei secretæ revelatio in proximi vergit detrimentum. Secreti autem violatio grave peccatum est ex genere suo contra charitatem, qua quis tenetur ne alteri quis faciat quod sibi fieri non vult: & contra ipsamunet justitiam, obligatque ad restitutionem, si inde proximus in bonis vitæ, famæ vel fortunæ damnum aliquod patiatur; cum ad hæc verum jus habeat, maxime si accesserit tacita vel expressa convention secretum commissum servandi, quæ est quasi promissionis contractus, graviter in re gravi ex justitia obligans. Hinc

Resolv. Graviter peccare cum restitutionis onere, 1. Qui casu fortuito scientes occultam pecuniam alterius, illam revelant, quod fit ut a latronibus subripiatur. 2. Qui proximi secretum explorant, vel ad januam auscultando, vel epistolas clausas aperiendo, aut apertas legendo, dum in secreto loco servantur; quia jus habet quilibet ad

suum

ſuum ſecretum. 3. Superiores, Conſiliarii, Advocati, Medici, immo & amici, quibus conſilii vel auxilii petendi gratia ſecretum committitur, peccant graviter ac reſtitutioni ſunt obnoxii, ſi ſecreta ſibi commiſſa revelant, quia vi officii ſui ac muneris cenſentur ad ſilentium ſe obligare.

Quær. Quænam ſunt cauſæ ab injuſta violatione ſecreti excuſantes?

R. Quatuor recenſeri poſſunt. 1. Si ſecretum commiſſum nullius ſit momenti. 2. Si ipſum jam fuit aliunde propalatum. 3. Si ejus cuſtodia in damnum commune, aut alicujus innocentis cederet. 4. Si ſervari non poſſet abſque gravi vel illius cui commiſſum eſt, vel illius qui illud commiſit, nocumento.

§. 2. *De injuria, & Reſtitutione ratione Mendacii.*

Not. 1. MEndacium eſſe *locutionem, ſeu quamlibet ſignificationem, contra mentem, cum animo decipiendi.* Dicitur *quælibet ſignificatio*; non ſolum enim verbo, ſed etiam nutu, ſcripto, & facto mentiti poſſumus. Dicitur *contra mentem*, quia ad mendacium opus eſt, ut id quod dicitur, falſum putetur, licet forſan verum ſit: ſicut e contra is non mentitur, qui falſum dicit, quod verum eſſe putat. Dicitur *cum animo decipiendi*: id eſt cum intentione ſuadendi id quod menti ſuæ contrarium eſt, alioquin nugari potius eſſet, quam mentiri; ut ſi quis diceret nolens id ſuadere: *Per feneſtram me dabo præcipitem, ſi id mihi non concedas.*

Not. 2. Dividitur 1. Mendacium in periculoſum, quod infert alteri nocumentum: officioſum, quo proximum juvare proponimus: jocoſum, quo ipſi placere, adulari aut delectationem afferre intendimus. Utrumque autem, officioſum nempe, & jo-

& jocoſum, verum eſt mendacium; quia licet hæc mendacia proferens proximi juvamen aut delectationem ſibi proponat, cum tamen nec juvat nec delectatur, niſi fallendo, id eſt contrarium menti ſuæ ſuadendo, vere ſemper mentitur. 2. Mendacium dividitur in formale ſeu expreſſum, & æquivalens. Primum fit ab eo, qui aliquid expreſſe dicit contra mentem; ſecundum fit ab eo, qui ad decipiendum reſtrictionibus mentalibus, aut terminis æquivocis, aut amphibologicis utitur. Circa quod

Not. 3. Reſtrictionem mentalem eſſe locutionem ad alium ſenſum, quem de ſe habet, ab ipſo loquente reſtrictam, mediante quadam gloſſula interius a ſe intenta; ut ſi quis pauperi eleemoſynam petenti reſpondeat: *Non habeo*, interius intendendo, *ad tibi erogandum*. Reſtrictio alia eſt pure mentalis atque inſenſibilis: alia late mentalis, ſeu ſenſibilis. Prima quæ ſola mente omnino latet, nec ullis ſignis, verbis, aut circumſtantiis, aut uſu communi ab audiente nullatenus dignoſci poteſt: ſecunda e contra facile ex ſupradictis obſervatur a quolibet mediocrem intelligentiam habente. Exemp. gr. Si interroganti, Miſſa a te nondum celebrata, utrum celebraveris, reſpondeas, *Celebravi*, ſubintelligendo *heri*; tunc eſt reſtrictio pure mentalis. Quod ſi cujusdam viri nobilis famulus reſpondeat Dominum ſuum inviſenti, *Dominus abeſt*, qui tamen adeſt, ſubintelligendo *ut videatur*; tunc reſtrictio eſt late mentalis, quia facile quilibet intelligere poteſt ex uſu communi apud Nobiles, Dominum vel de facto non adeſſe, vel impedirum eſſe.

Not. 4. Propoſitiones æquivocas eas eſſe, quæ diverſos ſenſus admittunt, unum primario, alterum ſecundario; unum literalem, alterum ſpiritualem. Idem de propoſitionibus æquivocis ac de reſtrictionibus dicendum venit. Sunt enim propoſitio-

fitiones, quarum æquivocationem quilibet facile ex circumſtantiis intelligere poteſt; ut dum Chriſtus Dominus dicebat, ſe eſſe vitem veram, agnum Dei, &c. Sicut nonnullæ adſunt, quarum æquivocatio non percipitur; ut ſi loquens de ſtatura cujusdam parvi doctoris, dicas ipſum eſſe virum magnum. His notatis.

Quær. 1. Utrum mendacium ſit licitum?

R. Nullo caſu, etiam in graviſſima & extrema neceſſitate, mentiri licet. Mendacium ſiquidem non ſolum veritati Dei, ſed & juſtitiæ contrarium eſt, cum proximum decipiendi intentionem importet, legeſque ſocietatis humanæ infringat, ſecundum quas veritas debetur cuilibet interroganti, aut nobiſcum obloquenti: unde jure ac merito docet Auguſt. lib. *Contra Mendacium* c. 26. eum qui baptizari non poſſet, niſi cuſtodibus mendacio deceptis; Baptiſmum potius ſibi eſſe prætermittendum.

Quær. 2. Quandonam mendacium veniale ſit, aut mortale?

R. Certum eſt apud omnes ex D. Auguſt. in Pſal. 5. *Duo eſſe genera mendaciorum, in quibus non eſt magna culpa, cum aut jocamur, aut, ut proximo proſimus, mentimur.* Ratio eſt, quia veritati nonniſi leviter pugnant, cum charitati graviter non opponuntur. Pernicioſum autem mendacium mortale eſt ex genere ſuo, & ad reſtitutionem obligat; quia charitati ſimul ac juſtitiæ pugnat. Idem dicendum eſt de mendaciis contra Religionem pugnantibus, quæ ſemper mortalia ſunt: ſic qui in Confeſſione mentitur circa Confeſſionis ſuæ materiam, lethalem incurrit culpam; utpote qui Sacramento gravem inferat injuriam. Dixi, *circa Confeſſionis ſuæ materiam*; nec enim mortaliter peccaret, qui circa aliquam levem circumſtantiam, non neceſſariam, mentiretur. Item Concionator culpæ mortali eſſet obnoxius, qui circa doctrinalem materiam mentiretur, fal-

ſas

sas indulgentias proponeret, falsa miracula annunciaret, alicujus Sancti vitam fingeret, &c. quia Religionem ludibrio sic exponeret, & gravem Deo, cujus personam gerit, injuriam inferret. Dixi, *circa materiam doctrinalem*; si enim diceret se aliquid vidisse quod non vidit, ad doctrinam non spectans, a gravi peccato excusari posset.

Quær. 3. Utrum liceat uti restrictione, aut æquivocatione pure mentali?

R. Restrictione aut æquivocatione pure mentali atque insensibili numquam uti licet, utpote quæ vera sint mendacia.

Prob. 1. Auctoritate Inn. XI. damnantis prop. 26. ubi docetur eum, qui talibus utitur restrictionibus aut æquivocationibus, *revera non mentiri*. 2. Ratione evidenti, quia pure mentalis restrictio nihil prorsus immutat, aut emendat in simplici verborum significatione: unde si quis Missa non celebrata respondeat interroganti, *Celebravi*, subintelligendo *hexi*, æque mentitur, ac si nihil interius subintelligeret. Deinde ideo mendacium est intrinsece malum quia adversatur fini, propter quem verba a Deo sunt instituta, mutuæ scilicet cogitationum communicatio; & quia proximum decipimus. Atqui restrictio pure mentalis huic institutioni non minus adversatur, nec per eam minus inevitabiliter proximos decipimus. Ergo.

Nec refert 1. Quod qui restrictione pure mentali utitur, mentiri non intendat; intendit enim decipere, & de facto inevitabiliter decipit. Nec refert 2. Quod verba externa juxta conceptum internum verum significent; quia si verum significent ipsimet loquenti, non significant audienti: sic, licet loquens non sibimet mentiatur, mentitur tamen proximo suo, de quo est quæstio.

Quær. 4. Utrum uti liceat restrictionibus aut æquivocationibus late mentalibus, seu sensibilibus?

2. Ex gravi causa liceret; ut patet exemplo Christi Domini, qui se non ascensurum ad diem festum dicebat Discipulis suis, licet postea ascenderit, subintelligens *vobiscum manifeste*; & diem judicii se nescire, subintelligens, *ad vobis illum revelandum*, seu *tamquam legatus a Patre missus*: quas restrictiones facile poterant Discipuli intelligere, cum probe scirent Christum Dominum legis cæremonias fidelissime observare, ac Deum esse omniscium, nihilque ipsum latere: ex qua cognitione sensum locutionis ejus, licet subobscurum, poterant ac debebant percipere.

Potissima hujus assertionis ratio est, quia restrictio late mentalis non est mendacium, sed prudens veritatis occultatio. Ille siquidem non mentitur, qui nec contra mentem suam loquitur, nec proximum decipit. Sed qui æquivocationem late mentalem adhibet, contra mentem suam non loquitur, ut patet, nec proximum decipit: licet enim, nisi obscure, mentem suam proximo non aperiat, attentis tamen circumstantiis materiæ, loci, temporis, vel personæ interrogatæ, aut interrogantis, proximus eam, ut supponitur, percipere potest ac debet; & si eam non perceperit, insciliæ suæ aut temeritati &c. imputare debet. Deinde fatentur omnes, Confessarios, Secretarios, &c. interrogatos de rebus sibi confessis aut sibi commissis, posse affirmare se eas nescire; quod utique facere non possunt, absque restrictione late mentali; subintelligendo nimirum, *quatenus homines particulares*. Ergo. Huic nostræ assertioni

Non obstat 1. Condemnatio prop. supra allatæ ab Innoc. XI. Siquidem Sum. Pontifex eam non damnavit, nisi ad sensum auctorum, qui licitam dicebant restrictionem pure mentalem, quam & nos damnamus. Nec obstant 2. nonnulli Sanctorum Patrum Textus docentium, eum vere mentiri, qui non respondet juxta mentem seu ex-

expectationem interrogantis; alioquin sequeretur Christum Dominum fuisse mentitum: unde dicendum est eum, qui restrictionem late mentalem adhibet, subobscure saltem, juxta mentem & expectationem interrogantis aut secum obloquentis respondere. Nec obstat 3. quod restrictio late mentalis humanæ conversationis Legibus sit contraria; non enim hæ Leges obligant semper clare & aperte mentem nostram aut secreta nostra revelare. Sufficit ad commerciium humanum ut loquamur eo sensu, quem facile ex circumstantiis proximus colligere potest ac debet.

Dixi in assertione, solummodo ex gravi causa licere æquivocationibus uti late mentalibus. Levis namque causa, ne v. gr. secretum frivolum aperiatur, ne Scholares aut Domestici corrigantur, ne amico displiceamus, &c. a veniali non excusat; immo nec quandoque a mortali, dum gravis nimirum instat obligatio nude veritatem aperiendi, ut si juste ac legitime a Judice fueris interrogatus. Ratio est, non quidem quod similes æquivocationes aut restrictiones vera sint mendacia; sed quia Leges consortii humani postulant, ut quisque veritatem simpliciter, juste interroganti, aperiat; nisi alioquin eam celandi obstet gravis ac rationabilis necessitas.

§. 3. *De Injuria & Restitutione in bonis animi.*

Not. ANimi bona duplicis sunt generis, supernaturalia scilicet, & naturalia. Supernaturalia sunt gratia & dona Spiritus Sancti eam subsequentia; naturalia vero, memoria, intellectus, scientia, ars & similia, de quibus

Quær. 1. Utrum qui alium ad peccandum inducit, ad restitutionem erga ipsumet inductum teneatur.

R. Cum:

℟. Cum distinctione. Si vi, vel metu, vel fraude alium ad peccandum induxit, ex justitia tenetur non solum efficaciter laborare ut seductus pœnitentiam agat, sed & damnum temporale ipsi seducto illatum reparare. Ratio est, quia fraus, vis, aut metus injuriam habet annexam, proindeque restitutionis obligationem inducit. Nec refert quod seductus voluntarie peccaverit; sufficit enim ad statuendam injuriam, ut opus ejus secundum quid ita sit involuntarium, ut si metus, vis, vel fraus non adesset, opus minime fieret.

Quod si vero consilio tantum, aliove modo, a vi, metu, vel fraude distincto, aliquis proximum in peccatum induxerit, tenetur quidem ex charitate eum a peccato, in quantum potest, retrahere; sed non ex justitia, nec proinde damnum temporale sibimet illatum compensare, cum omnino voluntarie peccaverit: excipe tamen, si inducens inducti esset Superior, qui ex officio, proindeque ex justitia tenetur subditorum suorum saluti invigilare.

Quær. 2. Ad quid teneatur, qui alterum in errorem induxit?

℟. Si quis ex stipendio, vel Officio collato, aut gratis assumpto onus instruendi suscepit in his quæ spectant vel ad fidem, vel ad mores, vel ad aliquam scientiam, aut artem, quales sunt Prædicatores, Confessarii, Doctores, Advocati, Medici, Professores Theologiæ, Philosophiæ, Grammaticæ, Magistri artis cujuslibet, vel liberalis, vel mechanicæ; tenetur omnia damna, tum spiritualia tum temporalia ex falsa sua instructione orta resarcire, sive id temeritate sua, sive negligentia, aut ignorantia, & etiam leviter culpabili, contigerit; quia tunc veram intulit injuriam, & vere factus est alienæ damnificationis causa justa. Privatus autem homo, qui alterum in errorem suo induxit consilio, ad nullam tenetur in-

dem-

damnificationem, cum proximum inſtruere non teneatur ex juſtitia; proindeque qui damnum ex errore ſibi omnino voluntario paſſus eſt, temeritati ſuæ debet imputare.

Quær. 3. Ad quid tenetur, qui in potentiis animæ, memoria, aut ratione, proximum læſit?

R. Ipſum non teneri ad pecuniæ ſolutionem, cum ſupradictæ potentiæ ita ſint ſuperioris ordinis, ut nullis fortunæ bonis compenſari valeant. Sed proculdubio tenetur temporale damnum inde ortum reparare; ut per ſe patet, & mox fuſius exponemus.

§. 4. *De Injuria, & Reſtitutione in bonis corporis.*

Not. INter bona corporis, vita, ſanitas, membrorum integritas, libertas, clauſtrum virginale & pudicitia recenſentur. Per occiſionem vitæ infertur injuria, per verberationem aliove modo ſanitati, per mutilationem membrorum integritati, per incarcerationem libertati, per ſtuprum & violentiam virginitati & pudicitiæ. Circa quæ innumeræ propemodum agitantur quæſtiones, inter quas ad praxim magis neceſſarias ſolita brevitate diſcutiemus.

Quær. 1. An & quomodo malefactores liceat occidere?

R. Malefactores occidere non licet, niſi auctoritate publica; & ordinarie, niſi ſervato ordine juris. Prima pars patet; quia ſolus Deus dominus eſt vitæ vel necis, proindeque nullus mortem inferre poteſt, niſi is qui ejus Perſonam gerit, ejuſque auctoritate pollet. Ideo nec Marito licet Uxorem in adulterio deprehenſam occidere, prout definivit Alex. VII. nec ſubdito Principem ſuum tyrannice ſe gerentem prout definivit Concil. Conſtan-

ſtantienſe. Immo nec privato licet principem, Regni aut ſtatus uſurpatorem, occidere, niſi id ſtatuerit aut permiſerit Reſpublica; quia intrinſece malum eſt, auctoritate privata quemlibet occidere, proindeque nullo caſu licitum.

Quod autem ordinarie opus ſit ſervare ordinem juris, probatur ex eo quod auctoritas publica legitime exerceri non poteſt abſque ſcientia item publica, quæ niſi ſervando ordinem juris acquiri minime poteſt. Unde peccaret graviter Judex, qui eum quem probe novit Reum, juberet occidi, niſi talis ſecundum allegata & probata probatus fuiſſet. Dixi, *ordinarie*: nam ſi quis Malefactor deprehendi non poſſet, vel ſi ipſemet juſtitiæ Miniſtrum in foro publico occidere vellet, vel ſi aliis malefactoribus terrorem incutere expediret, ut in Bello ſæpius contingit, ſine alia forma occidere liceret.

Quæſt. 2. An auctoritate etiam publica Innocentem liceat occidere?

℟. Nullo caſu licere, etiam auctoritate publica, innocentem *per ſe, directe & ex intentione* occidere, quia publica auctoritas nullam aliam in vitam ſubditorum ſuorum auctoritatem habet, quam eam quæ ſibi a Deo fuit collata. Atqui non ſolum Deus hanc Reipublicæ non dedit auctoritatem, ſed expreſſe inhibuit, dicens, Ex. 23. *Inſontem & juſtum non occides*. Ergo. Unde Innocentem Tyranno tradere non licet, etiamſi totius immineret urbis excidium, quia Innocentis occiſio non minus mala eſt intrinſece, quam fornicatio aut adulterium. Poſſet tamen auctoritas publica Innocentem jubere ut Tyranno ſe ſe offerat; cum ad hoc teneatur ex charitate erga patriam: quod ſi nollet, eo ipſo reus fieret, ſicque poſſet invitus tradi aut ex Civitate ejici. Dixi *per ſe, directe & ex intentione*; indirecta ſiquidem Innocentis occiſio quandoque licita eſt, ſi ex

juſta

justa fiat necessitate, nec mors Innocentis intendatur, sed alius immediatus & bonus affectus. Sic in bello licet turrim evertere, in qua sunt Innocentes, si aliter hostes Reipub. vinci non possint: sic licitum est contra injustum invasorem se defendere, licet timeatur ne in hac defensione pereat Innocens, quem invasor instar clypei objecit, quia jus turrim nocivam evertendi, aut ab invasore se defendendi, non perit ob periculum Innocentis, accidentaliter annexum, & non intentum.

Quær. 3. Utrum liceat se ipsum occidere, aut mutilare?

R. 1. Nullo casu licitum est se ipsum directe occidere; quia, ut dictum est, solus Deus vitæ ac necis est dominus, & homo tantum depositarius. Adde quod per præceptum *Non occides*, omnis occisio rectæ rationi repugnans prohibeatur; nihil autem rationi magis repugnat, quam suicidium. Unde August. l. 1. de Civ. Dei *Hoc asserimus, hoc omnibus modis approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere.* Hinc mortaliter peccaret, qui morti inevitabili pro amico se se exponeret; qui peste infectus se ipsum trucidaret, ne aliis noceret; qui ad proprium aut alienum peccatum præcavendum, ad struprum, aut ignominiam, aut grave tormentum vitandum, se se interimeret; quia suicidium non est medium ad hæc vitanda ordinatum, nec mala facienda sunt ut eveniant bona.

Non obstat 1. Responsioni exemplum Sampsonis, se ipsum cum hostibus domus ruina opprimentis; nec Eleazari se cum elephante, cui Rex hostium insidere putabatur, interficientis; nec quarumdam Virginum, quæ ad vitandum stuprum præcipites se dederunt. Sampson siquidem, teste Aug. l. 1. de Civ. c. 21. instinctu divino id fecit: Eleazarus sperabat posse evadere, si elephans in alteram par-

partem caderet: Virgines autem illæ ex ignorantia forsitan invincibili putabant suiccidium in hac circumstantia licitum esse. Nec obstat 2. illud Jo. 3. *Debemus pro fratribus animas ponere.* Sensus enim hujus loci est, quod debeamus, sicut Christus Dominus, mortem aliunde nobis illatam pro salute proximi patienter tolerare, non autem nobis eam directe inferre.

R. 2. Nullo casu licitam esse sui ipsius mutilationem, nisi ad conservationem totius, ob supradictam rationem; quia nimirum homo membrorum suorum non est dominus, sed solum depositarius. Hinc gravi peccato a SS. Patribus damnatus est Origenes, qui ad servandam castitatem virilia sibi amputavit. A fortiori graviter peccant, qui se ipsos castrari permittunt, aut Parvulos castrari jubent, ad vocis suavitatem obtinendam.

R. 4. Ex gravi justaque causa licet nonnullas actiones facere, ex quibus mors indirecte secutura timetur, modo aliqua spes evadendi affulgeat. Sic laudabiliter miles stationem custodit, hostem aggreditur in bello justo, & Sacerdos peste infestis inservit, cum mortis periculo, &c. Dixi 1. *Ex justa gravique causa*: damnantur siquidem peccato mortali, qui in chorda saltantes aut ambulantes, mortis periculo se committunt; immo & eorum spectatores, utpote peccato eorum cooperantes. Dixi 2. *modo aliqua spes evadendi affulgeat*; sic non licet navalibus militibus igne tormentario navem accendere, dum omnino salus desperata est.

R. 4. Licite, & sæpius laudabiliter multa possunt omitti, ex quorum omissione prævidetur mors indirecte acceleranda; quia non tenemur omnibus modis vitam nostram conservare. Sic laudabiliter Sancti Martyres absque ulla sui defensione mortem pro Christo oppetiere; & multi Sancti Confessores vigilias, & abstinentias, flagella-

tio-

tiones ad corporis caſtigationem, moderatas tamen, coluerunt, licet præviderint ex his eorum vitam fore abbreviandam: ſic Sanctus Caſimirus maluit Virgo mori, quam maritatus vivere: unde communiter docent Doctores, nullum teneri ad aerem ſalubriorem tranſire, medicinas extraordinarias ſumere, cibos pretioſos quærere, ut per aliquod tempus vitam ſibi prolonget.

Quær. 4. Utrum aliquo caſu licita ſit abortus procuratio?

R. Cum diſtinctione, vel fœtus jam eſt animatus, vel non; vel agitur de directa, vel indirecta abortus procuratione. Quo poſito certum eſt apud omnes, nullo prorſus caſu, etiam mortis imminentis, licitam eſſe, quæ directe intendatur, abortus procurationem; ſive fœtus ſit animatus, quia tunc verum eſſet homicidium, ſive nondum ſit animatus, quia teſte Tertulliano Apol. c. 9. *Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci*. Unde jure merito ab Innoc. XI. damnata eſt hæc prop. 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehenſa gravida occidatur, aut diffametur*. Sola igitur quæſtio eſſe poteſt de indirecta abortus procuratione. Utrum ſcilicet mulier gravida, periculoſe ægrotans, ad vitam propriam ſervandam Pharmacum ſumere poſſit, cum morali certitudine, aut ſaltem imminenti periculo fœtum ſuum, ſive jam animatum, ſive nondum animatum ſit, perdendi.

Non defuerunt auctores, qui docuerunt hoc mulieri gravidæ tunc licere, etiam dum fœtus ejus jam eſt animatus; quia, inquiunt, cuilibet licitum eſt vitæ ſuæ invaſorem occidere. Sed perperam hoc dicitur, tum quia Mater ad conceptum conſentiendo, juri ſuo ceſſiſſe cenſetur; tum quia mortis periculum in quo verſatur, potius ex propria oritur infirmitate, quam ex prætenſa fœtus invaſione, qui in hoc ſe habet tantum occa-

ſionaliter. Quod ſi vero omnino certum ſit fœtum non eſſe animatum, plurimi cenſent cum D. Antonino tunc licitam eſſe abortus indirectam procurationem; ſed longe probabilius videtur multis aliis doctoribus, nequidem tunc licitam eſſe; tum quia non ſunt facienda mala ut eveniant bona; tum quia ſi, ſecundum communem omnium ſententiam, non liceat ad vitam conſervandam procurari pollutionem, multo minus licitum eſt abortum procurari; quippe qui longe majorem habeat mali ſpeciem.

Ubi obiter pro praxi notandum eſt, peccato mortali obnoxiam eſſe mulierem, quæ ex ſua notabili negligentia abortum patitur; puta, quia nimium ſaltavit, vel nimis laboravit, vel inordinatis laſciviis indulſit. Item mulier nutrix, quæ parvulum filium in lectulo juxta ſe poſitum etiam inadvertenter ſuffocat; quia advertere debebat ac facile poterat, &c.

Quær. 5. Utrum, & quomodo liceat vitæ invaſorem occidere?

℟. Id licere, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ. *Omnia* ſiquidem *jura*, inquit Innoc. III. *& omnes Leges permittunt vim vi repellere*: lex videlicet naturalis, quæ dictat propriam potius conſervandam eſſe vitam, quam alienam: lex divina Exod. 22. ubi declaratur percuſſorem non fore reum ſanguinis, ſi furem nocturnum domum ſuam infringentem occiderit: quia, inquit Aug. quæſt. 84. in Exod. diſcerni non poteſt, utrum fur nocturnus veniat ad furandum, aut vero ad occidendum: lege canonica, Clem. *Si furioſus* de Homicidio: ubi ille qui vitæ invaſorem occidit, æquiparatur cum furioſo aut dormiente, qui non peccant occidendo: lege tandem civili, ubi legitur Leg. 2. ff. de juſtitia & jure. *Quod quiſquis ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur.*

Mo-

Moderamen autem inculpatæ tutelæ in hoc conſiſtit. 1. Quod invaſus mortem invaſoris non intendat, ſed ſolam ſui conſervationem; ſecus enim convinceretur id agere cauſa vindictæ ſumendæ. 2. Quod mors invaſoris ad vitæ defenſionem ita ſit neceſſaria, ut alio modo conſervari non poſſit, nec minis, nec precibus, nec fuga. 3. Quod in defenſione invaſus non excedat, unde qui vitam tutari poteſt percutiendo, mutilare non poteſt; & qui mutilando, non poteſt occidere.

Dices contra reſpoſionem, injuſtum invaſorem in extrema neceſſitate ſpirituali eſſe poſitum, quia ſi occidatur, damnabitur, cum in peccato mortali verſetur. Præceptum autem Domini eſt, ut pro fratribus animas noſtras ponamus, & vitam eorum ſpiritualem vitæ noſtræ corporali præferamus. R. Argumentum nimis probare; inde enim ſequeretur poſſe ac debere nos ipſos occidere, dum verſamur in periculo mortaliter peccandi. Ideo dicendum, quod cum aggreſſor propria malitia ſua in hoc verſetur periculo, nulla ibi eſt proprie neceſſitas, ſed mera iniquitas, cui favere minime tenemur.

Ceterum circa hanc aſſertionem obſervandum eſt. 1. Reum capite damnatum, occidere non poſſe, nec ullam injuriam facere Tortoribus, aut Satellitibus, vitam ſuam invadentibus; quia non invadunt niſi legitima ac publica auctoritate. 2. Non licere inimicum prævenire, quem ſcimus nos ad necem quærere; quia nondum cenſetur invaſor. 3. Nec licere, ob eamdem rationem, interficere falſum accuſatorem, a quo iniqua certo imminet ſententia, licet alia via innocens damnum vitare non poſſit, prout definivit Alex. VII.

Quær. 6. An pro honoris ſui defenſione aliquem occidere aut mutilare liceat?

R. Nequaquam. 1. Quia ſic jubet nos Chriſtus, *orare pro perſequentibus & calumniatoribus*

hos; quanto magis inhibet, ne eos occidamus aut mutilemus? 2. Quia honor & fama, quæ in hominum versatili opinione consistit, quamque nos flocci facere nostra jubet Religio, longe inferioris est ordinis, quam vita aut membrorum integritas. 3. Quia occisio aut mutilatio nullius sunt momenti, ad honoris conservationem aut reparationem; nec enim impediunt quominus quod dictum est aut factum, factum aut dictum non sit.

Nec refert quod quandoque honor periret, si vindicta non sumeretur. Nam si periret honor mundanus apud mundanos & impios; non periret, sed compararetur verus honor apud Religiosos & probos. Hinc jure merito circa hanc materiam plurimæ damnatæ sunt propositiones ab Ecclesia. 1. Quod Religioso & Clerico liceat calumniatorem occidere, quando alius modus se defendendi non suppetit. 2. Quod vir equestris ad Duellum provocatus, illud acceptare posset, ad vitandam solam ignominiam. 3. Quod fas esset viro honorato occidere invasorem, si impingat alapam, vel fuste percutiat, vel post impactam alapam, vel ictum fustis, fugiat.

Quær. 7. Utrum bonorum temporalium invasorem occidere liceat aut mutilare?

R. Quantacumque sint hæc bona, numquam occidere licet, aut periculo mortis exponere. Quod si vero bona necessaria sint tum ad fovendam vitam, tum ad familiam sustentandum, tum ad statum moderatum conservandum, invasorem percutere, immo & vulnerare licet, non ex affectu vindictæ, aut ex cupiditate, sed ex intentione reddendi furem ad furtum impotentem.

Prob. 1. pars responsionis ex eo textu Exod. ubi dicitur licere occidere furem nocturnum non diurnum, quia videlicet discerni non potest an fur nocturnus ad furandum, an etiam ad occidendum veniat; de diurno autem potest discerni:

ni: ex quo concluditur quod, ſi fur invadat tantummodo bona temporalia, nefas eſſe ipſum interimere. Ratio eſt; quia bona temporalia longe inferioris ſunt ordinis, quam vita. Accedit quod ejus amiſſio ſit irreparabilis, bona vero temporalia recuperari poſſint. Deinde bona temporalia famæ ſunt poſtponenda. Ergo ſi pro famæ conſervatione neminem occidere liceat, multo minus licebit pro bonorum temporalium conſervatione.

Secunda pars patet ex principio ab omnibus recepto, quod vim vi liceat repellere, dum nempe bonum amiſſum per vim defenſivam non eſt ſuperioris ordinis bono, quo quis privatur per illatam. Atqui vulnus non periculoſum, juxta ſanam hominum exiſtimationem, poſtponi debet amiſſioni bonorum neceſſariorum ad familiam ſuſtentandam, vitam fovendam, &c. Ergo

Quær. 8. An liceat invaſorem pudicitiæ occidere, dum nulla alia via ſuppetit ad eam defendendam?

R. Id minime licere: quia vel pudicitia in integritate corporis ſita eſt, vel in virtute animi. Si primum, integritas hæc longe inferioris eſt ordinis quam vita hominis. Si ſecundum, violentia illata corpori hanc virtutem minime lædere poteſt. Unde S. Lucia Tyranno dicebat: *Si invitam juſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam*. Nec id licet ob conſenſus periculum; ſecus enim, ob eamdem rationem, ſe ipſum occidere liceret: quod nemo dicet, quia non ſunt facienda mala ut eveniant bona.

Nec refert primo, quod poteſtas civilis id permittere videatur. Nam ſi in hac circumſtantia mulierem non puniat, inde non ſequitur quod homicidium approbet, ſed quia cenſet ipſam in hac circumſtantia eſſe venia dignam. Nec refert 2. quod dicit Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 5. Stuprum immanius eſſe quam ſtupratoris occiſio; nam ſtu-

prum etiam immanius eſt mendacio, attamen mentiri non licet ad ſtuprum vitandum. Deinde formaliter quidem ſtuprum immanius eſt ſtupratoris occiſione, quia *magis* voluntarium eſt; non autem materialiter, cum vita hominis ſuperioris ſit ordinis quam ejus integritas.

Porro obiter obſervandum eſt, nos poſſe contra invaſorem proximi quidquid poteſt ipſemet proximus invaſus, niſi forte invaſori parentela aut obſervantia ſimus obſtricti, eo quod id non permittat pietas parentibus aut quaſi parentibus debita. Utrum autem ad id teneamur, dicendum eſt non teneri ex charitate, ſecluſo tamen gravi noſtro incommodo, ita ut qui proximum in hac neceſſitate poſitum ſuccurrere negligat, mortaliter peccet: non autem ex juſtitia, ita ut ad reſtitutionem teneatur, niſi forſan Princeps ſit, Magiſtratus, aut Prætor, qui ratione Officii ſui publicæ quieti invigilare tenetur.

Quær. 9. Quid, & cui ſit reſtituendum ratione homicidii aut mutilationis?

R. Bona, quæ mutilator aut occiſor reſtituere tenetur, duplicis ſunt generis. Alia ſunt perſonalia, quæ perſonam occiſam vel mutilatam afficiunt: privatio nimirum vitæ, vel membri, aut dolor ex vulnere: alia ſunt realia, quæ ex occiſione vel mutilatione oriuntur, & hæc reſpiciunt vel ipſummet occiſum, aut vulneratum, ut lucrum ceſſans & damnum emergens; vel creditores ipſius, qui per mutilationem, vel occiſionem ſuis privantur debitis, vel perſonas, quas occiſus aut mutilatus alere tenebatur.

Quoad damna perſonalia, certum eſt injuſtum occiſorem aut mutilatorem ad nullam reſtitutionem teneri pro vita ſublata, aut membro mutilato; quia cum homo vitæ ſuæ, ac membrorum dominium non habeat, ſed ſolus Deus, nihil præciſe præter hoc ipſi homini debetur; bene quidem

dem pro uſu vitæ & membrorum ad quem utique verum jus ſibi a Deo conceſſum habet, & quo inique privari non poteſt, abſque vera ac proprie dicta injuria, ad reſtitutionem ſeu compenſationem obliganti.

Nec refert injuriam illam omnem excedere compenſationem; quia, licet quod ablatum eſt, reſtituibile non ſit per aliquod æquale, debet reſtitui in quantum fieri poteſt, vel in pecunia, vel in honore, ſecundum viri prudentis judicium. Deinde compenſari poteſt etiam per bona ſuperioris ordinis, per preces ſcilicet, ac Miſſarum Sacrificia, quæ Confeſſarius tenetur ex juſtitia homicidæ, aut mutilatori imponere.

Quoad damna realia, mutilator aut occiſor injuſtus tenetur, 1. Compenſare expenſas factas in curatione vulneris, vel morbi, inde ſecuti. Item compenſare damnum inde emergens & lucrum ceſſans, quod ex arte, vel induſtria læſi vel occiſi proveniſſet: idque non ſolum perſonæ offenſæ, ſed & etiam heredibus ejus, quicumque illi ſint; quia, ſecundum leges, heres univerſalis perſonam defuncti repræſentat, ſucceditque in omnia illius jura. 2. Tenetur ſolvere debita occiſi vel mutilati, ſi occiſio aut mutilatio in cauſa ſit cur creditoribus non ſint ſoluta, qui enim cauſa eſt damni proximo illati, illud proculdubio reſarcire tenetur. 3. Tenetur alere Parentes, Filios & Uxorem occiſi, ſi ſint pauperes, quia Parentes & Liberi, Maritus & Uxor cenſentur moraliter una perſona. Immo, juxta plurimos Doctores, tenetur alere eos, quos occiſus aut mutilatus opibus aut labore ſuo ſuſtentabat, quia, inquiunt, licet jus non habeant ad alimenta, quæ ipſis ex charitate præſtabat occiſus aut mutilatus, jus tamen habent ne violenter ab eorum conſecutione impediantur, ſicque veram paſſi ſunt injuriam.

Quær. 10. Quid ſit reſtituendum ratione ſtupri?

℟. Cum diſtinctione. Vel virgo defloratione ſuæ libere conſenſit, leviter rogata, aut ultro ſe offerens; vel ſimpliciter fuit invita, quia ſtuprator vi aut fraude uſus eſt; vel fuit invita ſecundum quid, ita ut quidem abſolute conſenſerit, ſed cum reluctantia, & quaſi coacta; quia nimirum ſtuprator aut graves minas, aut moleſtas ſollicitationes, aut vehementes blanditias adhibuit; idque tum promiſſione Matrimonii, vel abſque hac promiſſione.

Si virgo libere conſenſit, evidens eſt ſtupratorem non teneri quidquam ei reſtituere, nec eam ducere, nec eam dotare, quia ſcienti & volenti nulla fit injuria.

Si ſimpliciter invita fuit, item ſatis evidens eſt ſtupratorem teneri omnia damna inde orta compenſare, vel corruptam a ſe virginem ducere ob injuſtam damnificationem.

Si fuerit invita ſecundum quid, licet abſolute conſenſerit, & ſtuprator Matrimonium non promiſerit, ſtuprator tamen tenetur, vel eam ducere, vel ſic dotare, ut poſſit æque commode nubere, vel eam in alio honeſto ſtatu collocare; quia minæ, moleſtæ ſollicitationes, vehementes blanditiæ, violentiæ æquiparantur, & moraliter vim inferunt atque ſeducunt. Excipe tamen, ſi puella æque opulenter & æque facile nubere poſſet, ac ſi non fuiſſet corrupta.

Quod ſi ſtuprator moleſtis ſollicitationibus, &c. Matrimonii promiſſionem addiderit, etiamſi non ſerio, ſed ficte promiſerit, tenetur a ſe corruptam ducere, alioquin puella graviter eſſet decepta, ingenſque damnum ex fraude pateretur. Nec ſatis eſſet puellam tantummodo dotare, niſi ipſa ſola dote ſit contenta; quia corruptor Matrimonium,

nium, non dotem repromiſit. Excipe tamen 1. Si puella deprehenderit aut facile deprehendere potuerit, promiſſionem non fuiſſe ſinceram, vel quia conditionis eſt valde inæqualis, vel quia, attentis omnibus circumſtantiis, prudenter corruptori ſuo fidem adhibere nec potuerit nec debuerit. Excipe 2. Si ex Matrimonio promiſſo gravia ſint incommoda aut ſcandala ſecutura.

Quær. 11. Quæ reſtitutio ſit faciendа ratione adulterii?

℟. 1. Adulter tenetur omnia damna reſarcire, quæ ex adulterio ſuo oriuntur, tum Marito adulteræ, tum Filiis ejus legitimis; cum his veram formalemque intulerit injuriam. Ideo non ſolum compenſare tenetur alimenta, quæ Maritus proli ſpuriæ ſuppeditavit poſt tertium ætatis annum, ad quem uſque debet mater prolem alere; ſed & etiam compenſare tenetur damna quæ patiuntur Filii legitimi, dum nempe cum illegitimis hæreditati Mariti ſuccedunt. Idque totum ſive ſuaſerit Adulteræ, ut prolem adulterinam Marito affingeret tamquam ſuam, ſive non; quia in qualibet ſuppoſitione ſemper vera cauſa eſt, eaque injuſta, illius fraudulentæ ſuppoſitionis.

Quod ſi vero nedum non ſuaſiſſet prolem ſpuriam ut legitimam ſupponere, ſed & diſſuaſiſſet, potuiſſetque adultera abſque infamia, aliove gravi incommodo prolem illegitimam manifeſtare; ſola adultera teneretur de damno ſecuto, quia tunc ſola eſſet cauſa damni.

℟. 2. Si autem adultera vel vi aut fraude corrupta fuit, ita ut fuerit ſimpliciter invita, vel fuit ſecundum quid invita, vel tandem libere conſenſit. Si primum, ad nullam reſtitutionem tenetur, cum non intulerit, ſed paſſa ſit injuriam. Si ſecundum, tenetur quidem adulter prior reſtituere, cum ſit principalior cauſa: ſed ipſo deficiente

adultera pro ipso obligatur, cum absolute consenserit, & per actionem injustam in damnum illatum influxerit. Si tertium, æqualiter cum adultero omnium damnorum restitutionem dividere tenetur, cum æqualiter cum ipso in damnum concurrerit, & deficiente adultero ad totum damnum resarciendum obligatur.

Ut autem mulier adultera restitutionis munus obeat, debet vel bona Paraphernalia, suæ dispositioni relicta, Filiis legitimis elargiri in compensationem; vel si nulla in sua dispositione habeat, debet prolem illegitimam pro legitima habitam ad statum Religiosum, si capax sit, suavi modo inducere, vel si incapax sit, aut nolit, debet defectum supplere proprio labore & industria, aut prudenti parcimonia. Quod si nihil horum possit, potiaturque fama integra, se ipsam infamare non tenetur; cum fama superioris sit ordinis, poteritque totum dispositioni divinæ committere. Dixi *si fama potiatur integra*. Si enim famam suam amiserit, aut adeo sit vilis, ut prudenti judicio ejus fama parvi sit pretii, & hereditas sit notabilis; turpitudinem suam revelare tenebitur, si id Filiis legitimis utile esse possit.

Quær. 12. Quid sit dicendum de fornicariis, adulteris, aut cereris qui proles suas exponunt.

R. Eos mortaliter peccare, nisi propter extremam indigentiam nullo modo, vel laborando, vel mendicando, eos alere possint; tum quia Parentes jure naturali divino ac civili prolem suam alere tenentur; tum quia filios exponendo sæpius mortis periculo eos exponunt; tum quia Hospitalia ad hujusmodi proles nutriendas erecta sunt tantummodo in pauperum subsidium. Ideo proles suas exponentes resarcire tenentur eleemosynas, quas sic veris defraudant pauperibus.

§. 5.

§. 5. *De Injuria, & Reſtitutione in fama, & honore.*

Not. LAtum diſcrimen eſt inter famam & honorem, quæ multi ſimul confundunt. Fama ſiquidem eſt interna exiſtimatio de moribus alterius: Honor vero eſt externa teſtificatio illius excellentiæ. Fama, quæ poteſt eſſe unius & plurium exiſtimatio, lædituꝛ per detractionem, & judicium temerarium, & ſuſurrationem: Honor vero per contumeliam, & irriſionem; de quibus.

Quær. 1. Quid ſit detractio?

R. Eſſe *injuſtam & occultam famæ alienæ denigrationem*. Dicitur 1. *injuſta* ex duplici capite, vel dum alteri falſum crimen imponitur, vel dum crimen verum, ſed occultum, revelatur abſque juſta cauſa. Primum calumnia vocatur, & ipſa adeo intrinſece mala eſt, ut nulla ratione cohoneſtari aut excuſari poſſit. Ideo etiam in mortis periculo, nec alteri, nec ſibimet falſum crimen imponere licet. Secundum ſimplex vocatur detractio, cujus injuſtitia in eo ſita eſt, quod quiſque, licet occulte reus, in famam ſuam verum jus habeat, donec omnino fuerit infamatus, nec ſibi poſſit auferri abſque vera injuria, ſive id fiat cum intentione proximo nocendi, ſive id fiat ex garrulitate aut loquacitate; quia quovis modo fiat, ſemper proximo veram injuriam infert. Dicitur 2. *occulta*, per quod diſtinguitur tum a difamatione proprie dicta, quæ eſt publica famæ vel propriæ, vel alienæ diſſipatio; tum a contumelia, quæ fit in præſentia illius cujus honori detrahitur; aut, ſi in ejus abſentia, cum intentione ut ad ejus aures perveniat.

Quær. 2. Quænam ſint juſtæ cauſæ detrahentem a peccato excuſantes?

R. Duas eſſe cauſas, Juſtitiam nimirum, &

Charitatem. Juſtitia, inquam, dum quis ex officio tenetur manifeſtare furtum aliudve crimen in alium perpetratum: ex charitate autem, dum crimen bono publico aut cuivis particulari perniciosum eſt ac injurioſum; nec alio modo quam revelatione eſt poſſibile ut Superiores remedium afferant, & proximus ſibi præcaveat. Sic juſte monentur Superiores ac Patres familias de criminibus aut vitiis ſubditorum, filiorum ac ſervorum ſuorum, ut eos corripiant. Item juſte monentur juvenes de improbitate quorumdam ſociorum ſuorum, ut eorum perverſum fugiant conſortium. Item vitium puellæ alias in Conjugem ducendæ, ancillæ improbæ quam vicinus in domum ſuam cogitat introducere; Candidati incapacis, ad officium aut beneficium promovendi, Advocati aut Medici ignorantia aut improbitas legitime manifeſtantur, ne grave proximo inferant detrimentum; modo tamen non plus dicatur, quam neceſſarium ſit ad damnum præcavendum. Item non peccat, qui injuriam ſibi occulte illatam alteri revelat, animo petendi conſilium aut auxilium, ad præcavenda, aut reſarcienda mala. Peccaret autem, ſi id faceret tantum ad animi dolorem ſublevandum; hæc ſiquidem ſufficiens non eſt neceſſitas.

Quær. 3. Utrum criminis publicitas a peccato detrahentem excuſet?

R. Triplici modo crimen poſſe eſſe publicum. 1. Ipſo jure per publicam Judicis ſententiam. 2. Ipſo facto, dum crimen coram pluribus perpetratum eſt; ita ut minime celari poſſit. 3. Communi fama, dum rumor criminis perpetrati ad aures majoris partis Communitatis pervenit. Certum eſt apud omnes eum ſaltem venialiter contra charitatem peccare, qui abſque neceſſitate crimen proximi ſui quovis modo publicum alteri neſcienti revelat; cum præcipiat charitas ne quod tibi non vis fieri, alteri facias. Immo mortaliter pecca-

ret

ret contra eamdem virtutem, ſi ex odio & vindicta id faceret, vel ſi diffamatus inde grave damnum, ab ipſa infamia diſtinctum, pateretur. Utrum autem contra juſtitiam peccaret, diſtinguendum eſt. Si crimen ſit publicum per ſententiam Judicis publicam, ubivis divulgari poteſt abſque injuſtitia; quia tunc reus jus omne amiſit ad famam ſuam. Accedit quod infamia illa ſit pars pœnæ crimini debitæ; nec ſententia publice lata ſit, niſi ut ad omnium perveniat notitiam. Quod ſi crimen ſit publicum ipſo facto & fama, non eſt contra juſtitiam criminoſum infamare in locis vicinioribus; quia eo ipſo quo quis peccavit publice, cenſetur interpretative ceſſiſſe juri quod habebat ad famam in illo loco & in locis, ad quæ moraliter loquendo fama delicti ejus poterat pervenire. Eſſet autem contra juſtitiam, ſi in locis remotioribus crimen ejus divulgaretur: quia juri ſuo ceſſiſſe non cenſetur quoad hæc loca, ubi fama ejus eſt integra. Fama ſiquidem eſt indiviſibilis, cum quis bonum nomen habere poſſit in uno loco, non in alio. Unde ſicut non amitto jus ad pecuniam quod habeo Pariſiis, quia illud amiſi quod habebam Lugduni; ita non amitto jus ad famam, quam habeo in una regione, licet eam amiſerim in altera.

Propter eamdem rationem, nemo poteſt abſque injuſtitia crimen alienum jam obliteratum revelare: tum quia crimen oblivioni datum occultum eſt: tum quia quilibet jus habet ad famam quam bene vivendo ſibi denuo comparavit. Nec diffamatus de uno crimine, de alio ipſi non affine abſque injuſtitia diffamari poteſt: quia, ut dictum eſt, fama eſt quid diviſibile, partibus diverſæ rationis conſtans, quarum ſi una aufertur, ſupereſt altera, proindeque jus ad eam conſervandam. Item Perſonæ defunctæ fama abſque gravi peccato gravique injuſtitia lædi non poteſt, quia quilibet

tam

tam mortuus quam vivus jus habet ad famam ſuam: cum quiſque in bona fama ſua, etiam poſt mortem, vivere cenſeatur.

Quær. 4. Quot modis fieri poſſit detractio?

℟. Octo modis, his verſiculis contentis:

Imponens, Augens, Manifeſtans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remiſſe.

Imponens; id eſt, qui alteri falſum crimen affingit: *Augens*, qui alterius crimen ampliat: *Manifeſtan.*, qui verum, ſed occultum propalat: *In mala vertens*, qui factum bonum aut indifferens ſiniſtre interpretatur: *Qui negat* alterius virtutes, merita, vel dotes: *Qui minuit* prædicta: *Qui reticet* in his circumſtantiis, ubi ſilentium ejus protacita vituperatione habetur: Qui *laudat* ita *remiſſe*, ut in ſaudati vituperium cedat.

Quær. 5. Quale ſit peccatum detractio?

℟. Peccatum eſſe mortale ex genere ſuo; ſcriptum eſt enim Proverb. 24. *Abominatio hominum detractor.* Et Jacob. 4. *Qui detrahit fratri, detrahit Legi.* Legi autem detrahere peccatum eſt mortale. Ergo. Dixi *ex genere ſuo*; cum detractio venialis eſſe poſſit, tum ex indeliberatione, tum ex materiæ levitate. Circa quod hæc generalis regula aſſignari poteſt, nempe: Quoties revelatur defectus proximo graviter probroſus, ſive naturalis ſit, ut ſi de viro honorato dicas eſſe ſpurium; ſive criminalis, ſive mortalis, ſive venialis, detractio eſt mortalis, alias venialis. Ubi obſervandum eſt detractionem non ſemper eſſe gravem, dum revelatur grave peccatum proximi: ſicut nec levem dum revelatur leve peccatum, quia ſæpius accidit famam proximi graviter non lædi revelatione gravis peccati; ut ſi dicas de milite commiſiſſe

miſiſſe Duellum, aut de mundano Adoleſcente puellarum eſſe amatorem: & ſæpius graviter lædi revelatione levis peccati, ut ſi dicas de Sacerdote aut Religioſo, mendacem eſſe.

Quær. 6. An & quomodo peccet detrahentem audiens?

R. Qui detrahentem audit, vel ſe habet poſitive ad detractionem, ipſum ſcilicet excitando ad detrahendum; vel ſe habet negative tantum, detractionem permittendo, cum eam facile poſſit impedire. Si primum, ipſomet detrahente gravius peccat, non ſolum contra charitatem debitam, tum ei de quo fit detractio, tum ei qui detrahit & cujus ruinam ſpiritualem cauſat; ſed etiam contra juſtitiam, quia cauſa eſt injuſtæ damnificationis proximo illatæ, & in eam vere influit. Idem dicendum eſt de Superioribus, qui ex officio tenentur coram ſe detrahentes corripere; quippe detractioni *non obſtantes*, eidem indirecte ſaltem cooperari cenſentur.

Si ſecundum, detrahentem audiens, licet levius ipſomet detrahente peccet, ſæpius tamen etiam mortaliter peccat contra charitatem debitam, tum detrahenti, quem tenetur corripere; tum ei de quo detrahitur, quem a detractione ſicut ſe ipſum defendere debet, ſi abſque gravi ſuo incommodo poſſit, vel aperta reprehenſione, ſi detrahens ſibi ſit inferior; vel ſermonem ex abrupto interrumpendo, vel triſtem vultum exhibendo, ſi ſibi ſit ſuperior. Nec ab obligatione timor mundanus, quo detrahenti diſplicere timemus, excuſat; cum Dei amicitiam hominum favori præferre teneamur. Excuſatur tamen a mortali ſaltem, qui ex quadam verecundia detrahentem, longe ſibi Superiorem, aut eminenti dignitate fulgentem, non auderet reprehendere.

Quær. 7. Quis quid, apud quos, quando, & quo-

quomodo reſtituere teneatur, ratione famæ ablatæ?

℟. 1. Omnis & ſolus ad famæ reſtitutionem tenetur, qui eam abſtulit, aut ad ejus ablationem, etiam moraliter, cooperatus eſt, quales ſunt mandans, conſulens, monens, non obſtans, &c. ſive id ſcienter & ex malitia, ſive ignoranter aut ex inadvertentia id fecerint; quia licet iſti forſan non peccaverint famam auferendo, peccarent tamen ſi non reſtituerent; non ſecus ac ille, qui bonum alienum a ſe bona fide poſſeſſum non reſtitueret, dum alienum eſſe cognoſceret. Dixi *omnis & ſolus*; ſiquidem ſimplices auditores detractoris, ſi ad detractionem nullatenus cooperati ſunt, ad reſtitutionem minime tenentur; ſicut nec detractoris Heredes, cum illa obligatio ſit perſonalis, afficiatque ſolum detractorem.

℟. 2. Detractor non ſolum famam ablatam reſtituere tenetur, ſed & omnia damna inde orta reſarcire, quia eſt vera & quidem injuſta cauſa eorum. Unde qui detractione alium impedivit a boni alicujus conſecutione, tenetur ſi non ad totam, ſaltem ad aliquam ad arbitrium boni viri compenſationem. Quod ſi detractio in cauſa ſit cur infamatus bonum jam a ſe comparatum amiſerit, detractor totum, ut patet, reſtituere tenetur, & hæc reſtitutionis obligatio ad ejus heredes tranſit.

℟. 3. Detractor famam reſtituere tenetur non ſolum apud eos, cui peccatum proximi revelavit, ſed & apud eos quibus a primis audientibus divulgatum fuit, quia hæc divulgatio ipſi eſt imputabilis, cum eam præviderit aut prævidere debuerit ac facile potuerit. Excipe tamen ſi probe ſciret primos audientes jam famam ſufficienter reſtituiſſe.

℟. 4. Fama reſtituenda eſt quam primum fieri poteſt, ne per ulteriorem diffamationem gravior eva-

evadens, gravius fiat peccatum. Ideo qui de hac obligatione advertendo abſque legitima cauſa reſtitutionem protrahit, novum committit peccatum in Confeſſione aperiendum.

℟. 5. Qui falſum crimen alteri impoſuit, nihil non movere tenetur, ut hanc opinionem ex animo auditorum tollat; non ſolum aperte declarando ſe fuiſſe mentitum, ſed & ſi fides ipſi facile non adhibeatur, id juramento affirmare. Ratio eſt, quia juſtitia jubet, ut omni qua poſſumus efficacia injuſte ſublatum reſtituamus. Quod ſi verum crimen, occultum tamen, manifeſtaverimus, apertam quidem retractionem adhibere nec tenemur nec debemus, cum nullo caſu mendacium ſit licitum, utpote intrinſece malum; ſed dicendum eſt ſe fuiſſe deceptum, aut injuſte ac temerarie fuiſſe locutum, &c. Quæ ſi non ſufficiant, tenebimur infamatnm aliunde laudibus extollere, eique honorem exhibere coram his ad quos devenit infamia.

Quær. 8. Quænam ſint cauſæ non excuſantes, & excuſantes a famæ reſtitutione?

℟. 1. Non excuſatur a reſtitutione detractor ob periculum bona fortunæ amittendi, cum ea inferioris ſint ordinis quam fama; nec etiam ob periculum famæ propriæ amittendæ, niſi forte longe præſtantior ſit ea quam abſtulit. Immo neque ob periculum vitæ, ſi fama ablata neceſſaria ſit ad vitam infamati conſervandam, aut ad ſpiritualem proximi utilitatem; quia in injuſta damnificatione melior eſt utique ac potior conditio poſſidentis, quam injuriam ferentis. Nec etiam excuſat penitus ab aliqua reſtitutione impotentia famam reſtituendi. Qui enim infamiam illatam tollere non poteſt, æquum omnino videtur ut pecunia aliove modo damnum illatum compenſet; ut dictum eſt de injuria in bonis corporis.

℟. 2. A reſtitutione famæ excuſant 1. Infamati

mati condonatio, modo tamen ejus infamia in alios non redundet. 2. Publicatio criminis revelati aliunde facta. 3. Ejusdem obliteratio. 4. Justa compensatio; dum duo ad invicem diffamati inter se conveniunt, ut uterque in sua permaneat infamia. 5. Reparatio infamiæ jam aliunde facta; ut si infamatus juridice declaratus fuerit innocens, quia tunc inutilis esset detractionis revocatio.

Quær. 9. Quid sit judicium temerarium?

R. Judicium temerarium *est assensus absolutus & firmus de proximi improbitate, ex levibus ac insufficientibus indiciis ortus*. Dicitur 1. *Assensus absolutus*; per quod tum a dubio distinguitur, per quod animus manet in æquilibrio, nihil de improbitate proximi negans aut affirmans, tum a suspicione, per quam animus magis ad malum de proximo credendum inclinatur. Dicitur 2. *Assensus firmus*, ut distinguatur ab opinione, quæ licet ad malum credendum sit determinata, non tamen sine aliqua formidine. Dicitur 3. *Ex levibus atque insufficientibus indiciis ortus*; id est indiciis, quæ attendendo ad facti naturam, personæ qualitatem, aliasque circumstantias, prudenter virum probum movere non possunt ad dubitandum, vel male suspicandum, opinandum, aut judicandum de proximo.

Quær. 10. Quale sit peccatum judicium temerarium, dubitatio, suspicio, & opinio?

R. Judicium temerarium ex genere suo mortale est; dum scilicet elicitur cum plena advertentia circa gravem materiam, tum ex se, tum ex circumstantia facti aut personæ, ut de detractione dictum est. Ratio est, quia gravis proximo infertur injuria, dum ex levi aut nulla causa bonam, quam juste apud nos possidebat, existimationem ipsi auferimus. Quoad dubitationem & suspicionem temerariam, ordinarie venialis censetur: quia proprie non tollitur fama & existimatio proximo debita,

nisi

niſi per verum judicium. Dixi *ordinarie*; nam ſi quis ex friyola conjectura graviſſimum crimen ſuſpicaretur de Parocho ſuo, aut Superiore, aut de Perſona præſtante virtute, a mortali non eſſet excuſandus, ob gravem, quam eidem inferret, injuriam. Opinio autem temeraria ſupradictis longe gravior eſt, & ordinarie mortale peccatum, cum verum ſit judicium. Circa quod

Obſervandum eſt. 1. Gravitatem aut levitatem hujus peccati, ex indiciorum gravitate aut levitate deſumendam eſſe; quo enim leviora ſunt, eo major eſt utique temeritas; & quo graviora, eo minor. 2. Quod licet, dum indicia ſunt incerta, teneamur actionem proximi in bonam partem interpretari: ſi tamen agatur de damno vel noſtro, vel alieno præcavendo, poſſumus incerta in malam partem interpretari, non quidem definitive, ita ut poſitive judicemus, opinemur, aut ſuſpicemur malitiam in proximo, ſed ſuppoſitive, id eſt agendo quaſi malus eſſet, licet potius credamus eſſe probum. Ratio eſt, quia per hanc prudentem præcautionem proximo nulla fit injuria, nec tenemur omnibus indiſcriminatim fidere, cum detrimenti noſtri periculo.

Quær. 11. Quid ſit ſuſurratio, & quale peccatum?

R. Suſurrationem *eſſe obloeutionem malam & ſecretam, ad tollendam amicitiam, & ſeminandam diſcordiam*. Ipſa eſt ex genere ſuo peccatum mortale, & quidem graviſſimum. Unde Prov. 6. dicitur: *Sex ſunt quæ odit Deus, & ſeptimum deteſtatur anima illius, nempe ſeminare inter fratres diſcordias*. Ratio eſt, quia nihil præſtantius eſt amicitia & charitate, quam diſturbare aut auferre tentat.

Quær. 12. Quid ſit contumelia, & quale peccatum?

R. Contumelia *eſt honoris proximi aperta ablatio, per verba, aut ſcripta, aut facta ipſi injuriosa.*

ſa. Dicitur *aperta*, ut diſtinguatur a detractione, quæ fit occulte. Dicitur *per verba, ſcripta aut facta*; ſcripta ſiquidem & facta magis ſunt injurioſa quam verba, ut ſi quis in faciem viri honorati conſpuat, ad portam ejus cornua appendat, &c. Porro contumelia peccatum eſt ex genere ſuo mortale, dum nempe ſufficiens accedit voluntatis deliberatio, & gravitas materiæ, & quidem ceteris paribus ipſa detractione longe gravius, ob violentiam adjunctam. Unde Apoſtolus contumelioſos recenſet inter eos, quos Deus in ſenſum tradidit reprobum. Gravitas autem materiæ non deſumitur ex verbo aut facto de ſe graviter aut leviter contumelioſo, ſed ex circumſtantiis perſonæ, a qua & contra quam profertur. Sic mentitam objicere puero, mulierculæ, & homini vili, levis eſt contumelia, quæ gravis eſſet, ſi viro objiceretur honorato.

Quær. 13. Quid ſit deriſio, & quale peccatum? R. Deriſio *eſt luſus aut jocus de proximi defectibus, ut rubore afficiatur*. Ex genere ſuo peccatum eſt veniale; quia de ſe jocus ille gravem proximo non infert injuriam. Mortale tamen evadit ſequentibus caſibus. 1. Dum graves objiciuntur defectus, vel ſi leves tantum, prævidetur tamen, aut prævideri poſſit ac debeat, quod inde graviter lædetur, aut perturbabitur proximus; tunc enim irriſio rationem habet contumeliæ. 2. Si deridatur proximus de virtutis cultu, & exercitio, hæc ſiquidem deriſio rationem impietatis ac ſcandali induit. 3. Si Parentes derideantur, quod utique pietati pugnat. 4. Si irriſio fiat de Deo aut Sanctis ejus, aut ſacris Eccleſiæ cæremoniis, quod abſque blaſphemia fieri nequit.

§. 6.

§. 6. *De Injuria, & Reſtitutione in bonis fortunæ.*

Not. CUM injuria in bonis fortunæ proximo inferatur per furtum & ſpecies ejus, hinc,

Quær. 1. Quid ſit furtum?

R. Furtum eſt *ablatio rei alienæ, Domino rationabiliter invito*. Dicitur *ablatio*; per quod intelligitur detentio & deterioratio, dum quis id quod ab alio accepit, inique retinet, tempore debito non reſtituendo, vel in bonis proximi nocumentum infert: in utroque ſiquidem caſu & in aliis ſimilibus perinde ſe habet, ac ſi ea auferret.

Dicitur *rei alienæ*; ideſt rei qua proximus injuſte fruitur legitimo titulo, ſive dominii, ſive uſusfructus, ſive conceſſionis ſimplicis uſus facti Depoſiti, Pignoris &c.

Dicitur *invito Domino*, quia ſi conſentiat, aut ſi bona fide, & omnibus attentis circumſtantiis conſentire præſumatur, furtum non committitur.

Dicitur *rationabiliter*; dum enim proximus rei ſuæ acceptioni aut detentioni tenetur conſentire, irrationabiliter invitus, nulla ipſi infertur injuria. Sic furti non eſt reus, qui a furioſo gladium aufert ne ſe ſe aut alium occidat, aut qui ebrioſi vinum effudit ne ſe ſe inebriet, &c.

Quær. 2. Quotuplex ſit furtum?

R. Furtum aliud dicitur ſimplex furtum, mox expoſitum, aliud dicitur rapina, quæ manifeſta eſt ac violenta rei alienæ ablatio, quæque furto ſuperaddit ſpeciem malitiæ diſtinctam, novamque proximi injuriam, ob violentiam ipſi illatam, ipſi renitenti, vel exterius, vel tantum interius, dum ſcilicet reluctari non audet, propter raptoris potentiam: unde raptores ſunt viarum obſeſſores, mer-

ce-

cedem operariorum defraudantes, aut contra eorum voluntatem ſolutionem in longum protrahentes, debita negantes, argentariam diſſolventes, aut foro cedentes, *Banqueroutiers*.

Deinde furtum, aliud iterum dicitur ſimplex, aliud qualificatum, id eſt nonnullis qualitatibus veſtitum; ut *Sacrilegium*, quo aufertur res ſacra de loco ſacro, vel non ſacro, aut res non ſacra de loco ſacro: *Peculatus*, quo quis aufert res pertinentes ad Reipublicæ ærarium, aut iniquas exactiones imponit: *Plagiatus*, quo homo in ſervitutem adducitur, ſive ille ſit liber, ſive ſervus alienus: *Abigeatus*, quo pecus aufertur ex paſcuis aut armento.

Quær. 3. Furtum quale ſit peccatum?

℟. Mortale eſſe ex genere ſuo, cum graviter opponatur charitati, qua tenemur proximum ſicut nos ipſos diligere; & juſtitiæ, qua tenemur unicuique quod ſuum eſt reddere aut relinquere. Unde teſte Apoſt. 1. Cor. 6. *Neque fures, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt*. Quanta autem requiratur materia ut furtum ſit mortale, controvertunt auctores, ſed brevitatis gratia variis variorum auctorum omiſſis ſententiis, probabilius videtur eam requiri ac ſufficere materiam ſeu pretium, quod ad honeſtæ perſonæ diurnam ſuſtentationem neceſſarium eſt, aut ad cujusdam communis operarii diurnum ſtipendum, videlicet viginti quinque circiter aſſes; & hoc ſive a paupere ſive a divite auferantur. Ratio primi eſt, quia ea quantitas cenſetur notabilis, quæ victui diurno neceſſaria eſt, cum ipſemet victus diurnus ſecundum communem exiſtimationem ſit quid notabile. Ratio ſecundi eſt, quia victus diurnus non minus notabilis eſt de ſe erga divitem, quam erga pauperem.

Nec refert quod pauper longe majus damnum patiatur ex ablatione unius aſſis, quam opulentiſſimus ex ablatione unius duplionis: quia ſi majus damnum

bum patiatur, id per ſe non contingit ex ratione furti, ſed per accidens ratione damnificationis, quæ ex furto ſubſequitur; quæque furto non magis eſt extrinſeca, quam quodlibet aliud ſubſequens, *gravis* nimi um contriſtatio pauperis aut blaſphemia, in quam ob id prorumpit. Hæc tamen circumſtantia in Confeſſione neceſſario erit aperienda, quia licet nihil conferat ad gravitatem furti, multum tamen conſert ad rationem peccati, illud notabiliter aggravat, & ſæpius mortale efficit.

Quær. 4. Quid de furtis Filiorum, Uxorum, ac Famulorum ſit dicendum?

R. 1. A mortali minime excuſantur Filii a Parentibus rationabiliter invitis quantitatem notabilem ſubripientes, cum rerum paternarum non ſint domini. Requiritur tamen in furto a filiis perpetrato major quantitas ad peccatum mortale, quam ſi ab extraneis committeretur; quia Parentes non cenſentur tam inviti erga ipſos, quam erga extraneos. Et ut de hoc ſanius judicetur, ſpectanda eſt, 1. Major vel minor Parentum liberalitas naturalis & amor erga filios ſuos, quibus fit, ut magis minuſve ſint inviti. 2. Natura rerum, quæ auferuntur; non enim cenſentur multum inviti, niſi forte quoad modum, erga poculenta & eſculenta. 3. Parentum opulentia aut paupertas; pauperes ſiquidem ordinarie magis ſunt inviti quam divites. 4. Ætas filiorum; quia Parentes plus indulgere ſolent filiis ſuis majoribus, quam minoribus.

R. 2. Idem de Uxore dicendum eſt, quæ ſi aliquid notabile e bonis communibus ſubripiat, invito rationabiliter Marito, mortaliter peccat: in quo tamen, ut mox de filiis dictum eſt, Maritus plus indulgere ſolet quam extraneis. Dixi 1. *de bonis communibus*: nam de Paraphernalibus &c. quorum uxor plenum habet dominium, invito Marito, diſponere poteſt, immo eadem Maritus ipſe abſque furto, ipſamet invita, ſubripere non

po-

poteſt: quod etiam locum habet erga filios pro bonis eorum Caſtrenſibus &c. Dixi 2. *rationabiliter*; uxor ſiquidem de bonis etiam communibus, Marito inſcio, aliquid ſubripere poteſt, tum ad modicas, & ſtatui ſuo convenientes eleemoſynas faciendas, tum ad impediendum grave damnum familiæ, tum ad neceſſitatibus ſuis aut liberorum ſuorum ſubveniendum, quibus ſubvenire detrectat Maritus.

℟. 3. Ordinarie graviter non peccant famuli, ſubripiendo eſculenta aut poculenta communia in uſus proprios; quia in his Domini non ſolent eſſe inviti, niſi quoad modum. Dixi *eſculenta & poculenta*; nam in aliis materiis longe gravius quam ceteri latrones peccant. Dixi *poculenta communia*; non enim ſunt excuſandi, qui delicatiora & Dominis ſuis reſervata ſubripiunt. Dixi *in proprios uſus*; peſſimi ſiquidem latrones ſunt, qui ea inutiliter conſumunt, aut dilapidant, aut Parentibus vel amicis donant.

Quær. 5. An liceat uti occulta compenſatione, ut quis rem ſuam, aut ſibi debitam recuperet?

℟. Licitam eſſe, modo adſint conditiones requiſitæ; quia jure naturali unicuique licet ſe indemnem conſervare, citra alterius injuriam. Sed qui occulta compenſatione utitur, alteri non facit injuriam; cum auferat quod ſuum, non quod alterius eſt. Ergo &c.

Conditiones autem requiſitæ ſunt. 1. Quod res debita via juris ordinaria, aut ſaltem abſque gravi incommodo magnaque difficultate recuperari non poſſit; quia nemini licet neglecta auctoritate publica in propria cauſa jus ſibimet dicere. 2. Quod debitum ſit omnino certum; iniquum ſiquidem eſt certam ſolicitudinem pro incerto debito ſuſcipere, cum in dubio melior ſit conditio poſſidentis. 3. Quod caveatur ne debitor, aut ejus heredes, ite-

iterato ſolvat, aut in affectu non ſolvendi maneat, & prudenter moneatur ab obligatione ſolvendi eſſe immunem. 4. Quod nullum adſit periculum ſcandali aut damni alicujus tertii, qui de furto poſſet accuſari. 5. Quod compenſatio fiat in bonis ipſius creditoris; ideo qui rem apud debitorem depoſitam ſubriperet, furtum utique committeret. Quæ conditiones cum perraro ſimul concurrant, & homines plurimum in hac materia ſibi blandiantur, numquam, non rariſſime a Confeſſariis hujuſmodi compenſationes ſunt permittendæ. Circa quod

Advertendum eſt, Famulis vel operariis non licere occulta uti compenſatione, licet credant ſtipendium ab ipſis receptum operæ ſuæ non æquivalere; ut definivit Inn. XI. in damnatione prop. 37. Ratio eſt, tum quia cum libere convenerint, potuerunt vel pius exigere, vel non contrahere, tum quia iniquum eſt quod homines, lucri ut plurimum avidi, judices in propria cauſa ſe conſtituant, operarum ſuarum ſcilicet ſalarium pro libitu taxantes. Idem dicendum eſt de ſartoribus aut aliis operariis, qui veſtium fragmenta ſuperflua ſibi retinere non poſſunt, ſed conventioni ſtare tenentur.

Quær. 6. Quid de furtis minutis ſit dicendum?

R. 1. Qui animo quantitatem furandi notabilem, modicum quid ab uno aut diverſis ſubripit; mortaliter peccat, toties quoties minuta ſubripit. Reſponſio patet ex Scriptura, ubi dicitur Prov. 11. Stateram doloſam, qua plura minuta ab uno diverſis ſubripiuntur, abominationem eſſe apud Deum. Suadet & ratio, cum intentio notabiliter diteſcendi ex alieno invitis Dominis, evidens ſit praviſque injuſtitia. Ergo ſi quælibet furta minuta hac prava informentur intentione, mortalia eſſe neceſſe eſt. Qui tamen hæc minuta furatus

tus eſt, ad reſtitutionem graviter non tenetur, niſi dum re ipſa ad ſummam pervenit notabilem; quia reſtitutio damnum ſupponit realiter illatum.

R. 2. Qui plura minuta ſubripit abſque intentione continuandi, ſed quaſi occaſionaliter, mortaliter peccat, quando advertit ſaltem confuſe ſe ad quantitatem notabilem perveniſſe, non vero ante. Ratio eſt, quia furtum ultimum cum præcedentibus moraliter unitur, ex qua unione fit, ut fur hic & nunc aliena detineat in quantitate notabili, ad peccatum mortale ſufficiente, & ad reſtitutionem graviter obligante. Nec obſtat, quod cum modica a diverſis ſubripiunt, ſinguli non cenſeantur graviter inviti, cum ſingulis niſi non leve damnum inferatur. Nam ad peccatum mortale, & ad reſtitutionis obligationem conſtituendam plane ſufficit ut modica ſic ſubripiens, grave Reipublicæ nocumentum intulerit, ſitque rei alienæ in materia gravi injuſtus detentor.

R. 3. Dum pluries minuta furando, grave damnum inferunt Domino vel vineæ vel horti, quilibet unum aut alterum vel racemum, vel pomum auferendo; ſi communi conſilio, conſenſu & adjutorio id faciunt, omnes mortaliter peccant, tenenturque ſinguli ad reſtitutionem in ſolidum; quia ſinguli ſunt vere cauſa totius damni illati. Quod ſi nullus eorum conſcius ſit furti alieni, ſinguli peccant tantummodo venialiter, tantumque tenentur ſub veniali partem a ſe ablatam reſtituere, quia nullus eorum damnum grave intulit, nec illius cauſa fuit.

Quær. 7. An liceat in neceſſitate aliena rapere, & utrum qui tunc ea ſubtipuit, teneatur reſtituere?

R. Damnatam eſſe ab Inn. XI. ſententiam docentium permiſſum eſſe furari, non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi; & quidem jure merito, cum ſola extrema neceſſitas res communes

munes faciat; & alicui jus in bona aliena conferat; modo tamen Dominus rei auferendæ per hoc in æqualem neceſſitatem non ſit redigendus. Utrum autem indigens, qui in extrema neceſſitate poſitus bona aliena abſtulit, ad reſtitutionem teneatur dum ad fortunam pinguiorem rediit, cum diſtinctione reſpondendum eſt. Si res ablata poſt tranſactam neceſſitatem in ſua ſpecie perſeveravit, proculdubio eſt reſtituenda; cum indigens illius tantum uſu indiguerit. Quod ſi res ipſo uſu fuerit conſumpta, nullo poſtea titulo reſtituere tenetur; non titulo rei acceptæ, cum non extet amplius; non titulo acceptionis injuſtæ, cum in extrema neceſſitate poſitus in eam verum dominium habuerit.

Quær. 8. An accepta propter actionem aliunde debitam, aut propter abſtinentiam ab opere illicito, jure detineantur, & reſtitutioni non ſint obnoxia?

℟. Si actio debeatur, & opus ſit illicitum ex juſtitia; quidquid per modum pretii fuit acceptum, injuſte detinetur & reſtitutioni eſt obnoxium; quia pretium pro talibus accipiens, ſemel & iterum unam & eamdem rem vendit, aut potius vendit quod eſt invendibile. Adde quod donans tunc dominium non tranferat, cum det coacte, ut a vexatione injuſta ſeſe redimat. Hinc contra juſtitiam peccant & ad reſtitutionem tenentur, qui obligati ex officio, mandato aut teſtamento aliquid præſtare aut diſtribuere, pretium pro beneficio preſtito recipiunt. Item qui mercedem ſuſcipiunt ne furentur, occidant, indignum eligant, falſum dicant teſtimonium injuſtam ferant ſententiam. Dixi, *pretium* aut *mercedem*; donationem ſiquidem omnino liberam nihil vetat accipere, cum unuſquiſque rei ſuæ dominium in alterum tranferre poſſit.

℟. 2. Si actio debeatur, & opus al illicitum, ex virtute & juſtitia diſtincta; illicitum quidem

est pretium aut mercedem propter hoc accipere sed accipiens ad nullam tenetur restitutionem Sic graviter peccaret, qui mercedem acciper ut proximum in gravi necessitate positum subl varet, ut in die festo non laboraret, ut jejuniu frangeret &c. sed a restitutionis obligatione ir munis esset; quia non violasset justitiam, ex c jus solius læsione hæc obligatio oriri potest. E cipe tamen, si actio pro qua pretium recipit spiritualis esset; tunc enim pretium foret sim niace acceptum, proindeque restitutioni obn xium. Quod si autem daretur aliquid per m dum allicientis, non per modum pretii; n solum licite retineri, sed & accipi posset, qu tunc liberaliter concessum esse censeretur: absque culpa Filii aliquid a Parentibus accipiunt Sacro interfint, Sacramenta frequentent, ma consortia fugiant, a comessationibus aut ebrietat bus se se abstineant.

Quær. 9. Utrum accepta propter turpem ca sam sint restituenda?

R. Affirmative: vel enim fuerunt accepta contractus utrimque obligantis; ut Spondeo ti inimicum tuum trucidare, & tu spondes centu aureos mihi solvere; vel vi contractus condition lis ex parte dantis solummodo obligantis, prout quis diceret: Si inimicum meum occideris, spo deo me tibi daturum centum aureos; vel vi lib ralis donationis absque ullo pacto inito. Si pr mum, contractus non solum Jure civili, sed & nat rali est invalidus, cum promissio iniquitatis vi culum esse non possit; sicque nullus adest acc piendi titulus, quo deficiente ad restitutione tenemur. Si secundum & tertium, licet hæ pr missione & donationes jure naturali sint validæ per Leges tamen positivas invalidantur: ut vide est L. *Generaliter* 26. & alibi. Quod autem co tra Legis dispositionem accipitur, juste retine

non

non poteſt; quia facultas contra Legem non eſt jus, ſed injuria, ut ſuperius dictum eſt.

Non obſtat reſponſioni, 1. Quod ſartor v. g. retinere poſſit pretium acceptum pro conficienda veſte die Dominica; quia pretium accipitur pro ſolo opere, non autem pro diei circumſtantia, quæ operi omnino eſt extrinſeca, & ab illo ſeparabilis. Si enim pretium accepiſſet pro hac iniqua circumſtantia, eamque in pactu deduxiſſet, pactum utique eſſe invalidum, & ratione ipſius nihil prorſus retineri poſſet.

Non obſtat 2. Quod qui Virginem defloravit ſub Matrimonii promiſſione, teneatur eam ducere; quia ad id non tenetur vi contractus de ſe iniqui, proindeque invalidi; ſed vi ordinationis Eccleſiæ, quæ hanc pœnam deceptori impoſuit.

Nec obſtat 3. Quod juxta communem ſententiam a D. Thoma & Bonaventura approbatam, pretium Proſtribuli & lucrum Hiſtrionis licite ab Hiſtrione & Meretrice retineri poſſit; quia iſtæ donationes a Lege non ſunt prohibitæ, ſicut ceteræ; immo Leges eas confirmare videntur: L. *Idem* ff. *de condict. ob turpem cauſam* §. *Meretrix turpiter facit*, inquit Lex, *quod ſit Meretrix; non tamen turpiter accipit, cum ſit Meretrix*. Non ſolum autem turpiter ageret, qui homicidium perpetraret, bonum alienum raperet, aut famæ proximi detraheret, ſeſe vino ingurgitaret, &c. ſed etiam turpiter, id eſt injuſte acciperet, qui pro his aut ſimilibus quovis prætenſo titulo quidpiam acciperet, & ad reſtitutionem teneretur ob Legis expreſſam prohibitionem.

CAPUT VII.

De Fortitudine.

Not. FOrtitudinem ſumi aliquando pro g
li virtute, & ſic eſt animi firmi
bono arduo; ſed proprie ſumitur pro ſpecial
tute, & ſic eſt *virtus moralis, voluntatem h*
inclinans ad pericula tempore ac loco debito
dienda, & ad labores perferendos pro conſec
boni neceſſarios. Dicitur *voluntatem hominis*
nans; quia ſubjectum immediatum fortitudin
voluntas, prout eſt appetitus ſenſitivus iraſci
Dicitur *ad pericula aggredienda & ad labores*
ferendos; quia hi duo ſunt actus fortitudinis,
que ejus officia; nempe ardui aggreſſio, &
commodi perpeſſio. Unde objectum ejus ma
le ſunt pericula & labores; formale vero diff
tas in his ſuperandis ac tolerandis; cum pe
a qualibet alia virtute morali diſtinguatur.

Quær. 1. Quænam ſint vitia fortitudini
poſita?

℟. Duo ſunt: unum per defectum, timi
nimirum, ſeu ignavia, quæ nimio timore pe
ſa pericula aggredi non audet, eaque plus t
quam ſuadet ratio: alterum per exceſſum, in
ditas ſeu temeritas, quæ juſto ac debito ti
vacua plus tentat, quam dictat prudentia.

Quær. 2. Quænam ſint virtutes fortitudin
junctæ?

℟. Quatuor ſunt: nimirum Magnanimitas,
ſpem hominis ac deſideria ad res magnas er
Magnificentia, quæ ad magna opera magnis
ptibus efficienda nos inclinat: Patientia, qua
la æquo animo toleramus, & vetamur ne a
iniquo bona deſeramus: Perſeverantia, qua
ficultatum diuturnitatem uſque ad boni con
ti

tionem conſtanter ſuperamus, & nunquam ab ejusdem boni proſecutione excidimus.

CAPUT VIII.

De Temperantia.

TEmperantia eſt *virtus moralis inclinans hominem ad moderandum uſum voluptatum, juxta rectæ rationis dictamen.* Ex qua definitione ſequitur, objectum materiale temperantiæ eſſe delectationes corporeas, formale vero earumdem uſum honeſtum.

Quatuor recenſentur temperantiæ ſpecies: Abſtinentia, quæ cibi delectationes moderatur, & cui opponitur *Gula*: Sobrietas, quæ potus delectationes refrænat, & huic opponitur *Ebrietas*: Caſtitas, quæ delectationes venereas cohibet, cui opponitur *Luxuria*; Pudicitia, quæ actiones actum conjugalem circumſtantes ordinat, oſcula, tactus, amplexus, &c. & huic opponitur *Impudicitia*.

Septem ſunt præcipuæ virtutes temperantiæ annexæ, quæque ad eam revocantur. 1. *Continentia*, quæ a caſtitate differt in eo, quod caſtitas paſſiones circa venerea refrænat, continentia vero voluntatem cohibet, ne hos motus ſequatur. 2. *Manſuetudo*, quæ iram coercet, ne exurgat, niſi ſicut oportet. 3. *Clementia*, quæ vindictam refrænat, ne extra debitos fines exiliat, & de ea aliquid minuit. 4. *Modeſtia*, quæ modum ac decentiam ſtatuit in humanis affectibus & actibus externis, cujuſmodi ſunt corporis geſtus, cultus, & veſtitus. 5. *Humilitas*, qua quis ex ſui ipſius cognitione ſibimet vileſcit. *Studioſitas*, qua in addiſcendis neceſſariis pigritia excutiatur, & immoderatum deſiderium diſcendi indecentia reprimitur. 7. *Eutrapelia*, quæ in honeſtis recreationibus modum ſervat honeſtum.

Hic nobis eſt agendum de quibusdam vitiis temperantiæ oppoſitis: *Gula* videlicet, *Luxuria* & *Immodeſtia*, ſequentibus quæſtionibus.

QUÆSTIO I.

Quid de Gula ſit dicendum.

Not. GUla *eſt inordinatus cibi, & potus appetitus.* Dicitur *appetitus*: quia non ſolum inordinata comeſtio, ſed deſiderium inordinate comedendi vitioſum eſt. Dicitur *inordinatus* quia qui cibo & potu utitur juxta Dei ordinationem, ad corporis ſuſtentationem, non ſolum non peccat, ſed & coram Deo meritum ſibi comparare poteſt. Dicitur *cibi*, cujus exceſſus crapula proprie dicitur, & *potus*, cujus exceſſus vocatur ebrietas: de utraque.

℣. Quær. 1. Quot modis Gulæ peccatum commiti poſſit?

℟. Quinque, hoc verſiculo contentis.

Præpropere, Laute, Nimis, Ardenter, Studioſe

Præpropere, tempus manducationis abſque neceſſitate præveniendo; ſic venialiter peccant, qui quovis tempore, veluti pecora abſque neceſſitate bibunt aut comedunt. *Laute*; cibos pretioſiores ſtatui ſuo non convenientes, ſumendo, ob ſolam voluptatem, quod ſaltem veniale eſſe definivit Inoc. XI. Prop. 8. *Nimis*; ideſt, pluſquam natura exigat, quod de ſe mortale aut veniale eſt juxta exceſſus gravitarem, ut mox explicabitur. *Ardenter*; ideſt nimia aviditate aut voracitate, mor pecudum, eſtque veniale peccatum. *Studioſe*; modum delicatiorem & exquiſitiorem in cibis comediendis exquirendo, quod non fit niſi propter voluptatem, nec abſque ſaltem veniali peccato.

Quær.

Quær. 2. Crapula quale ſit peccatum?

R. Licet ordinarie crapula ſit tantum veniale peccatum, poteſt tamen eſſe mortale, non ſolum ex circumſtantiis, ſed etiam de ſe; dum nempe quis omnino ſanus ſe ita cibis ingurgitat, ut ad vomitum moveatur; quia id valde turpe, atque abominabile, naturæque rationabili maxime contrarium, omnibus hominibus videtur. Unde comeſſationes inter opera carnis, quæ a Regno Dei excludunt, ab Apoſtolo recenſentur. Galat. 5. Ex circumſtantiis autem crapula mortalis eſt, 1. Dum in ea finis ultimus ponitur, ita ut guloſus paratus ſit legem divinam violare ut Gulæ ſuæ indulgeat. 2. Si ob nimiam crapulam impotens fiat ad munia ſua obeunda, ſolvenda debita, Familiam ſuſtentandam. 3. Si ob eamdem verſetur in periculo ſanitatem corporis & animæ amittendi. 4. Si extra neceſſitatem extremam carnibus veſcatur humanis. Eadem cum proportione ſunt dicenda de potu nimio, independenter ab ebrietate conſummata.

Quær. 3. Quid ſit ebrietas, & quale peccatum?

R. Ebrietas eſt *ſumptio potus uſque ad violentam uſus rationis privationem*. Dicitur *uſque ad violentam* &c. ut diſtinguatur a ſomno, aut phreneſi, aut hypocondria, quibus uſus rationis naturaliter aufertur. Ebrietatis autem tres ſunt gradus. 1. Dum ipſa non pervenit, niſi ad quamdam rationis obnubilationem. 2. Dum non pervenit niſi ad organorum turbationem, & cordis aggravationem. 3. Dum pervenit ad rationis ſubverſionem. Porro ebrietas, in quolibet ſit gradu, vel eſt expreſſe volita, dum quis directe ſe ſe inebriare intendit: vel interpretative tantum, dum quis vult bibere quantum poteſt, non curans de ebrietate ſecutura; vel dum advertens, aut advertere potens ac debens de proxima & imminenti ebrietate, nihilominus bibere non deſiſtit. Quoquo modo id

fiat, ebrietas in primo gradu de ſe peccatum eſt tantum veniale, niſi ex circumſtantiis mortale fiat. In ſecundo gradu, longe gravior, & ſæpius mortalis eſt; dum ſcilicet notabilis fit organorum diſturbatio, & cordis aggravatio. In tertio tandem gradu indubitanter mortalis eſt.

Mortalem autem eſſe ex genere ſuo ebrietatem probatur, tum ex Scriptura dicente Iſaiæ 5. *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam*: quod *væ* indicat mortale peccatum: tum ratione, quia rationis uſus præcipuum eſt hominis bonum, quo quis abſque gravi inordinatione ſe ipſum privare minime poteſt. Immo cenſent communiter Doctores eum peccare mortaliter, qui attento uſu communi monſtruoſe bibit, licet adhuc ſit rationis compos; cum per hanc monſtruoſam potationem temperantiam enormiter lædat; unde dicit Iſaias ſupra citatus: *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendum ebrietatem*: quæ maledictio non incurritur, niſi propter mortale peccatum. Ex quibus colligitur quam graviter peccent, qui more Dæmonum alios ad nimiam potationem provocant; qui alios ſe ſe inebriare permittunt, cum eos impedire poſſint ac debeant; quique gulosis ac ebrioſis vinum copioſum ſubminiſtrant, ex quo inebriandos eſſe prævident, ut caupones; niſi tamen eos excuſet gravioris incommodi imminens periculum.

Quær. 5. Utrum ſe ſe inebriare liceat, ad mortem vitandam; aut alium inebriare, ut a majori peccato retrahatur?

Re. cum D. Aug. Serm. 231. & 232. de temp. id minime licere: *Melius eſt*, inquit, *ut caro tua ſobria occidatur, quam per ebrietatem anima moriatur*. Ratio eſt, quia uſu rationis violenter privare ſe aut alium, eſt intrinſece malum; quod nullo caſu eſt licitum, cum ex Apoſtolo mala non ſunt facienda ut eveniant bona. Nec refert quod

non

non intendatur rationis privatio, ſed vitæ conſervatio, aut quodlibet aliud bonum, quia quando intenditur id, ex quo ex natura ſua aliud ſequitur, intenditur illud ipſum in actu exercito. Deinceps inde ſequeretur, ebrietatem ipſam numquam ferme eſſe peccaminoſam; cum numquam ferme ullus intendat uſu rationis ſe privare, ſed vel ſenſualitati vel amico invitanti indulgere.

Quær. 5. Quænam ſint Gulæ filiæ?

R. Quinque communiter recenſentur. 1. *Mentis hebetudo*; quæ ſi officia ad mortale obligantia impediat, mortalis erit. 2. *Inepta lætitia*: mortalis, dum ad libidinem ordinatur & provocat: 3. *Scurrilitas*, ſeu jocorum ac facetiarum immoderatio: quæ, dum vel Deo, vel proximo injuriam infert, aut puritatem lædit, lethalem culpam efficit. 4. *Multiloquium*: quod ſi in detractionem aut turpitudinem exeat, animam enecat. 5. *Immunditia*, venerea ſcilicet, quæ ſemper eſt mortalis. Hæc autem peccata in ebrietate commiſſa ebrio imputantur, licet rationis impoti, ſi ab ipſo prævisa fuerint, aut prævideri debuerint ac potuerint, quatenus in cauſa ſua voluntaria.

QUÆSTIO II.

Quid de Luxuria ſit dicendum.

LAtiſſimam hanc materiam in tres Articulos partiri convenit. Primus erit de caſtitate & luxuria in genere: ſecundus de luxuriæ variis ſpeciebus: tertius tandem de impudicitia. Sit igitur

ARTICULUS I.

De Caſtitate, & Luxuria.

Not. CAſtitatem dupliciter ſumi in genere, 1. metaphorice pro animi puritate ab omni creturarum affectu immuni. 2. proprie pro virtute moderatrice affectuum, & uſuum venereorum. Luxuria e contra *eſt inordinatus venereorum appetitus, vel uſus*; de his,

Quær. 1. Quotuplex ſit caſtitas, & luxuria?

℟. Triplicem eſſe, juxta triplicem cujuslibet ſtatum: Conjugalis ſcilicet, quæ Sacramento Matrimonii ligatis convenit: Vidualis quæ motus & appetitus venereorum extra Matrimonium exortos reſpicit: Virginalis tandem, quæ circa mentis ac corporis integritatem verſatur. Dixi *mentis & carnis*: alia ſiquidem eſt mentis virginitas, quæ coram Deo amittitur per ſolum venereorum affectum, etiam licitorum: ſed quæ recuperari poteſt ſi durante corporis integritate affectus ille corrigatur: alia eſt carnis, quæ per ſolam voluntariam pollutionem, quoqnomodo contingat, omnino irrevocabiliter amittitur. Dixi *voluntariam*, quia ſi involuntarie corporis integritas violetur, non amittitur virginitas; ſed ſi propter Deum violentia toleratur, ad coronam duplicatur.

Quær. 2. Quale peccatum ſit luxuria?

℟. Concedunt omnes mortale eſſe ex genere ſuo. Nam licet prima fronte ſolum adulterium prohiberi videatur hoc præcepto: *Non Mœchaberis*: Deum tamen omnem omnino per hoc præceptum, mentis, oris & corporis impudicitiam vetaſſe conſtat, ex oraculo Chriſti Domini: *Omnis*, inquit, qui *viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Si enim Chriſtus ſolum aſpectum mulieris, ad ejus concupiſcen-

ſcentiam ordinatum, damnat; quanto magis tactus, oſcula, pollutionem, fornicationem, &c. Ex hoc principio facile deducitur, nullam dari in re venerea materiæ parvitatem, omneque luxutiæ peccatum ſemper eſſe mortale. Ad cujus explicationem,

Sciendum eſt, duplicem in hac materia diſtingui delectationem. Alia ſiquidem dicitur delectatio mere ſenſualis ſeu organica, quæ in conformitate rei tactæ aut viſæ cum organo ſenſus & viſus ſita ſit, ita ut homo non delectetur, niſi de re blanda, leni, pulchra vel tenera: alia dicitur venerea ſeu libidinoſa, quæ conſiſtit in commotione carnis & ſpirituum generationi inſervientium. Hoc poſito,

Certum eſt 1. apud omnes atque indubitatum, dari levitatem materiæ in delectatione mere ſenſibili, dum abeſt ulteridris turpis delectationis aut conſenſus periculum, quod aliquando contingere poteſt. Alias peccato mortali damnandæ forent Matres & Nutrices, quæ cum ſuavitate & affectu teneram puerorum carnem oſculantur. Nec obſtat damnatio Prop. 40. ab Alex. VII. *Probabilis eſt opinio, quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris & polluptionis.* Quia Pontifex hoc loquitur de delectatione venerea & libidinoſa, quæ ſatis per verbum *carnalem* exprimitur.

Certum eſt 2. non dari levitatem materiæ in delectatione venerea. Ratio quorumdam Doctorum eſt, quia quælibet vel modica venerea delectatio, quædam eſt pollutionis inchoatio, proindeque mortale peccatum, ſicut homicidium inchoatum. Nonnulli autem Doctores contendunt, gravem quidem ac notabilem delectationem inchoatam eſſe pollutionem, non autem leviſſimam; quæ ſolummodo peccatum eſt mortale, ob proximum

con-

conſenſus, aut delectationis ulterioris periculum. Nam, inquiunt, ſicut rixa inchoatum homicidium non eſt, ſed tantum diſpoſitio remota ad illud, ita nec levis delectatio pollutio eſt inchoata; quæ ut talis ſit, tanta debet eſſe delectatio & commotio, ut adſit pollutionis periculum. Ex quo jure merito concludunt levem delectationem, in cauſa ſolummodo volita, (dum quis ſcilicet talem actionem ponit, ex qua ordinarie commotio ſpirituum ſequitur) non eſſe grave peccatum; quia tunc nullum adeſt, niſi remotum ulterioris conſenſus periculum, ſicuti adeſt quando in ſe eſt voſita.

Quær. 3. Quid de motibus in parte inferiori exortis ſit dicendum?

R. Vel motus iſti inſurgunt naturaliter, vel eis data fuit occaſio, vel his conſenſus periculum imminet, vel non. Si naturaliter exorti ſint, & nullum adſit ulterioris delectationis periculum, non peccat, ſaltem mortaliter, qui erga eos ſe habet permiſſive aut negative, ipſos nec approbando, nec reprobando; quia nullo modo ſunt peccata, nec in ſe, nec in effectibus ſuis. Quod ſi aliquod adſit ulterioris delectationis, proindeque conſenſus, periculum, tunc ſub gravi peccato illis poſitive reſiſtere tenemur, hos motus, quoad fieri poteſt, reprimendo, & diſplicentiæ actum eliciendo: ſcriptum eſt enim, *Qui amat periculum, in illo peribit*. Amatur autem periculum, dum non vitatur: non vitatur autem, dum non ei poſitive reſiſtitur. Si vero his motibus voluntarie data fuerit occaſio, longe gravius tenemur eis poſitive reſiſtere; cum vera in cauſa ſua ſint peccata, ut per ſe patet.

Quær. 4. Quænam ſint luxuriæ filiæ?

R. Octo numerantur. 1. Cæcitas mentis circa res ſpirituales. 2. Præcipitatio, qua quis abſque conſilio operatur. 3. Inconſideratio, qua luxurioſus nec modum, nec ſtatum rerum conſiderat. 4. In-

con-

conſtantia in bonis propoſitis. 5. Amor ſui pravus & inordinatus, quo luxurioſus carnem ſuam ceteris præfert. 6. Odium Dei, quatenus abominationum noſtrarum vindex. 7. Affectus præſentis ſæculi. 8. Horror futuri. Quæ omnia gravia ſunt peccata, dum in creatura finem ultimum ponimus, aut grave quid contra Deum perpetramus.

ARTICULUS II.

De Luxuriæ ſpeciebus.

Not. SEptem numerari luxuriæ ſpecies. 1. videlicet ſimplex Fornicatio, Stuprum, Raptus, Adulterium, Inceſtus, Sacrilegium, & peccatum contra naturam; quod quadruplex eſt. 1. Beſtialitas. 2. Sodomia. 3. Inordinatus contra naturam concubitus. 4. Pollutio ſeu milities. De his

Quær. 1. Quid ſit Fornicatio, & quale peccatum?

R. Fornicatio eſt *congreſſus naturalis cum perſona ſoluta, tum a Matrimonio, tum a conſanguinitate, aut affinitate, tum ab Ordine ſacro, tum a voto continentiæ, tum ab illata violentia.* Dicitur autem ſimplex, ut diſtinguatur a ceteris luxuriæ ſpeciebus, quæ generalis fornicationis nomine plerumque donantur. Ipſa eſt mortale peccatum ipſo jure naturali prohibitum. Prob. 1. Auctoritate Innocentii XI. qui damnavit propos. 43. ubi docetur, *fornicationem, ſecundum ſe, nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malum quia interdicta.* 2. Ex Scriptura I. Cor. 6. ubi Apoſtolus perinde a Regno Dei excludit fornicarios ac adulteros, molles, ebrioſos, ceteroſque peccata contra naturam committentes. 3. Ex Patribus, Fulg. Epiſt. 1. c. 4. *Fornicatio*, inquit, *numquam poteſt eſſe ſine gravi peccato*; quod denotat nullo caſu eſſe licitam, proindeque intrinſece malam. 4. Ratio-

tio, quæ de ſe vagus eſt concubitus, contraria eſt tum fini generationis, prolis ſcilicet educationi atque inſtructioni; tum bono prolis, cui utroque jure naturali debetur, tum bono communi ob confuſionem, perturbationem, rixas & querelas, quæ ex vago concubitu oriri poſſunt. Nec obſtat, quod fornicarii de prolis educatione convenire poſſint, ita ut proli & bono communi omnino provideant; quia, ut fornicatio intrinſece ſit mala, ſufficit ut proli & bono communi de ſe ſit nociva, licet quandoque per accidens eis non nocear.

Quær. 2. Quid ſit Adulterium, & quale peccatum?

℟. Adulterium eſt *congreſſus naturalis, vel inter hominem conjugatum & mulierem ſolutam, vel inter ſolutam & conjugatum, vel inter duas perſonas conjugatas.* Peccatum eſt graviſſimum, teſte Apoſtolo, & Regno Dei excludens: cum ultra libidinis turpitudinem, gravem inferat injuriam, tum in proximum, tum in Matrimonii Sacramentum, tum in fidem conjugalem. Gravius peccatum eſt ſi mulier conjugata ſit, quam ſi ſolus vir, quia id naturæ magis contrarium eſt: copula ſiquidem cum conjugata generationem quandoque impedit: aut ſi non impediat, prolem incertam reddit, quod in Confeſſione eſt exprimendum. Item exprimendum eſt, ſi ambo vir & mulier ſint conjugati: cum duplex ſit numero Adulterium, duoque jura ſimul violentur. Nec adulterium, conſentiente marito, tantum eſt fornicatio; prout definivit Innoc. XI. quia ſicut maritus cedere non poteſt juri quod habet in corpus ſuum, nec juri quod habet in corpus uxoris, multo minus juri Matrimonii, cui injuria infertur.

Quær. 3. Quid ſit Stuprum, & quale peccatum?

℟. Stuprum *eſt illicita violentaque Virginis de-*

defloratio. Dixi *violenta*: quia, quidquid a nonnullis dicatur Theologis, ſi puella ultro conſentiat, ſtuprum non eſt a fornicatione ſimplici diſtinctum: cum nulla ſcienti ac violenti inferatur injuria: & Virgo jus habeat in corporis ſui integritatem, ut actum conjugalem faciat vel licite in Matrimonio, vel illicite extra illud. Nec obſtat quod Virgo defloratа in maximo deinceps verſetur peccandi periculo: tum quia periculum iſtud defloratioui omnino eſt extrinſecum: tum quia ſæpius non majus adeſt periculum poſt defloratiouem quam ante. Dixi *Virginis*; quia concubitus corruptæ, etiam violentus, licet peccatum ſit ſpeciale, non eſt tamen proprie ſtuprum, cum non violata ſit corporis integritas. Nomine autem *Virginis*, maſculus intelligitur, non ſecus ac femina; ac vera, licet non tanta, maſculo infertur injuria. Ideo ſtupri reæ ſunt mulieres, quæ vi & metu, dolis, & fraudibus, ac importunis ſollicitationibus, vehementibuſque blanditiis adoleſcentibus Virginitatis florem excerpunt. Eodem rei ſunt crimine, qui invitos, aut quaſi invitos adoleſcentes, ſive pueros, ſive puellas, adhuc Virgines polluunt, aut ad pollutionem protrahunt.

Quær. 4. Quid ſit Raptus, & quale peccatum?

R. Raptus eſt *violenta alicujus perſonæ abductio, libidinis explendæ cauſa*. Dicitur *alicujus perſonæ* cujuslibet ſexus ſit, ſtatus, aut conditionis. Dicitur *violenta*, ſive mulier ſit invita, ſive, ipſa conſentiente, inviti ſint hi, quorum curæ commiſſa eſt, nempe Parenres, Tutores, Maritus &c. Excipe tamen, ſi Sponſus abducat ſponſam conſentientem, etiam repugnantibus Parentibus; quia ratione Sponſalium quoddam jus habet in ipſam. Excipe item, ſi puella ſponte diſcedat cum amaſio inſciis Parentibus; tunc enim fuga eſt, non raptus. Dicitur *abductio*, id eſt translatio in locum ab alio moraliter diſtante; nam qui puellam

vio-

violenter ad aliquot tantum paſſus traheret, ad explendam libidinem, ſtuprator eſſet, non raptor. Dicitur *libidinis explendæ cauſa*; quia ſi fiat ob alium quemvis finem, non eſt verus raptus, ſed furtum.

Quær. 5. Quid ſit Inceſtus, & quale peccatum?

℟. Eſt *peccatum luxuriæ inter perſonas conſanguineas & affines inter gradus prohibitos.*

Dicitur *peccatum luxuriæ*, ſive incompletum ſit deſiderium, ſcilicet tactus, oſcula &c. quæ rationem inceſtus participant, cum actus principalis, ad quem ordinantur, malitiam induat; ſive concubitus ſit naturalis, ſive ſodomiticus, quia ſodomiticus concubitus reverentiam parentibus debitam non minus offendit, quam naturalis.

Dicitur *inter gradus prohibitos*: id eſt, uſque ad quartum gradum incluſive, inter perſonas conſanguineas & affines ex copula matrimoniali, & ex copula illicite uſque ad ſecundum, etiam incluſive. Porro iſtud graviſſimum eſt contra honorem propinquis debitum: tantoque gravius, quanto proximiores ſunt perſonæ peccantes: majus cum conſanguinea, quam cum affine: majus cum affine, quam cum cognata ſpirituali; majus cum cognata, ſeu affine in primo gradu, quam in ſecundo. Unde hæc circumſtantia in Confeſſione eſt aperienda, tanquam notabiliter aggravans.

Quær. 6. Quid ſit Sacrilegium, & quale peccatum?

℟. Sacrilegium, *quod eſt rei ſacræ violatio per actum venereum*, peccatum eſt graviſſimum, Deo gravem inferens injuriam. Per rem autem ſacram non ſolum perſona ſacra per caſtitatis votum aut ſacrum Ordinem Deo dicata, ſed & locus ſacer intelligitur. Ideo Sacrilegium eſt, dum in loco ſacro actus venereus, ſive licitus, ſive illicitus, exercetur: vel dum perſona ſacra quodlibet ſive mente ſive opere, luxuriæ peccatum committit.

Gra-

Gravius peccat Sacerdos, quam Diaconus; Diaconus, quam Subdiaconus; & Sacerdos Religioſus, quam ſimplex Sacerdos non Religioſus, aut ſimplex Religioſus non Sacerdos: quia quo magis firmatum eſt promiſſionis vinculum, eo major eſt in violando infidelitas; quæ circumſtantia non ita tamen notabilis cenſetur, ut neceſſario ſit in Confeſſione aperienda. Quod ſi duæ perſonæ ſacræ aliquam inter ſe turpitudinem exerceant; vel ſi perſona ſacra eam turpitudinem exerceat cum non ſacra in loco ſacro, vel indutus veſtibus Sacerdotalibus, ut alba; duplex perpetrat ſacrilegium in Confeſſione exprimendum.

Quær. 7. Quid ſit Beſtialitas, & quale peccatum?

R. Beſtialitas quæ *eſt coitus cum Bruto*, peccatum luxuriæ eſt inter omnia graviſſimum, cum naturæ maxime ſit contrarium. Ad hoc reducitur concubitus viri, aut feminæ cum dæmone; qui, ſi maſculum ſe exhibeat, erit ſodomia: ſi tamquam mulier libera, fornicatio: ſi tamquam cognata, inceſtus &c.

Quær. 8. Quid ſit Sodomia, & quale peccatum?

R. Sodomia peccatum enorme & abominandum, eſt *coitus libidinoſus perſonarum ejuſdem ſexus, vel diverſi ſexus in vaſe indebito*. Duplex eſt: alia perfecta, altera imperfecta. Perfecta eſt congreſſus maſculi cum maſculo, aut feminæ con femina; & ad perfectam reſervatamque ſodomiam indifferens eſt in quo vaſe coeant maſculi inter ſe, ſive in vaſe præpoſtero, ſive, quod nefandum eſt, in ore; & feminæ coeant in vaſe anteriori, aut poſteriori, cum ſodomiæ malitia præciſe conſiſtat in affectu ad ſexum indebitum. Imperfecta autem eſt congreſſus viri cum femina extra vas naturale, quæ ſpecie differt a perfecta, proindeque in Confeſſione exponenda.

Quær.

Quær. 9. Quid ſit inordinatus concubitus, & quale peccatum?

℟. Ordo naturalis in concubitu non ſervatur, ſi a latere copula habeatur, ſi ſtando, vel ſedendo, ſi viro ſuccumbente, non incumbente, de ſe peccatum veniale; mortale vero diſtinctum a fornicatione & adulterio &c. ſi impediatur generatio; aut ſi periculum adſit extra vas ſemen effundendi, aut prolem conceptam ſuffocandi. Sed de his plura, dum de Matrimonio.

Quær. 10. Quid ſit Mollities, aut pollutio, & quale peccatum?

℟. Mollities, quæ *voluntaria eſt ſeminis effuſio*, grave peccatum eſt, & quidem jure naturali prohibitum, ut definivit Innocentius XI. propoſit. 49. & gravius fornicatione, cum magis adverſetur generationi, & directe eam tollat. Ideo nullo caſu licita eſt, nec ullo fine etiam honeſtiſſimo cohoneſtari poteſt. Immo deſiderare non licet, vel ob ſanitatem recuperandam, vel ad tentationem vicendam, ut pollutio naturaliter eveniat, aut de ipſa jam habita gaudere: & dum incipit pollutio, & ipſa naturaliter fluere ſentitur, tenemur eam cohibere, ſi poſſimus abſque gravi noſtro incommodo; & hoc quidem non ſolum propter conſenſus periculum, ſed quia præciſe ſeminis effuſio eſt quaſi inchoatum homicidium, nempe prolis privatio, ad quam ex natura ſua ſemen eſt ordinatum.

Porro mutua pollutio inter mares, vel inter feminas procurata, per affectum ad ſexum indebitum, rationem induit ſodomiæ in Confeſſione aperiendam. Item conjugati, vel cum ſua comparte, vel cum alio, vel privatim ſe ſe polluentes, rei ſunt adulterii inchoati in Confeſſione exponendi; eo quod eorum caro dividatur, contra datam in Matrimonio fidem. Item in Confeſſione declarandum eſt, utrum mollis vel privatim, vel cum

alio

alio ſeſe polluerit; quia per illud conſortium ambo complices fiunt mutui ſui peccati.

ARTICULUS III.

De impudicitia.

Not. IMpudicitiæ nomine intelligitur luxuria quædam inchoata, quæ conſiſtit in oſculis venereis, tactibus & aſpectibus impudicis, ſcriptis & verbis turpibus, & laſcivis repræſentationibus. Hæc de ſe peccata eſſe mortalia facile convincitur: tum ex Apoſt. ad Eph. 5. Immunditiam a Regno Dei excludente, tum ratione, qua probavimus nullam dari in luxuria parvitatem materiæ: quod ut clarius pateat;

Quær. 1. Quid de oſculis ſit dicendum?

R. Cum oſcula (idem dicendum eſt de aſpectibus & tactibus) ex natura ſua ſint indifferentia; nullam habent malitiam, niſi eam quam ipſi malus agentium affectus communicat. Unde oſcula juxta morem patriæ, cauſa urbanitatis, pacis, ac benevolentiæ, per ſe loquendo ſunt licita; & tantum per accidens mala, ſcilicet vel ob ſcandalum, vel ob carnalis delectationis, quæ ex his oriri ſolet, periculum, per quod tunc evadunt mortalia. Idem dicendum venit de oſculis ex vanitate, joco, aliave ſimili levitate factis, quæ de ſe ſunt tantum venialia: libidinoſa autem habita cum carnali & venerea delectatione, ſemper ſunt mortalia, etiam citra ulterioris conſenſus periculum, ut definivit Eccleſia, & alibi dictum eſt. Libidinoſa autem cenſentur, dum delectatio percepta oritur vel ex repræſentatione copulæ, aut actuum ad eam tendentium, vel ex commotione externa aut interna carnis aut ſpirituum generationi inſervientium.

Quær. 2. Quid de tactibus ſit dicendum?

R. Cer-

R. Certum eſt ex dictis, omnem tactum libidinoſum, in quacumque corporis parte fiat, ſive activus ſit, ſive paſſivus, ſive in alio fiat, ſive in ſe ipſo, peccatum eſſe mortale. Quod ſi tactus fiat ex levitate, joco, aut propter delectationem mere ſenſualem in partibus honeſtis, vultu ſcilicet, aut facie, de ſe non eſt mortalis; Id eſt, niſi ſubrepat ulterioris delectationis periculum.

Dixi, *Partium honeſtarum*, nam ſi tactus fiant in partibus inhoneſtis, ut mamillæ, aut ſecretioribus, ut verenda, locaque vicina, ordinarie ſunt mortalia, dum deeſt juſta cauſa, quia naturaliter ad libidinem excitant, & ad pollutionem proxime diſponunt. Dixi 1. *Ordinarie*, quia impuberes ejusdem ſexus omnis veneris inexpertes, ex joco aut levitate in his partibus ſe ſe tangentes, a mortali poſſent excuſari. Item qui ſic ſe ipſos obiter tangunt, obiter, inquam, non moroſe, aut vicibus repetitis, a mortali excuſantur. Dixi 2. *dum deeſt juſta cauſa*; id eſt gravis vel levis neceſſitas, juxta majorem vel minorem tactus turpitudinem.

Quær. 3. Quid de aſpectibus ſit dicendum?

R. Peccant ordinarie mortaliter, qui abſque juſta cauſa perſonas diverſi ſexus in partibus ſecretioribus, ac valde vicinis aſpiciunt, qui viri ac mulieris coitum, immo quandoque brutorum contemplantur; qui ſe ipſos aut alios ejuſdem ſexus in partibus verendis, immo & picturas, aut ſtatuas valde turpes, grandiores Perſonas repræſentantes, ſtudioſe ac moroſe proſpiciunt; quia ex his aſpectibus motus libidinoſi ut plurimum excitantur; nec a peccato excuſat curioſitas, cum ipſa omnino vana ſit & inutilis. Dixi *ordinarie*, quia ſi in his aſpectibus nullum adſit libidinis periculum, nec ulla delectatio aut commotio venerea timeatur, peccatum fortaſſis nonniſi ad veniale pertinget; circa quod tamen quilibet multum

tum sibi diffidere debet, ob naturam in hac materia maxime proclivem ac lubricam.

Quær. 4. Quid de Turpiloquio sit dicendum?

℟. Turpiloquia audire, canere, legere, scribere, mortale est: si fiat cum delectatione ad turpitudinem significatam, vel cum ejusdem periculo; veniale tantum, si fiat ex joco, aut curiositate, aut cum sola delectatione ad rerum aut verborum artificium, vel ad factorum facetiam, modo, quod perraro contingit, nullum adsit vel scandalum, vel libidinosæ delectationis periculum. Unde hæc cautissime sunt vitanda. Ob eamdem rationem vitanda est lectio librorum amatoriorum, quia licet turpia & obscœna expresse non referant turpes imagines ingerunt, & ad carnalem delectationem provocant. Item Litterarum scriptio, ubi honestis etiam mulieribus teneriores benevolentiæ sensus exhibendo, affectus libidinosus latenter excitatur, cujus delectationis, aut affectus periculum, si a legentibus, aut scribentibus prævideatur, aut prævideri potuerit vel debuerit, peccatum mortale incurritur.

QUÆSTIO III.

De Immodestia.

Nota. MUltipliciter contra modestiam christianam varia peccata posse committi, choreas scilicet ineptas aut lascivas ducendo, immoderata ornamenta adhibendo, fucis mendacibus vultum depingendo, larva personatum agendo. De quibus

Quær. 1. Quid de Choreis sit dicendum?

℟. Certum est apud omnes post D. Th. in c. Isai. Choreas de se non esse illicitas, sed dumtaxat ex abusu, aut inordinato saltantium affectu; unde Choreæ videntur innocentes, modo sequen-

tes

tes adſint conditiones. 1. Ut ſaltans non ſit perſona indecens, ſicut Clericus aut Religioſus, quod ratione ſcandali mortale eſſe poſſet. 2. Ut Choreæ non agantur in loco ſacro, nec Officiorum Divinorum tempore, nec die feſto, aut Dominica, juxta ſanctiones tum Eccleſiaſticas tum civiles, ubi vigent ad mortale obligantes. 3. Ut abſit in ſaltantibus animus libidinoſus, geſtus laſcivus, & venereæ delectationis periculum, quod cum ſæpius adeſſe contingat, jure ac merito in Choreas inhoneſtas tam vehementer Patres inſurgunt.

Quær. 2. Quid de mulierum ornamentis ſit dicendum?

R. Non peccat quidem mulier ornans ſe ſe honeſte, tum ad ſtatus ſui decorem ſuſtinendum, tum ad viro placendum, ſi nupta ſit; tum ad placendum alicui, ut eam ducat in uxorem, ſi ſit innupta: ſed peccant ſaltem venialiter, qui ſupra conditionem ſuam veſtibus ac ornamentis pretioſioribus utantur; immo & mortaliter. 1. Dum enormis eſt exceſſus. 2. Dum hæc ornamenta adhibentur ad luxuriam excitandam. 3. Dum prævident, aut facile prævidere poſſunt ac debent, ex ſuis vanis ac ſuperfluis ornamentis aliquem ad libidinem fore commovendum. 4. Dum laſcivis utuntur ornamentis de ſe ad libidinem excitantibus; prout faciunt, qui pectora nudant, ſcapulas diſcooperiunt &c.

Quær. 3. Quid de fucis ſit dicendum?

R. Peccat mulier, quæ abſque cauſa rationabili fucis utitur, etiamſi nullo pravo teneatur affectu, nec ullum adſit ſcandali periculum, quia fucatio ſpecies eſt mendacii. Ipſa tamen, inquit D. Th. 2. 2. q. 269. a. 2. ad 2. non ſemper eſt cum peccato mortali, ſed ſolum quando fit propter laſciviam, vel in contemptum Dei. Dixi *abſque rationabili cauſa*, cum eodem S. Doctore: quia licet

fucis

fucis uti non liceat ad fingendam pulchritudinem non habitam, *fas est occultare turpitudinem ex aliqua causa provenientem, puta ægritudine, vel aliquo hujusmodi.*

Quær. 1. Quid de Larvis aut Personatibus sit dicendum?

Rx. Cum Larvæ & Personatus de se sint indifferentes, immo & in bonum finem converti possint, non censentur peccata, nisi venialia, propter immodestiam, aut nimiam mentis divagationem. Mortalia tamen fierent, si in talibus adhiberentur circumstantiis, ut essent concupiscentiæ incentiva, & libidini præstarent occasionem, ut sæpius contingit. Ubi observandum est, graviter peccare, immo secundum multos auctores mortaliter, viros vestem femineam, aut feminas vestem virilem induentes, absque gravi necessitate, tum ob apertam Scripturæ prohibitionem, ubi dicitur Deut. 22. *Abominabilem esse, qui facit hæc*; tum ob imminens & proximum in his personatibus lasciviæ periculum. Qui vero vestes sacras Ecclesiasticas, aut Religiosas in his personatibus adhibent, proculdubio mortaliter peccant, utpote qui rebus sacris ac Religiosis ludos facere jure merito censeantur. Ceterum cum homines aut fucis aut larvis ad malum non semper utantur; & in bonum finem quandoque uti possint; ideo communiter docent Doctores in malo statu non versari, qui hæc faciunt aut vendunt; nisi vendant eis, quos probabiliter dubitant hujusmodi rebus usuros ad mortale.

APPENDIX.

De Indulgentia.

IN hac Appendice nobis exponenda veniunt Indulgentiarum essentia, existentia, minister, subjectum, virtus aut efficacia, & dispositiones ad

eas consequendas requisitas sequentibus quæstionibus, quibus alteram de Jubilæo adjiciemus.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit Indulgentia.

R. 1. INdulgentia, quæ & Relaxatio, Remissio, & Condonatio apud veteres dicebatur, recte definiri potest: *Relaxatio pœnæ temporalis pro peccatis actualibus, quoad culpam remissis, debitæ, per Thesauri Ecclesiæ applicationem legitime factam.*

Dicitur 1. *Relaxatio*, quoquo modo fiat, sive per actum Jurisdictionis in subditos exercitum, ut erga fideles viventes; sive per modum solutionis impensæ, ut erga defunctos, quum non amplius sint viatores, proprie Clavibus Ecclesiæ non subjiciuntur, ut suo dicetur loco.

Dicitur 2. *Pœnæ temporalis*: quam Indulgentia peccatum mortale non diluat, nec pœnam æternam ipsi debitam relaxat.

Dicitur 3 *Pro peccatis actualibus quoad culpam remissis*; quia per Indulgentiam nulla culpa, sed tantummodo pœna remittitur. Ideo nullus Indulgentiam omnium peccatorum suorum plenariam consequi potest, qui adhuc aliquo ad peccatum veniale, vel minimo, affectu tenetur.

Dicitur 4. Pœnæ temporalis *debitæ*; sive hæc pœna in hoc mundo, vel Ecclesiæ Canonibus, vel ex præcepto Confessarii sit luenda; sive post mortem in Purgatorio persolvenda.

Dicitur 5. *Per Thesauri Ecclesiæ applicationem*. Per quod Indulgentia differt a pœnæ relaxatione, quæ per Sacramenta aut Missæ Sacrificium obtinetur. Thesaurus autem iste constat, tum ex superabundantibus atque infinitis Christi Domini satisfactionibus, quas non in suam propriam

priam utilitatem, ſed in ſolam hominum ſalutem impendit; tum ex ſuperfluentibus ſatisfactionibus B. M. V. & Sanctorum; qui cum vel nullum, vel pauca & leviſſima habuerint peccata quoad pœnam expianda, ſatisfactiones eorum, ſeu opera pœnalia, quatenus ſibi ſuperflua, in Theſauro Eccleſiæ, id eſt in conſpectu & memoria Dei aſſervantur, ut nobis in neceſſitate poſitis applicentur. Non abſimili modo, inquit D. Th. 4. d. 20. q. 1. ad 3. quo bona Civium abſque herede decedentium, tamquam bona communia, ad Rempublicam pertinent.

Dicitur 6. *Applicationem legitime factam*, ab eo ſcilicet, qui hunc Theſaurum diſpenſandi poteſtatem habet. Nulli ſiquidem particulari licet bona Reipublicæ communia pro libitu ſibi uſurpare ac diſpenſare, ut mox videbitur. Per quod Indulgentiæ diſtinguuntur a ſuffragiis, quæ per privatam voluntatem ac poteſtatem applicari & offerri poſſunt, ut preces particulares, quæ tum pro vivis, tum pro defunctis funduntur.

R. 2. Multiplex profertur Indulgentiæ diviſio. Plenaria ſcilicet aut partialis: Temporalis aut perpetua: Determinata aut indeterminata: In vita, aut in articulo mortis, vel in ipſa morte; Realis, aut localis, aut Perſonalis.

Indulgentia *Plenaria* ea eſt, quæ ſine limitatione ad totam pœnam pro peccatis debitam relaxandam conceditur. *Partialis* vero, quæ nonniſi ad partem pœnæ debitam datur, ut Indulgentia centum annorum. Quod ſic non intelligitur, quaſi centum anni de pœnis in Purgatorio ſolvendis relaxentur; ſed quod tot pœnæ remittantur, quod ſecundum Canones Pœnitentiales per centum annos erat ſubeundum; proindeque tot pœnæ Purgatorii, quod correſpondent pœnitentiæ in Canonibus præſcriptæ.

Temporalis Indulgentia ea eſt, quæ pro certo ac determinato tempore conceditur, ut per ſeptenni-

nium, aut pro viginti quatuor, vel quadraginta annis, diebus: perpetua vero, quæ ſine temporis limitatione confertur.

Indeterminata Indulgentia dicitur ea, per quam nihil determinatur; ut ſi concedatur indulgentia quartæ partis pœnæ reſiduæ, quæ major vel minor eſſe poteſt, pro majori vel minori numero & gravitate peccatorum. Determinata vero, per quam quantitas pœnæ remiſſæ determinatur; ut una Septena, id eſt, ſeptem annorum pœnitentiæ; una Quadragena, id eſt 40. dierum; una Carena, id eſt una Quadragena Jejunii rigoroſi cum ſolo pane, & aqua, &c.

Indulgentia in vita ea eſt, quæ in vitæ curſu conſequenda conceditur. In mortis articulo, ſimpliciter dicto, conceſſa, obtinetur in quovis periculo præſumpto, licet mors non ſequatur: conceſſa vero in mortis articulo, ſeu in ipſa morte, non obtinetur niſi poſt datam abſolutionem ægrotus moriatur.

Realis Indulgentia ea eſt, quæ vel grano vel imagini applicatur, quæ imago ex aliquo metallo debet eſſe fabricata: Localis, quæ in aliquo Templo vel Eccleſia conceditur obtinenda; Perſonalis, quæ conceditur alicui Perſonæ, modo tale vel tale opus fecerit. Circa quod

Obſerv. 1. Indulgentiæ Numiſmatibus, Coronis, Crucibus, Imaginibus applicatæ, non valent pro his, quibus immediate non fuerunt conceſſæ; ita ut hæc non poſſint commodari, niſi forte habeantur ab ipſo ſummo Pontifice, vel ab alio, cui ſummus Pontifex ſuo nomine diſtribuenda conceſſit. 2. Imagines debent eſſe Sanctorum Canonizatorum, aut ſaltem in Martyrologio Romano deſcriptorum. 3. Indulgentiæ alicui Templo vel Sacello conceſſæ, non expirant ſi ipſo diruto reædificetur. 4. Tranſlato Feſto, in quo Indulgentia conceditur, non ideo transfertur Indulgentia.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Utrum in Eccleſia extet Indulgentiarum concedendarum poteſtas.

Reſp. TAmquam de Fide definitum eſt a Conciliis Conſtantienſi ſeſſ. 8. & Trident. ſeſſ. 25. contra Wicleſiſtas, Lutheranos, ceteroſque Hæreticos, hanc in Eccleſia extare poteſtatem, & quidem jure merito; nam 1. Chriſtus Dominus promiſit, & conceſſit Petro Claves Regni Cœlorum, proindeque poteſtatem removendi quæcumque aditum Regni Cœlorum præpediunt, quorum unum eſt reatus pœnæ. 2. Legitur II. Cor. 2. D. Paulum hanc poteſtatem exercuiſſe erga Corinthium inceſtuoſum, cui in *Perſona Chriſti* reliquum pœnæ condonavit, dum reſcivit de peccato doluiſſe ac pœnitentiam inchoaſſe. 3. Certum eſt ex perpetua Traditione hac Poteſtate in prioribus etiam ſæculis Eccleſiam uſam fuiſſe; ſic in primæva Eccleſia Pœnitentes obtinebant ab Epiſcopis pœnarum relaxationem per interceſſionem Martyrum in carcere detentorum: ut teſtantur Tertull. lib. Martyr. c. 1. & Cypr. Epiſt. 11. & 14. ſic Greg. Mag. Populo Rom. Indulgentias Stationum conceſſit. Sic plurimi Pontifices plenarias Indulgentias conceſſerunt his, qui expeditionem Bellicam in Terram Sanctam contra Saracenos ſuſcipiebant, &c.

QUÆSTIO III.

Quinam ſint Indulgentiarum Miniſtri.

Reſp. 1. CUm poteſtas bona Reipublicæ communia diſpenſandi ſit penes dumtaxat populi Principem & Rectorem, numquam in Eccleſia niſi ſoli Epiſcopi, quos Spiritus Sanctus

posuit regere Ecclesiam Dei, Indulgentias concedendi potestatem habuerunt. Ideo nec Parochi, nec Provinciales, nec Generales, nec Abbates jure ordinario, sed tantummodo ex delegatione eas concedere valent. Immo Episcopi, qui Diœcesanis suis omnes, etiam plenarias, olim concedere valebant Indulgentias, ita a sacris Canonibus restricti sunt, ut nonnisi Indulgentiam unius anni in Templi dedicatione, & quadraginta dierum in anniversario ejus, vel in aliis Festivitatibus solemniter & in foro externo concedere valeant. Dixi *in foro externo*; quia plurimi Canonistæ docent in foro Pœnitentiæ plurium annorum Indulgentias ex justa causa largiri posse.

Hæc autem potestas a peccato mortali non ligatur; cum ipsum, nisi accedat excommunicatio, jurisdictionem non auferat. Ideo Episcopi electi & confirmati, licet nondum consecrati, Indulgentias concedere possunt: quia Indulgentiarum concessio actus non est Ordinis, sed Jurisdictionis, qua jam pollent Episcopi electi & non consecrati.

℟. 2. Sine justa causa, nec licite, nec valide Superior Indulgentias concedere potest, quia dispensator est tantummodo, non dominus Thesauri Ecclesiæ. Atqui dispensator de rebus domini sui, extra justam causam, nec valide, nec licite disponere potest. Ergo. Unde Clem. VI. in Extrav. *Unigenitus Dei Filius*, ait: *Thesaurum infinitum satisfactionum Christi per B. Petrum Cæli Clavigerum, ejusque successores, Christus commisit salubriter dispensandum, & propriis rationabilibus causis . . . vere pœnitentibus, & confessis misericorditer applicandum.*

℟. 3. Causa legitima Indulgentiam concedendi, est quilibet pius finis, cujus assecutio magis sit Deo honorifica, magisque Ecclesiæ utilis, quam pœnitentialis satisfactio. Inter legitimas causas communiter, cum D. Th. recensent Doctores Ecclesiæ

uti-

utilitatem, Cultus Dei, vel Sanctorum promotionem, Fidei propugnationem, & propagationem, inimicorum Ecclesiæ repressionem, inter Principes Christianos pacem, Infidelium debellationem, Ecclesiarum ædificationem, aliarum Eleemosynarum collationem. Nec ibi, inquit D. Thom. fit Simonia; cum non detur spirituale pro temporali, sed pro spirituali.

Porro de harum causarum justitia subditorum non est judicare, sed potius de ea bene præsumere, nisi omnino sit evidens concedentis indiscretio.

QUÆSTIO IV.

Quodnam sit Indulgentiarum subjectum.

Resp. 1. SAtis est evidens, omnes & solos Baptizatos Fideles, non excommunicatos, Indulgentiarum esse subjectum. Dixi *omnes*; quia bona Ecclesiæ communia omnibus, qui ejus Jurisdictioni subduntur, legitime ac valide possunt applicari. Dixi *solos Baptizatos*; quia Cathecumeni nondum sunt Ecclesiæ subjecti, proindeque Indulgentiæ non sunt capaces, nisi forte per modum suffragii. Dixi *solos Fideles*: nam Infideles, Hæretici, & Apostatæ membra non sunt Ecclesiæ: ideoque bonorum, omnibus membris communium, participes fieri nequeunt. Dixi tandem, *non excommunicatos*; quia excommunicatio privat hominem communibus Ecclesiæ bonis ac suffragiis.

R. 2. Animæ defunctorum Indulgentiarum percipiendarum possunt esse subjectum, non quidem per modum absolutionis, cum sint extra militantem Ecclesiam, nec ejus sint subjecti; sed per modum suffragii, quatenus Pontifex pro ipsis exhibet pretium ex thesauro Ecclesiæ, cujus sibi commissa est dispensatio. Quod autem pretium istud a Pontificibus pro defunctis exhiberi possit, & a

Deo acceptetur, probatur ex Decretalibus Sixti IV. & Leon. X. contra Lutherum, ubi hæc veritas definita est. Confirmatque usus perpetuus Ecclesiæ, quæ plurimas Indulgentias pro animabus Purgatorii sæpius applicavit & concessit.

QUÆSTIO V.

Quænam sit Indulgentiarum virtus, & efficacia.

Resp. 1. CConcedunt omnes Theologi, Indulgentiam non eximere Pœnitentes a pœnis in foro exteriori ad regimen externum Ecclesiæ inflictis vel infligendis; nec a pœnalitatibus ex peccato Originali provectis, temporum scilicet injuria, morbis, morte, &c. nec a salutaribus pœnitentiis, quæ a Confessariis potius ad pœnitentes a peccato præservandos, quam ad eos puniendos in Sacramento imponuntur: cum nullus ab obligatione eximi possit omnia suscipiendi media, quæ nos a peccato ulterius committendo retrahere possunt.

Constat etiam apud omnes, Indulgentias eximere non posse Pœnitentes a debito coram Deo satisfaciendi, juxta cujuslibet modulum, pro peccatis a se commissis; quia jure divino tenetur omnis peccator *fructus dignos pœnitentiæ facere*; a quo jure dispensandi Christus Dominus potestatem Ecclesiæ non contulit, dum ei Indulgentiarum dispensationem commisit.

Item constat apud omnes, Indulgentias eximere non solum a pœnis Canonicis, tum injunctis, tum injungendis; sed etiam ab omnibus pœnis in foro divino debitis; cum de Fide certum sit, summum Cœli Clavigerum potestatem habere omnia removendi obstacula, quæ in Cœlos aditum præpedire possunt. Sola quæstio igitur esse potest, utrum Indulgentiæ, tum vivis, tum defunctis applicatæ, iis infallibiliter prosint. Circa quod

Re. 2.

R. 2. Certum omnino videtur Indulgentias, vivis applicatas, illis infallibiliter prodeſſe; dum ad eas conſequendas omnes adhibent requiſitas conditiones & diſpoſitiones.

Prob. 1. Auct. D. Th. d. 20. *Quæcumque cauſa adſit, quæ in utilitatem Eccleſiæ vergat, ſufficiens eſt ad Indulgentias; ſed ad applicandum theſaurum requiritur auctoritas conferentis, & charitas ſuſcipientis, & cauſæ pietas; quibus tribus concurrentibus, indulgentiæ tantum valent quantum ſonant.* Ergo & infallibiliter valent.

Prob. 2. Ratione multiplici. 1. Quia Indulgentiæ applicantur vivis per modum abſolutionis; abſolutio autem effectum ſuum infallibiliter producit. 2. Indulgentiæ erga vivos tenent locum veræ ſatisfactionis. Atqui ſatisfactio de condigno meretur pœnæ remiſſionem; proindeque infallibiliter, ut omnes fatentur Theologi. 3. Extat promiſſio divina Indulgentias pro vivis applicatas acceptandi. Ergo ipſis proſunt infallibiliter. Dixit enim Chriſtus D. Petro: *Quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo.* Ideo contraria ſententia Fidei Catholicæ aperte videtur contraria.

R. 2. Non minus certum videtur, Indulgentias defunctis auctoritate Eccleſiæ applicatas, ipſis infallibiliter prodeſſe.

Prob. Ex eodem D. Th. docente Suppl. q. 71. ar. 2. & 5. *Indubitanter credendum eſſe, & non eſſe dubium, quin ſuffragia per vivos facta, exiſtentibus in Purgatorio proſint.* Id autem non eſſet indubitanter credendum, ſi hæc ſuffragia ipſis infallibiliter non prodeſſent. Deinde S. Doctor docet ibidem art. 5. ad 3. *ſuffragium pro mortuo magis accepſari quam pro vivo, cum non poſſit ſibi auxiliari, ſicut vivus poteſt.* Atqui ſuperius probavimus Indulgentias pro vivis infallibiliter acceptari Ergo & pro mortuis. Accedit auctoritas D. Bonav. docentis in Breviloq. part. 7. cap. 3. & ſerm. de

Animabus : *Suffragia illa, quæ ſpecialiter fiunt pro aliquibus defunctis . . . plus valere illis, pro quibus determinate fiunt.* Ratio D. Thomæ eſt art. 1. & 2. quia *propter charitatis unionem & propter intentionem in eos* defunctos *directam, iſta opera*, ſeu indulgentiæ, *quodammodo efficiuntur eorum, pro quibus fiunt, quaſi eis a faciente collata.* Ideoque non minus infallibiliter ipſis proficua ſunt, ac ſi ipſimet ea feciſſent.

QUÆSTIO VI.

Quænam ſint diſpoſitiones, & conditiones ad Indulgentiam obtinendam requiſitæ.

Reſp. QUatuor communiter aſſignantur. 1. Quod opera injuncta complete perficiantur; licet enim ſi aliquis modicum quid ex opere injuncto omitteret, indulgentia non privaretur; nullum tamen ejus fructum perciperet, qui partem ejus notabilem ſive ex ignorantia, ſive ex oblivione, aut etiam ex juſto quodam impedimento non impleret. Quia Indulgentia indiviſibiter conceditur; per quod a ſimplici differt ſatisfactione, quæ juxta operis exerciti menſuram a pœnis debitis liberat. Dixi *ſive ex ignorantia*, &c. quia Indulgentiæ non plus valent quam ſonant.

Quoad circumſtantias temporis, loci & ordinis operis injuncti; ſi hæc a Pontifice principaliter intendantur, v. gr. ut quis per ſe ipſum jejunet, aut has potius, quam iſtas Baſilicas viſitet; earum impletio ad obtinendam Indulgentiam requiritur: ſecus vero, ſi principaliter non intendantur; ut quis potius jejunet una die quam altera, potius in ſecunda quam in prima Hebdomada; in loco domicilii potius quam in alieno, &c.

2. [Requiritur, ut Indulgentiam lucraturus, ſit in ſtatu gratiæ,] non ſolum dum ultimum ſaltem opus

opus injunctum exercetur, ut quibuſdam Theologis videtur; ſed & toto tempore quo omnia adimplentur; ut alii longe probabilius docent: quia cum Indulgentia nonniſi vita ſpirituali animatis concedatur, nonniſi ab operibus gratia vivificatis obtinetur. Ideo omnibus operibus præmittenda eſt Sacramentalis Confeſſio ab his, qui in peccato mortali verſantur, ut plene ac complete Indulgentiam conſequantur. Nec ſufficeret atritio, quantumvis ſincera, ſi in Bulla haberetur Indulgentiam concedi *Pœnitentibus & Confeſſis*; licet Indulgentiam lucraturus peccati tantum venialis reus eſſet, quia tunc Confeſſio ſe habet tamquam opus injunctum.

3. Requiritur propoſitum efficax Deo pro viribus ſatisfaciendi. Eſtatum eſt ſiquidem ab omnibus Theologis receptum, Sedis Apoſtolicæ Indulgentias non concedi, *niſi his qui, quantum ſuppetunt vires, bene operari non prætermittunt, non autem ignavis, otioſis, ut negligentia torpeſcentibus*. Alioquin Indulgentiæ potius in deſtructionem forent quam in ædificationem. Ratio fundamentalis eſt, quia Indulgentiæ conceduntur ſolis *vere Pœnitentibus*. Sed qui propoſitum non habet Deo pro viribus ſatisfaciendi, fructuſque pœnitentiæ faciendi, non eſt vere Pœnitens, cum pœnitentia hoc propoſitum eſſentialiter includat. Ergo

4. Requiritur vera Indulgentias conſequendi intentio. Qui enim opus injunctum ad alium finem dirigeret, vel de Indulgentia obtinenda numquam cogitaſſet, ipſam non conſequeretur. Non requiritur tamen neceſſario intentio actualis aut virtualis: ſed ſufficit habitualis, ſeu interpretativa, quam quis pius ac devotus cenſetur habere, qui omnes, quas poteſt, indulgentias conſequi vellet. Ratio primi eſt, quia nullum opus efficaciam habere poteſt ultra intentionem, & abſque intentione agentis: ideo ſi nulla adſit intentio, nulla &

aderit efficacia. Ratio ſecundi eſt, quia indulgentia in Bullis ſic ſolet exprimi: *Qui hoc opus fecerit, tantumdem Indulgentiæ conſequetur*. Sic omnis Fidelis pius ac devotus plurimas, etiam a ſe ignoratas, Indulgentias conſequi poteſt, cum hac generali habituali intentione, omnes, quarum eſt capax, conſequendi. Curet tamen ſedulo ut in matutina oratione ad hoc intentionem ſuam dirigat; cum id longe ſit tutius: & ſic immenſos Indulgentiarum Theſauros pro devotione ſua, ac fide conſequi poterit.

QUÆSTIO III.

Quid de Jubilæo ſit dicendum.

Reſp. JUbilæum ab Indulgentia plenaria non differt, quoad pœnæ remiſſionem; ſed tantummodo ratione Privilegiorum, quæ in Jubilæo conceduntur: v. gr. abſolvendi a reſervatis, vota commutandi, &c. quæ in Bulla exprimuntur. Igitur ſequentia circa Jubilæum tantum ſunt notanda.

1. Privilegium, tempore Jubilæi omnibus generaliter Fidelibus conceſſum, peccata deponendi cuivis Confeſſario a loci ordinario approbato, non ſolum vere, ſed ſpecialiter ſe extendi ad perſonas Religioſas, quæ, juxta Ordinum ſuorum Conſtitutiones aliaque Superiorum ſuorum ſtatuta, nec valide nec licite confiteri poſſunt, niſi his Confeſſariis, quos ipſimet Superiores deſignaverint. Hæc ſiquidem facultas a ſummis Pontificibus ipſis adeo clare ac nitide conceditur, ut circa eam nullum adeſſe poſſit rationabile dubium: quod ſi adeſſet, faventior pars utique foret eligenda, juxta Regulam juris: *Favores convenit ampliari; & Beneficia Principum quam latiſſime decet interpretari.*

2. Qui ſemel Jubilæum conſecutus eſt, jus habet, etiam poſt ipſum elapſum, ſibi Confeſſarium eli-

eligendi ad gratias ſibi comparandas, quas tempore Jubilæi non obtinuerat: v. g. ut abſolvatur a Votis, Cenſuris, & peccatis, quibus ante illud Jubilæum fuerat obnoxius.

3. Qui opera in Jubilæo præſcripta, ex cauſa legitima non adimplevit, poteſt adhuc ultima die Jubilæum conſequi, ſi dicta opera a Confeſſario ſuo transferantur aut immutentur. Quod etiam verum eſt, licet abſolutionem ultima die ob aliquam rationem obtinere, nec amplius communicare poſſet: quia dum Confeſſario jam ſeſe obtulit, hæc etiam, quatenus præſcripta opera, ab ipſo transferri poteſt; & tunc, nempe in translata Confeſſione, a votis diſpenſari, & a peccatis ac cenſuris poſſet abſolvi.

Utrum autem qui opera injuncta ad ultimum uſque quadrantem ex malitia diſtuliſſet, hoc Privilegio gaudere poſſet: Videtur quod minime poſſet, niſi forte ſigna doloris extraordinarii exhiberet: quia, uti jam dictum eſt, Indulgentia indevotis ac negligentibus non conceditur.

4. Qui tempore Jubilæi abſens fuit, in patriam rediens illud conſequi poteſt, modo opera injuncta quam primum fieri poteſt exequatur.

5. In aliena itinerans Diœceſi tempore Jubilæi, ipſum conſequi poteſt Eccleſias viſitando Diœceſis, ubi nondum apertum eſt Jubilæum, ſi ad propria reverſus Eccleſias Diœceſis ſuæ viſitare non poſſit, quia, uti jam diximus, hæc circumſtantia loci a Summo Pontifice principaliter non intenditur.

6. Durante Romæ anno Jubilæi, ordinariæ ſuſpenſæ manent Indulgentiæ plenariæ pro vivis a Pontifice conceſſæ. Dixi *ordinariæ*; quia ſæpius, etiam hoc tempore, nonnullæ Indulgentiæ locum habent ex ſpeciali Pontificis conceſſione. Dixi *Indulgentiæ*; non enim ſuſpenduntur Privilegia a Cuſibus reſervatis abſolvendi, ſi quibuſdam fuerint con-

conceſſa. Dixi *Plenariæ*: quia aliæ non plenariæ locum ſemper habent. Dixi *Pro vivis*, nec enim ſuſpenduntur conceſſæ ſpecialiter pro Defunctis, bene quidem eæ quæ ipſis tantummodo applicari poſſunt. Dixi a *Pontifice conceſſæ*; quæ enim vel a Legato, vel ab Epiſcopo conceduntur, ſemper vigent.

Plura, ſi libuerit, videantur apud Ritualiſtas. Hæc ad Juniorum inſtitutionem ſufficiat breviter delincaſſe.

CONSTITUTIONES ALIQUOT

BENEDICTI XIV.

Moralibus Tomi hujus materiis reſpondentes.

Quarum nonnullæ integræ relatæ ſunt, ex aliquibus vero quæ definita, ſive explicata fuere, per ſumma capita diſtincte ſunt indicata; ac plura ex ejuſdem Synodo Diœceſana ſelecta.

(N. I. pag. 183.)

HUc ſpectat Conſt. 1. SS. D. N. Benedicti Papæ XIV. quæ incipit *Deteſtabilem*, nuper emanata, in qua omiſſis aliis ſic ait.

His tam ſapienter, tam aperte, atque perſpicue ab Eccleſia, & ab Apoſtolica Sede conſtitutis, dubitari jam nullo modo poſſe videbatur, quin duella omnia, tam publica, quam privata, & naturali, & Divino, & Eccleſiaſtico jure, prorſus illicita, veſtita, atque damnata cenſeri deberent. Sed nonnulli earum Legum interpretes, per benignitatis ſpeciem humanis praviſque cupiditatibus plus æquo faventes, Apoſtolicas Sanctiones ad corrupta hominum judicia inflectentes ac temperantes, *licere*, docuerunt, (a) *Viro Equeſtri duel-*

a) 2. Prop. damnata ab Alexandro VII.

duellum acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat (a) *Fas esse defensione accisiva, vel ipsis Clericis, ac Religiosis, tueri honorem; dum alia declinandæ calumniæ via non suppetat;* (b) *propulsare damna, quæ ex iniqua Judicis sententia certo imminent;* (c) *defendere non solum quæ possidemus, sed etiam ea, ad quæ jus inchoatum habemus, dum alia via id assequi non valeamus.* Quas quidem assertiones duellis faventes Apostolica Sedes censura notavit, rejecit, proscripsit.

Et nihilominus extiterunt quam proxime recentiores alii, qui etsi Duella, vel odii, vel vindictæ, vel honoris tuendi causa, vel levioris momenti res fortunasque servandi, fateantur illicita; aliis tamen in circumstantiis, & casibus, vel amittendi Officii, & sustentationis, vel denegatæ sibi a Magistratu justitiæ, defensionis innoxiæ titulo, ea licere pronunciant. Laxas, & periculi plenas opiniones hujusmodi, ex vulgatis eorum Libris ad Nos delatas, ubi primum accepimus, earum examen nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, & quibusdam Dilectis Filiis Sacræ Theologiæ Magistris specialiter ad id per Nos deputatis, commisimus; qui re mature discussa, latis coram Nobis tum voce tum scripto suffragiis, infrascriptas Propositiones censura, & proscriptione dignas existimarunt.

PRIMA PROPOSITIO.

Vir Militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad Officia Militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis, alias sibi debitæ ac promeritæ, spe perpetuo

(a) 17. Prop. ex damnatis ab eodem.
(b) 18. Prop. ab eodem damnata.
(c) 1. Prop. ex damnatis ab Innocentio XI.

petuo carere deberet, culpa & pœna vacaret, ſive offerat, ſive acceptet Duellum.

II.

Excuſari poſſunt etiam, honoris tuendi, vel humanæ vilipenſionis vitandæ gratia, Duellum, acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo ſciunt pugnam non eſſe ſecuturam, utpote ab aliis impediendam.

III.

Non incurrit Eccleſiaſticas pœnas ab Eccleſia contra duellantes latas, Dux, vel Officialis Militiæ, acceptans duellum ex gravi metu amiſſionis famæ, & officii.

IV.

Licitum eſt, in ſtatu hominis naturali, acceptare, & offerre duellum, ad ſervandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulſari nequit.

V.

Aſſerta licentia pro ſtatu naturali, applicari etiam poteſt ſtatui Civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia Magiſtratus, juſtitia aperte denegatur.

Auditis itaque, ſuper unaquaque earum Propoſitionum, dictorum Cardinalium & Conſultorum judiciis, atque omnibus rite & mature conſideratis, Nos ipſas, præſentium Litterarum tenore, & Apoſtolica Auctoritate, tamquam falſas, ſcandaloſas, ac pernicioſas rejicimus, damnamus, ac prohibemus, itaut quicumque illas aut conjunctim aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis, etiam diſputandi gratia, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in mortis articulo) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi ab exiſtente pro tempore Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtricte, in virtute ſanctæ obedientiæ,

& ſub

& ſub interminatione Divini Judicii, prohibemus omnibus Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas Opiniones, aut aliquam ipſarum, ad praxim deducant.

Jam vero ut exitioſam Duellorum licentiam, in Chriſtiana, ac præſertim Militari Republica, non obſtantibus providis Legibus a pleriſque etiam Sæcularibus principibus & Poteſtatibus ad eamdem extirpandam laudabiliter editis, adhuc gliſcentem, validiore manu coerceamus, graviſſimumque ſcelus Apoſtolicæ diſtrictionis gladio magis magiſque inſequamur, omnes & ſingulas dictorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum Conſtitutiones ſuperius enunciatas, quarum tenores, ac ſi præſentibus de verbo ad verbum inſertæ forent, pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, Apoſtolica auctoritate confirmantes & innovantes, ad hoc ut pœnarum gravitas & ſeveritas majorem perditis hominibus ingerant peccandi metum. Noſtro motu proprio, ac de Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine, earumdem præſentium Litterarum ſerie, ſtatuimus atque decernimus, ut ſi quis in duello, ſive publice, ſive privatim indicto, hominem occiderit, ſive hic mortuus fuerit in loco conflictus, ſive extra illum ex vulnere in duello accepto, hujuſmodi homicida, tanquam interficiens proximum ſuum animo præmeditato ac deliberato, ad formam Conſtitutionis felicis recordationis Prædeceſſoris Noſtri Benedicti Pap. XIII. quæ incipit *Ex quo divina*, data vi. Idus Julii Anno Domini MDCCXXV. ab Eccleſiaſticæ Immunitatis beneficio excluſus & repulſus omnino cenſeatur; ita ut a cujuſcumque Sacri aut Religioſi loci Aſylo, ad quod confugerit, ſervatis tamen de jure ſervandis, extrahi, & Judici competentis Curiæ pro merito puniendus, tradi poſſit & debeat; ſuper quo Nos Epiſcopis, aliiſque Superio-

rioribus Antiſtitibus, ad quos reſpective pertinet, & pertinebit in poſterum, neceſſarias & opportunas facultates præſentium quoque tenore impertimur. Quin etiam, vivente adhuc altero in ſingulari certamine graviter vulnerato, ſi percuſſor in locum immunem ſe receperit, ex quo, eveniente illius morte, fugam arripere, & legum ſeveritatem evadere poſſe proſpiciatur; Volumus, & reſpective permittimus, ut quatenus Periti ad inſpiciendum vulnus acciti, *grave vitæ periculum* adeſſe retulerint; percuſſor ipſe, prævio ſemper Decreto Epiſcopi, & cum aſſiſtentia perſonæ Eccleſiaſticæ ab eodem Epiſcopo deputatæ, ab hujuſmodi loco immuni extractus, ſine mora carceribus mancipetur; ea tamen lege Judicibus indicta, ut illum Eccleſiæ reſtituere debeant, ſi vulneratus ſuperſtes vivat ultra tempus a legibus, quæ de homicidio ſunt, conſtitutum; alioquin in eaſdem pœnas incidant, quæ in memoratis Benedicti XIII. Litteris conſtitutæ ſunt adverſus illos, qui delinquentem in aliquo ex caſibus ibidem expreſſis, ex indiciis ad id ſufficientibus ſibi traditum, reſtituere recuſent, poſtquam is in ſuis defenſionibus hujuſmodi indicia diluerit.

Præterea, ſimili motu & auctoritate decernimus ac declaramus, Sepulturæ ſacræ privationem a ſacroſancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli & conflictus, incurrendam perpetuo fore, etiam ante Sententiam Judicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, ſive duellum publice, ſive privatim inductum fuerit, ac etiamſi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ ſigna dederit, atque a peccatis & cenſuris abſolutionem obtinuerit; ſublata Epiſcopis, & Ordinariis Locorum ſuper hac pœna interpretandi ac diſpenſandi facultate, quo ceteris documentum præbeatur fugiendi ſceleratis, ac debitam Eccleſiæ Legibus obedientiam præſtandi.

(N. II.

(N. II. pag. 278.)

Quæ ab Auctore in his quæſtionibus expoſita ſunt, & propugnata confirmat, ac probat SS. D. BENEDICTUS XIV. in Epiſtola Encyclica, quam prima Novembris 1745. dedit ad omnes Italiæ Epiſcopos, quæque incipit: Vix pervenit. *Sed quæ huc ſpectant, clarius & luculenter exponit in inſigni, ac univerſæ Eccleſiæ perutili opere, de Synodis, in quo, ea innuens,* quæ de uſuris, & contractibus ab Epiſcopis in Synodis decerni poſſint, *plura de uſura, & mutuo explicat, atque declarat, quæ cum ſcitu neceſſaria videantur, omnia tranſcripſimus.*

2. Omne lucrum ex mutuo, præciſe *ratione mutui*, uti loquuntur Theologi, hoc eſt lucri ceſſantis, damni emergentis, aliove extrinſeco titulo remoto, uſurarium, atque omni jure, naturali ſcilicet, Divino, & Eccleſiaſtico illicitum eſſe, perpetua fuit, & eſt Catholicæ Eccleſiæ doctrina, omnium Conciliorum, Patrum: & Theologorum unanimi conſenſione firmata. Huic contradixere Græci ſchiſmatici, qui, teſte Guidone Carmelita *in Catalogo Hæreticorum*, quodcumque lucrum ex mutuo permittunt. Græcis ex parte convenit Calvinus, qui *ad caput* 18. *Ezechielis*, licere docuit, aliquod moderatum lucrum, non quidem a paupere, ſed a divite, præciſe ratione mutui, exigere. Errorem a Calvino obiter inſinuatum, ex profeſſo promulgavit Carolus Molinæus *in ſuo tractatu de uſuris*, ubi *num.* 10. audacter affirmat, uſuram non eſſe prohibitam, *niſi in quantum eſt contra charitatem*; diſtinguit deinde *num.* 85. tres hominum gradus. Primus complectitur pauperes, emendicata ſtipe viventes, quibus non mutuo, ſed eleemoſyna ſuccurrendum, ait. Alter indigentes, qui pro tempore indigent, quamvis pa-

ſes

res ſint mutuo poſtea reſtituendo, atque his que mutuum gratuito dandum, aſſerit: Te gradus complectitur divites, & Mercatores, nihili indigent, ſed rem ſuam negotiatione ai ficare ſtudent, & ab his uſuram moderatam, i ne mutui, juſte, ac ſancte exigi poſſe, t Molinæus. Eamdem pravam opinionem amp tus, alia ratione defendit Claudius Salmaſius duplici tractatu, altero inſcripto *De uſuris*, a *De trapezitico fœnore*, quibus in locis uſu niſi charitatem lædat, ab omni culpa abſc eo quod ſit *merces locatæ pecuniæ*. Verum q quam plurimi Heterodoxi, Calvini, Molinæi Salmaſii ſyſtemati ſtabiliendo adlaboraverint, ter quos Petrus Heinigius *lib. 2. quæſt. 1.* G dus Noodt *de fœnore, & uſuris lib. 1.* G vius, & Barbeyrac *in notis ad Hugonem Grot lib. 2. capit. 12.* Boehmerus *jur. Eccleſ. t tom. 5. lib. 5. tit. 19.* rationem tamen, qua Salmaſius tutatus eſt, fere omnes refellerunt cte arbitrantes, mutuæ pecuniæ dominium t ferri in mutuatarium, ac propterea non mutuum locationi ullo pacto comparari, teſtatur Gottfridus Maſcovius. *in notis ad T dorf. lib. 5. cap. 7. §. 5.*

3. Impiæ Calvini & Molinæi opinioni no riti ſunt ſubſcribere pauci quidam doctores tholici, diſtinguunt & iſti duplex genus m uuum, quo pecunia, aliave res datur ad ſumptionem, quod plerumque fit cum indi bus, pecuniam mutuam accipientibus, ut ſuamque familiam ſuſtentent, debita ſolvant liam nuptui tradant &c. alterum, quo dat negotiationem, ut cum Mercatoribus fieri qui acceptam mutuo pecuniam negotiation gent, ingenſque ex ea lucrum reportant: in mo caſu uſuram eſſe fatentur, quidquid ex ultra ſortem: at a fœnoris labe excuſant luc

qu

in ſecundo caſu ex mutuo percipitur, dummodo ſit moderatum, modumque ſervet a patriæ legibus definitum.

4. Novam hanc diſtinctionem ab Hæreticis primum excogitatam, præverterant Eccleſiæ Patres, qui uno ore, abſolute, atque indefinitte fœneratitium pronuntiaverant, quidquid ex mutuo ultra ſortem exigitur: Tertullianus *libro* 4. contra Marcionem *capite* 17. ita explicat Ezechielis locum: *Pecuniam*, inquit, *ſuam fœneri non dedit, & quod abundaverit, non ſumet: fœnoris ſcilicet redundantiam, quod eſt uſura.* S. Baſilius *in Pſ.* 14. (*tom.* 1. *oper. pag.* 107.) allegato pariter Ezechielis loco, ait: *Ezechiel id in maximis malis recenſet ſi fœnus, & quippiam ultra ſortem accipiatur.* S. Ambr. *lib. un. de Tob. c.* 14. *n.* 39. (*tom.* 1. *oper. col.* 607.) *Et eſca uſura eſt, & veſtis uſura eſt, & quodcumque ſorti accedit, uſura eſt.* S. Hieron. *in c.* 18. Ezech. (*tom.* 5. *oper. col.* 210.) *Alii pro pecunia fœnerata ſolent munuſcula accipere diverſi generis, & intelligunt uſuram appellari, & ſuper abundantiam, quicquid illud eſt: ſi ab eo quod dederint, plus acceperint.* S. Aug. *in Pſalm.* 36. *ſerm.* 3. *num.* 6. (*tom.* 4. *oper. col.* 285.) *Si fœneraveris homini, ideſt mutuam pecuniam dederis a quo aliquid pluſquam dediſti expectes accipere, non pecuniam ſolum, ſed aliquid pluſquam dediſti, ſive illud triticum ſit, ſive vinum, ſive oleum, ſive quodlibet aliud, ſi pluſquam dediſti expectas accipere, fœnerator es.* Concilium Agathenſe relatum a Burchardo *lib.* 2. *c.* 126. Ivone *part.* 6. *cap.* 200. & a Gratiano *cauſ.* 14. *quæſt.* 7. *can.* 4. *Uſura eſt, ubi amplius requiritur quam datur, v. g. ſi dederis ſolidos decem, & amplius quæſieris*; ex quibus Gratianus ibidem concludit: *Ecce evidenter oſtenditur, quod, Quidquid ultra ſortem exigitur, uſura eſt.* Patribus adhæſere veteres Theologi, qui, duce D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 78. *ar.* 2. adeo di-

ſtricte

ſtricte omne lucrum ex mutuo, jure naturali, & Divino vetitum aſſeruere, ut ne munus quidem *ab obſequio*, *aut a lingua*, quod certe quid minimum eſt, nullique oneroſum, a mutuatario, ſolius mutui cauſa, exigi poſſe docuerint.

5. Neque vero Calvini, & Molinæi Aſſeclis ſuffragantur, aut loca ſacræ Scripturæ ſpeciatim prohibentia, ne pauperes uſuris opprimantur, uti Exodi 22. *verſ.* 25. & Levitici 25. *verſ.* 35. aut ſententiæ Patrum, uſuras dumtaxat redarguentium immoderatas; aut Canones Conciliorum, puta 36. ex Apoſtolicis, 17. Nicænus, & 12. Concilii Arelatenſis primi, ſolos Clericos fœneratores ſeveris pœnis ſubjicientes. Etenim antiqui Teſtamenti pagina in ipſiſmet in contrarium adductis locis, & adhuc clarius Deuteronomii 25. *verſ.* 19. Ezechielis 18. & *Pſalm.* 14. omnem omnino uſuram, abſque ullo perſonarum, a quibus exigatur, diſcrimine, prohibet, & deteſtatur; Pauperes autem alicubi expreſſe nominat, vel tantum exempli cauſa, quia plerumque contingit, ut illi magis egeant opis alienæ, & neceſſitate adacti mutuum accipiant, etiam ſub obligatione immoderatum fœnus ſolvendi, quemadmodum ad prædictum Exodi caput adnotavit etiam Hugo Grotius; vel quia uſuræ quæ a pauperibus extorquentur præter propriam pravitatem, quamdam redolent ſævitiam, & immanitatem, ſpeciali nota, & reprehenſione dignam, ſicuti ratiocinatur Gibalinus *de uſuris*, *lib.* 1. *cap.* 7. *art.* 2.

6. In novo autem Teſtamento *Lucæ* 6. illis Chriſti Domini verbis, *Mutuum date*, *nihil inde ſperantes*, præceptum tradi, ſeu verius naturalem legem iterum inculcari, nihil prorſus lucri ex mutuo, ab ullo, ſive paupere, ſive divite, exigendi, non ſolum docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 1. *ad* 4. ſed concors fuit Conciliorum, Patrum, Summorumque Pontificum ſententia, præcipue

Urba-

Urbani III. *in Cap. Conſuluit, de uſuris*, qui præfati Textus auctoritate, omnem quantumvis minimam uſuram, univerſam vetitam pronuntiarunt; explicans enim præfata Chriſti Domini verba, iis prohiberi, ait, *omnem uſuram, & ſuperabundantiam*. Dicere autem, ſummos Pontifices, & Concilia prædicti Textus verum & genuinum ſenſum non eſſe aſſequuta, quod aliquos muſſitare non puduit, & temerarium, & fere hæreticum eſt: quidquid enim ſit, an Eccleſia, non ſolum infallibili polleat auctoritate, in definiendis quæſtionibus Fidem, aut mores reſpicientibus, quod nullus Catholicorum negat, ſed etiam in delectu rationum, quas ad ſuas definitiones ſtabiliendas interdum adducit, de quo nonnulli Catholici dubirunt; certum, & indubitatum eſt, eam errare non poſſe in interpretanda Divina Scriptura, ejuſque genuino ſenſu Fidelibus aperiendo.

7. Haud abſimilia reponimus ad teſtimonia Patrum: hi quidem, licet vehementius invehantur in uſuras immoderatas, atque a pauperibus extortas, veluti culmen ſceleris, ad quod homines pertrahit ſordida, atque inſatiabilis avaritia, non idcirco tamen approbant moderatas, a divitibus exigendas; quinimmo etiam iſtas aliis in locis expreſſe condemnant. Enimvero Ambroſius *cit. lib. de Tobia cap. 6.* (*tom. 1. oper. col. 597.*) de his agens qui pecuniam ſuam fœnerantur non indigenti, ſeu diviti, ſed negotiatori, cui uberes proventus pariat, eos in hunc modum increpat: *Nihil nequius fœneratoribus, qui aliena damna ſua lucra arbitrantur, & diſpendio ſuo deputant, quidquid ab aliis poſſidetur. Aucupantur heredes novos, adoleſcentulos divites explorant, per ſuos adjugunt ſe, ſimulantes paternam, & avitam amicitiam, volunt domeſticas eorum cognoſcere neceſſitates ..... Sin vero nullos laqueos alicujus neceſſitatis offenderint, intexunt fabulas, ajunt, nobile prædium eſſe ve-*

nale,

nale, amplum donum, accumulant proventus Unum, annuos reditus exagerant, hortantur ut mant, similiter faciunt pretiosas vestes & mo nobilia prædicantes. Neganti se habere pecuni ingerunt suam, dicentes: Utere, ut tua: de fr bus emptæ possessionis pretium multiplicabis, a tum reddes: & cap. 14. (col. 607.): Et puta pie facere, quia a Negotiatore, velut munus scipis. Inde ille, fraudem facis in mercium tium, unde tibi solvit usuram. Fraudis illiu auctor, tu particeps, tibi proficit quidquid fraudaverit. Et esca usura est, & quodcumque ti accedit usura est. Quod velis ei nomen impo usura est. Similiter Hieronymus *in cit. cap. Eze lis* (col. 208. *n.* 5. *oper.*) perinde ac si cum illis congrederetur, contra quos pugnamus, fœnus probat, etiam ex re percipiendum, quæ ingen fructum mutuatario attulit, inquiens: *Soles a mentari, ac dicere: Dedi unum modium, qui fecit decem modios; nonne justum est, ut mea modium de plus accipiam, cum ille meâ libera te novem, & semis de meo habeat?* Nolite err *inquit Apostolus*, Deus non irridetur. *Respon enim nobis breviter fœnerator misericors, u habenti dederit, an non habenti. Si habenti, que dare non debuerat; sed dedit quasi non hab Ergo quare plus exigit quasi ab habente? &c.*

8. Ad Canones quod attinet, si argument quod ex illis instaurant, quidquam habet rob & efficacitatis, probaret etiam fornicationes adulteria esse Laicis permissa, quia plerique nones in solos Clericos fornicarios, & adulte nulla facta Laicorum mentione, animadvert quæ sane argumentatio inepta, & ridicula ret: novum quippe non est, Ecclesiam sev in Clericis punire delicta, quæ etiam in I execratur; sicuti opportune, & ad rem ap monuit Concilium Carthaginense 1. *can.* 13.

in Laicis reprehenditur, id multo magis in Clericis oportet prædamnari. Ceterum non deſunt alii innumeri Canones, Clericos æque ac Laicos uſuratios redarguentes, atque ut alios prætereamus, antiquiſſima Synodus Eliberitana *can.* 20. (*tom.* 1. *collect. Hard. col.* 252.) hæc habet: *Si quis Clericorum detectus fuerit uſuras accipere, placuit eum degradari, & abſtinere. Si quis etiam Laicus accepiſſe probatur uſuras, & promiſerit correctus jam ſe ceſſaturum. nec ulterius exacturum, placuit ei veniam tribui. Si vero in ea iniquitate duraverit, ab Eccleſia eſſe projiciendum.* Ac Leo Magnus *epiſt. ad Epiſcopos per univerſam Italiam, relata can.* 7. XIV. *q.* 4. exagitans uſuræ peccatum, ait: *Quod nos, non dicam in eos, qui ſunt in Clericali officio conſtituti, ſed in Laicos cadere, qui Chriſtianos ſe dici cupiunt, condolemus.*

9. Jure itaque ac merito Auctores permittentes moderatum lucrum ex mutuo a divite, & Negotiatore exigere, veluti adverſantes communi, & perpetuæ Catholicæ Eccleſiæ doctrinæ, inclamarunt, & validiſſimis argumentis confutarunt. Navarus *comment. de uſuris num.* 8. *ſeqq.* Gibalinus, & Leotardus, in ſuo quilibet *de uſuris* tractatu, Cardinalis de Lugo *de juſtit. & jur. tom.* 2. *diſp.* 25. Jacobus Gaytte egregio opere, quod concinnavit adverſus Molinæum, Salmaſium, Auctoremque libelli Gallici *du traitè de la pratique des Billets*, Saintbeuve *in reſolut. caſuum conſcientiæ, tom.* 2. *ult. edit. Pariſ. an.* 1700. *caſ.* 210. *p.* 422. *& ſeqq.* Aloyſius Bulteau, ſeu Bultellus *in apologia pro Lactantio in materia uſurarum, edita Pariſiis an.* 1667. Pouget *in ſuis Canon. Inſtitut. tom.* 1. *pag.* 760. Natalis Alexander *Theolog. dogmat. & moral. tom.* 8. *part.* 2. *c.* 7. Genet. *Theolog. moral. tom.* 1. *tract.* 4. *de mutuo, & uſura, q.* 6. *& ſeqq.* Pontas *in dictionar. caſ. conſcient. tom.* 3. *verb. Uſura*, Continuator *prælect.*

Theologic. Honorati Tournely, tract. de contract. part. 2. cap. 3. aliique plurimi.

10. Verum, quoniam tot Doctorum auctoritate, & argumentis minime perterriti, prædictam non exoticam opinionem nonnulli iterum refricare non dubitarunt, propterea Nos ad Petri Cathedram evecti, ne Catholicæ doctrinæ puritas, cujus depositum Nobis est a Christo concreditum, hac erroris labe fœdaretur, datis ad Italiæ Episcopos encyclicis litteris sub die prima Novemb. 1745. hæc inter cetera declaravimus. Primo, omne lucrum ex mutuo, ratione mutui, usurarium, & illicitum esse: secundo, ad usuræ labem purgandam, nullum arcessiri posse subsidium, vel ex eo quod id lucrum non excessivum, & nimium, sed moderatum; non magnum, sed exiguum sit; vel ex eo quod is, a quo id lucrum, solius causa mutui, deposcitur, non pauper, sed dives existat, nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus: tertio, quamquam una cum mutui contractu possint quandoque alii tituli, ut ajunt, forte concurrere, ipsi mutuo extrinseci, e quibus justa oriatur causa aliquid ultra sortem ex mutuo debitam exigendi, atque falso, & temere affirmari diximus, ejusmodi titulos semper reperiri, ac ubique præsto esse, itaut illorum ratione, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis, alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram, salvamque recipere. Alia præterea ediximus, atque in contractibus servanda commendavimus (quæ in Episcopales Synodos utiliter inferi poterunt) ne usuræ macula inficiantur, sicuti videre in *præfatis nostris litteris impressis tom. 1. nostrar. Constit. Constit.* 143. quas nuperrimus Theologico commentario illustravit

ſtravit Daniel Concina Ordin. Prædicator. Theologus.

11. Quamobrem ſi jampridem aliquot Epiſcopi, inter quos Cardinalis de Camus Epiſcopus Gratianopolitanus, Cardinalis de Biſſy tunc Epiſcopus Tullenſis, Jacobus Benignus Boſſuet Epiſcopus Meldenſis, & Bragadenus Epiſcopus Veronenſis in ſuis edictis, & Paſtoralibus inſtructionibus, præfatam proſcripſerant erroneam opinionem, utpote quam noverant jam a Conciliis, Summorumque Pontificum Conſtitutionibus prædamnatam, multo magis integrum nunc erit Epiſcopis illam, poſtquam iterum nominatim, & expreſſe eſt ab Apoſtolica ſede reprobata, novis, ſi opus fuerit, Conſtitutionibus, a ſua Diœceſi exturbare, eamque temere diſſeminantes, aut uſu ipſo approbantes ſeveris pœnis coercere.

12. Poſt eliminatum Hæreticorum errorem, qui paucorum fraudulentia, etiam in Catholicam reipublicam irrepere cœperat; abs re non erit obiter detegere falſam doctrinam, qua ſunt imbuti Judæi, inter Chriſtianos degentes. Ex illis Deuteronomii verbis *c.* 23. *Non fœnaberis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec frugem, nec quamcumque aliam rem, ſed alieno*, inferunt Hebræi ſibi licere fœnerari Chriſtianis, quos, licet inter eos verſentur, pro alienis habent, & extraneis. Facile quidem eſſet hanc Judæorum fallaciam retundere, aut dicendo cum Ambroſio *cit. lib. de Tobia c.* 15. in allegato textu, permiſſum dumtaxat fuiſſe Judæis uſuras exigere ab Amorrhæis, Amalecitis, aliiſque vicinioribus populis, a quibus Deus dominium abſtulerat rerum omnium, quas poſſidebant, & Judæis contulerat, aut dicendo cum D. Th. 2. 2. *cit. q.* 78. *ar.* 1. *ad* 2. non fuiſſe permiſſum Hebræis uſuras exigere ab extraneis, ſed toleratum, tamquam minus malum, eo pacto, quo, propter duritiam cordis eorum, fuit

in illis toleratum uxorum repudium; quod etiam ante D. Th. ſenſerat Alexander de Hales *par.* 3. *q.* 86. *art.* 2. ubi ait: *Numquam fuit Judæis licitum fœnerari alieno, ſed permiſſum fuit illis, ſicut dare libellum repudii, propter duritiam cordis ſui. Peccabant tamen mortaliter fœnerando alieno: ſed permittebatur eis duplici de cauſa, ſcilicet ne facerent pejus, ideſt ne fœnerarentur fratribus ſuis, & quia duri erant, & paulatim trahendi ad perfectionem.* At quoniam res eſt cum Hebræis, qui Theologorum; & SS. Patrum auctoritatem irrident, nec ullus nobis ſuppetit modus evellendi pravam illam opinionem, quæ in eorumdem mentibus altas egit radices; unum faciendum ſupereſt, nimirum, ut falſæ illius opinionis uſum, qui in detrimentum cedit, & oppreſſionem pauperum Chriſtianorum, pro viribus impediamus; neque aliter id præſtari poteſt, quam opportunis Conſtitutionibus Epſcoporum, & Chriſtianorum Principum edictis, quibus ſevere prohibeantur Judæi Chriſtianorum loca incolentes, ne ratione mutui quidquam a Chriſtianis extorqueant, & certa ſimul præſcribatur quantitas lucri, ultra quam nihil impune exigere poſſint ex aliis contractibus, cum Chriſtianis initis.

13. Primum ſtatutum fuit in Concilio Albienſi anni 1254. edito a Luca Dacherio *tom.* 2. *ſpicilegii*, in cujus *c.* 19. (*pag.* 645.) habetur: *Statuimus, & mandamus, in his, quæ deinceps mutuaverint Judæi Chriſtianis, Chriſtianorum ipſorum ſtetur ſimplici juramento, an quidquam uſurarium ſit in eis, & in eo quod uſurarium eſſe dixerint, ſic jurati abſolvantur*: quod decretum renovatum legimus in Concilio Montis Peſſulani, anni 1258. *cap.* 5. *eod. tom.* 2. *ſpicilegii*, Alterum edixit Innoc. III. *In Concilio Generali Lateranenſi cap.* 67. *relat. in cap. Quanto magis, de uſuris*, ubi diſtricte vetuit, ne Judæi obtentu cujuslibet con-

tra-

tractus, quem ceteroquin licite cum Christianis inire queunt, graves & immoderatas usuras exigant: *Synodali decreto statuimus, ut si de cetero, quocumque prætextu Judæi a Christianis graves, & immoderatas usuras extorqueant, Christianorum eis participium subtrahatur, donec de immoderato gravamine satisfecerint competenter.* Utrumque vero ad compescendos fœnatores Judæos, in temporali ditione Ecclesiæ commorantes, iterum decernendum consuluit Marcellus Severolus, sacri Consistorii Advocatus, Nobis, dum viveret, singularis amicitiæ nexu conjunctus, in suo elaborato suffragio, edito apud Passerinum *in c. Quamquam 1. post num. 84. de usuris in 6.* & ne a Synodis recedamus, ita nuperrime statuit Episcopus Pisaurensis *in sua Diœcesana Synodo habita anno 1742. tit. 4. n. 17.* cujus exemplum poterunt alii Episcopi imitari.

(N. III. Pag. 280.)

Tutam solidamque Auctoris de Cambio doctrinam perspicue confirmat & explicat SS. D. N. in prælaudato opere de Synodo c. 48. a §. 7. ad finem usque. Ut autem omnibus nota sit Romani Pontificis hac de re sententia; & quæ circa hujusmodi contractus esse debeat cura Episcoporum, omnia ferme huic capiti adjecimus. Necesse est, *inquit*, ut in cambio locali vera fiat pecuniæ translatio, aut saltem, ut qui pecuniam accipit, serium habeat animum, illam alibi restituendi; si enim sciret, eo ipso in loco, ubi accepta est, fore restituendam, quamvis cambii litteræ alio directæ ingerantur, sub cambii specie vera lateret usura, quæ hominum quidem judicium effugere, Deum autem eludere non posset. Et de hoc cambio, quod *siccum*, & *siccum* appellant, ea sunt intelligenda, quæ adversus cambia statuit clar. mem. Car-

dinalis Laufredinus *in ſua Diœceſana Synodo Cingulana, habita die 6. Auguſti 1736. cap. 14.*

Hæc manifeſta ſunt, & vix ulli obnoxia difficultati; alia captioſa adinventa eſt ſpecies cambii, quod vocant *obliquum*. Titius indigens mille aureis, mutuo eos petit a Cajo, qui conſuevit negotiari; & negotiatione pecuniam ſuam augere, renuit indulgere petitioni Titii, a quo, ratione mutui, nihil poteſt exigere: quia vero Titius Cajum urgere non ceſſat, res inter eos in hunc modum componitur: Titius mutuos accipit a Cajo prædictos mille aureos, neque, mutui cauſa, quidquam ſe Cajo, ultra ſortem, ſoluturum promittit: ut tamen Cajo damnum rependat, quod ex dato mutuo ſubit, dat ei facultatem, æquivalentem pecuniæ ſummam, ſive a ſemetipſo, ſive ab alio per cambii contractum, accipiendi, eamque ad negotiationem deſtinandi, ſimulque Titius ſe obligat ad ſolvendum Cajo, donec ei mutuum reſtituat, quidquid ratione cambii impendit, aut impendere deberet ſi prædictos mille aureos a Cam-ſore accepiſſet. Quandoque etiam ipſemet Titius mutuatarius aſſumit ſibi onus, cambiis negociandi tantam pecuniæ ſummam, quantam mutuam accepit a Cajo, in commodum tamen, & utilitatem ejuſdem Caji, cui quotannis ſolvit quantum ex cambiis lucratur, aut lucrari poſſet, donec ei mutuum reſtituat. Si primo modo res peragatur, pertinet ad Cajum mutuantem probare, cambii literas revera a ſe tranſmiſſas, ſeu mille aureos ſe fuiſſe per cambium ab alio conſecutum. Sed ſi Titius mutuatarius onus in ſe ſuſcepit ſummam ei æquivalentem, quam a Cajo mutuam recepit cambiis activis negotiandi; tunc aut ſteterit promiſſis, aut non. Si primum, Cajus creditor juſte percipit fructus, ſeu pecuniæ acceſſiones, a cambiis productas. Si ſecundum, quamvis tunc nihil ex cambiis

con-

consequatur, eosdem tamen fructus a Titio requirit, titulo *ejus quod interest*, seu damni quod subit, ex eo, quod Titius susceptæ obligationi non satisfecerit, juxta decisionem 829. *Romanæ Rotæ coram Dunozetto jun.* Et quia hic posterior modus securiorem reddit mutuantem, cui duplicem aperit viam ad consequendum auctarium mutuatæ pecuniæ, hac de causa frequentius adhibetur.

Præmissa hac cambii obliqui notione, quam præbet Cardinalis de Luca *lib. 5. tit. de cambiis in Summ. part. 2. num. 16.* facile est suspicari prædictas involutas ambages esse unice excogitatas ad palliandam usuram, quæ nihilominus non satis occultatur: & magis adhuc aperte se prodit, cum contractus secundo ex recensitis modis initur. Quid enim absurdius, quid incredibilius fingi potest, quam quod Titius indigens mille aureis, quos mutuos accipit a Cajo, totidem statim habeat paratos ad nundinas transmittendos, atque in activa cambia erogandos, in mutuantis Cajî utilitatem? Et nihilominus non desunt Auctores, qui pro ejusmodi cambiorum tuenda justitia decertant, inter quos Cardinalis de Luca *de cambiis disc. 3. num. 5. disc. 5. num. 8. disc. 23. num. 9.* Ansald. *de commerc. & mercat. disc. 65. n. 46. & sequentib.* Rota Bononien. apud Urceol. *de transact. quæst. 40. a num. 23. usque ad fin.* & Rot. Romana *decis. 1. lib. 8. ad Ornat. Card. de Luc. & decis. 323. & 625. con. Molines.*

Verum quidquid sit de foro externo, in quo fortasse ita res gesta præsumitur, sicuti in contractus stipulatione describitur, in foro tamen interno, ubi sola spectatur veritas, si pecunia accepto mutuo respondens, neque a mutuante, neque a mutuatario juxta prædictas diversas pactione, fuerit ad nundinas transmissa, seu in cambia activa erogata, nec unquam in alterutrius animo fuit

eam

eam ad nundinas tranſmittere, ſeu in cambia erogare, minime dubitandum eſt, cambium eſſe illicitum, turpe, & uſurarium, ac propterea e Chriſtiana republica prorſus eliminandum. Non enim vero negamus, poſſe mutuantem, qui ſolet pecuniam ſuam negotiatione augere, aliquid percipere a mutuatario, titulo *ejus quod intereſt*, hoc eſt lucri ceſſantis, aut damni emergentis: ſed cum hic legitimus adeſt titulus aliquid ultra mutuatam ſortem exigendi, is erit ingenue adducendus, neque recurrendum ad prædictos cambii obliqui anfractus, qui vehementem ingerunt ſuſpicionem fraudis, & doli; quamobrem clar. mem. Cardinalis Marcellus de Alte Epiſcopus Anconitanus, in ſuo Paſtorali monito, edito poſt Conſtitutiones Synodales Cardinalis Bartholomæi Maffei, ejuſdem urbis Epiſcopi, evulgatas anno 1738. *pag. 165. & ſeqq.* ſuas oves ſerio eſt dehortatus a cambiis obliquis, quæ mera eſſe deprehendit tegumenta uſuræ. Nec inopportunum exiſtimamus, ut quilibet Epiſcopus, ad eradicandum e ſua diœceſi eorumdem cambiorum abuſum ſimile monitum formet, ſuiſque inſerat Synodalibus Conſtitutionibus.

(N. IV. Pag. 284.)

Auctoris opinio propugnatur a Soto, Covarruvia, Leſſio aliiſque graviſſimis auctoribus, qui recenſentur in laudato Opere de Synodo Diœceſana lib. VII. cap. 48. ubi SS. D. N. indicatis nonnullis contrariæ opinionis momentis num. 49 ita n. 50 rem perſequitur. Sed ſuperfluum eſt cenſum perſonalem novis argumentis infectari, quem jam proſcripſit ſanct. Pius V. in laudata Conſt. *Cum onus*, ubi ad cenſus honeſtatem, inter ceteras conditiones, hanc quoque requirit, ut cenſus conſtituatur in re fructifera, non qualicumque, ſed immobili, certa, ac nominatim deſignata. Quapropter etiam Auctores, qui cenſum perſonalem, ejus natura inſpe-

ſpecta, ab uſuræ ſuſpicione vindicant, ingenue tamen fatentur, eum licite fieri non poſſe ubi præfata Pii V. Conſtitutio eſt recepta; quod tamen in Gallia, Belgio, & Germania non contigiſſe, affirmant Leſſius cit. cap. 22. num. 20. Haunol. dus de juſtit. tract. 10. num. 316 Pirhing. ad tit. de uſur. num. 85. Evieſtner ibid. num. 81. Verum, quamquam nos ſciamus, eumdem Summum Pontificem, ſupplicante Catholico Rege Philippo II. indulſiſſe Hiſpanis, ne ad ſuæ Conſtitutionis, quoad eas conditiones, quæ juris naturalis aut Divini non ſunt, exactam obſervationem adſtringerentur, ſicuti narrant Guttierez cit. quæſt. 177. in fin. & Felicianus de Solis lib. 1. de cenſib. cap. 7. num. 2. nec dubitemus, ab eadem obligatione potuiſſe contrario uſu, ſeu legitime præſcripta conſuetudine, ceteras eximi nationes; vehementer tamen ſuſpicamur, in cenſu mere perſonali, præſertim utrinque redimibili, eas deſiderari conditiones, quas non ſolum Pontificia Conſtitutio, verum etiam ipſum jus naturale, & Divinum expoſcunt, ne ſit larvatus contractus mutui, & propterea coram Deo uſurarius.

Sed quoniam nulla hactenus hac de re ab Apoſtolica Sede prolata eſt ſententia, non decet ut Epiſcopus in ſua Synodo cenſum perſonalem declaret ex natura ſua uſurarium; ſed ſi præſit Diœceſi, ubi prædicta viget S. Pii V. Conſtitutio, urgebit ejuſdem obſervationem, curabitque pro viribus, ne perſonales cenſus in eam clanculum inducantur; ſi vero Diœceſim gubernet, in qua Piana conſtitutio non eſt moribus recepta, ſerio Fideles monebit, atque hortabitur, ut a cenſibus perſonalibus abſtineant, eo quod, etiam ſola ſpectata eorumdem indole, uſuræ periculo, & ſuſpicione non vacent.

Finis Tomi Decimi Tertii.

INDEX

TITULORUM OPERIS.

TRACT. I. De Virtutibus, & vitiis. Pag. 3
DISSERT. I. De Virtutibus & vitiis in communi. ib.
Cap. I. De Virtutibus in communi. ib.
Quæſt. I. Quid & quotuplex ſit virtus? 4
Quæſt. II. Quid de virtutum proprietatibus ſit dicendum? 7
Cap. II. De vitiis, & peccatis in communi. 10
Quæſt. I. De natura & eſſentia peccati? 11
Quæſt. II. Quinam ſint effectus peccati. 13
Quæſt. III. Quomodo peccata ad invicem diſtinguantur? 17
Quæſt. IV. Quænam ſint peccati diviſiones? 25
Art. I. De peccato commiſſionis & omiſſionis. 26
Art. II. De peccatis carnalibus & ſpiritualibus, infirmitatis & malitiæ. 30
Art. III. De peccatis contra Deum, proximum, & ſemetipſos, ubi de peccato Philoſophico. 31
Art. IV. De peccatis cordis, oris & operis, ubi de delectatione morosa. 34
Art. V. De peccato mortali & veniali. 41
§. 1. De peccati mortalis & venialis exiſtentia. ib.
§. 2. De requiſitis ad peccatum tum mortale, tum veniale. 45
§. 3. Qua ratione mortale & veniale inter ſe differant? 46
§. 4. Quænam ſint pœnæ peccati mortalis & venialis? 53
Quæſt. V. De peccato Originali. 55
Art. I. Utrum exiſtat Originale peccatum? ib.
Art. II. Quid ſit Originale peccatum? & in quo formaliter conſiſtat? 58
Art. III. Quomodo tranſmittatur Originale peccatum? 62
Art. IV. Quænam ſint peccati Originalis pœnæ? 65
DISSERT. II. De Virtutibus & vitiis oppoſitis in particulari. 69
Cap. I. De Fide & Vitiis oppoſitis. ib.
Quæſt. I. Quid & quotuplex ſit Fides? 70
Quæſt. II. Quid ſit Fidei objectum? 72
Art. I. De objecto materiali Fidei. ib.
Art. II. De objecto formali Fidei. 75
Quæſt. III. Quid ſit Fidei ſubjectum? 78
Quæſt. IV. Quænam ſint Fidei proprietates? 81
Art. I. De Fidei veritate. ib.
Art. II. De Fidei obſcuritate. 82
Art. III. De Fidei neceſſitate. 85
§. 1. De neceſſitate interioris actus Fidei. ibid.

§. 2. De neceſſitate actus exterioris Fidei. 90
Quæſt. V. Quænam ſint vitia Fidei oppoſita? 95
Art. I. De infidelitate. ib.
Art. II. De Blaſphemia. 104
Cap. II. De Spe Theologica. 105
Quæſt. I. Quid ſit Spes Theologica? 106
Quæſt. II. Quodnam ſit Spei objectum? 107
Quæſt. III. Quod ſit Spei ſubjectum? 111
Quæſt. IV. Quænam ſit Spei neceſſitas? 112
Quæſt. V. Quid ſit timor Domini? 114
Quæſt. VI. Quænam ſint vitia Spei oppoſita? 119
Cap. III. De Charitate. 121
Quæſt. I. Quid & quotuplex ſit Charitas? 122
Quæſt. II. Quid ſit objectum & ſubjectum Charitatis? 125
Quæſt. III. Quænam ſint Charitatis affectiones & proprietates? 126
Art. I. De Charitatis neceſſitate. ib.
Art. II. De modo Charitatis. 131
Art. III. De ordine Charitatis. 134
Quæſt. IV. Quænam ſint Charitatis effectus & officia? 137
Art. I. De Pace Charitatis. ib.
Art. II. De Miſericordia Charitatis. 143
§. 1. De inimicorum dilectione. ib.
§. 2. De correptione fraterna. 145
§. 3. De corporali eleemoſyna. 151
Quæſt. V. Quæ ſint vitia charitati oppoſita? 153
Art. I. De Odio Dei & proximi. ib.
Art. II. De Superbia. 155
Art. III. De Acedia. 158
Art. IV. De Invidia. 159
Art. V. De Avaritia. 160
Art. VI. De Ira. 162
Art. VII. De Bello. 163
Art. VIII. De Schiſmate. 166
Art. IX. De Scandalo. 167
Cap. IV. De Religione. 173
Quæſt. I. Quinam ſint Religionis actus? 174
Art. I. De Oratione. ib.
Art. II. De Voto. 178
Art. III. De juramento. 187
Quæſt. II. Quænam ſint vitia Religioni oppoſita? 193
Art. I. De Superſtitione. ib.
Art. II. De irreligioſitate. 197
Cap. V. De Prudentia. 199
Cap. VI. De Juſtitia. 201
Quæſt. I. De Jure & Juſtitia. 203
Art. I. De Uſu. 205
Art. II. De Dominio. 207
§. 1. Quinam, & quarum rerum Dominium habeant? 208.
§. Quomodo acquiratur aut transferatur Dominium? 212

Art.

Art. III. De Contractibus . . . 221
§. 1. De Contractibus in communi . . . 212
§. 2. De Contractibus in particulari . . . 229
Quæſt. II. De Injuria . . . 262
Art. I. De Injuria & Reſtitutione in communi . . . 264
§. 1. Ex quibus capitibus oriatur reſtitutionis obligatio? ib.
§. 2. De Reſtitutionis circumſtantiis . . . 268
§. 3. De Reſtitutionis neceſſitate . . . 274
Art. II. De Injuria & reſtitutione in particulari . . . 277
§. 1. De Injuria & Reſtitutione ratione ſecreti . . . ib.
§. 2. De Injuria & Reſtitutione, ratione Mendacii . . . 278
§. 3. De Injuria & Reſtitutione in bonis animæ . . . 283
§. 4. De Injuria & reſtitutione in bonis corporis . . . 285
§. 5. De Injuria & reſtitutione in fama & honore . . . 299
§. 6. De Injuria & Reſtitutione in bonis fortunæ . . . 309
Cap. VII. De Fortitudine . . . 318
Cap. VIII. De Temperantia . . . 319
Quæſt. I. Quid de Gula ſit dicendum? . . . 320
Quæſt. II. Quid de Luxuria ſit dicendum? . . . 323
Art. I. De Caſtitate & Luxuria . . . 324
Art. II. De Luxuriæ ſpeciebus . . . 327
Art. III. De Impudicitia . . . 333
Quæſt. III. De immodeſtia . . . 335
Appendix. De Indulgentiis . . . 337
Quæſt. I. Quid & quotuplex ſit Indulgentia? . . . 338
Quæſt. II. Utrum in Eccleſia eſtet Indulgentiarum concedendarum poteſtas? . . . 341
Quæſt. III. Quinam ſint Indulgentiarum Miniſtri? . . . ib.
Quæſt. IV. Quodnam ſit Indulgentiarum ſubjectum? . . . 343
Quæſt. V. Quænam ſit Indulgentiarum virtus & efficacia? . . . 344
Quæſt. VI. Quænam ſint diſpoſitiones & conditiones ad Indulgentiam obtinendam requiſitæ? . . . 346
Quæſt. VII. Quid de Jubilæo ſit dicendum? . . . 348
Conſtitutiones aliquot Benedicti XIV. Moralibus Tomi hujus materiis reſpondentes . . . 350

Finis Indicis.